M. ANTONII MAIORAGII, COMMENTARIVS IN DIALOGVM, SEV LIB. PRIMVM DE ORATORE Ad Q. Fratrem M. Tullij Ciceronis.

NVPER ADEO IN ELOQVENTIAE ſtudioſorum gratiam accurata IO. PETRI AYROLDI MARCELLINI Mediolanenſis, Medici ac Philoſophi Veneti, opera atque induſtria in lucem prolatus.

Cum Indice rerum & verborum, per quàm copioſo.

CVM PRIVILEGIO.



VENETIIS, M D LXXXVII.

Apud Franciſcum Franciſcium Senenſem.

ILLVSTRISSIMO
ATQVE ECCELLENTISSIMO
VESPASIANO GONZAGAE
COLVMNAE.
SABLONETAE CONDITORI,
ET DVCI I.
TRAIECTI DVCI HOSTIANI

Marchioni. Fundorum & Rotingi Comiti.
Caramanici, & Thurini Baroni.
Anglonae Domino &c.

Petrus Ayroldus Marcellinus. **S. D.**

PRIMVS Comes Mediolanenſis, non ſolum Primus nomine, ſed etiam re, cum ob probitatem, & animi moderationem, tum ob multiplicem rerum cognitionem, & ſingularem eruditionem primus, nempe praecipuum Mediolani ornamentum, cum abhinc annis octo, mortuo Antonio ipſius fratre, & patruo meo de me optimè merito, viro eximiae integritatis & eruditionis, latinis graeciſque literis perpolito, Patauium proficiſcerer, fidei meae commendauit M. Antonij Maioragij, amitini ſui, in M. Tullij Ciceronis librum primum de Oratore ad Q. Fratrem, reconditae doctrinae refertiſsimum Commentarium; quod, cum me Venetias

netias reciperem, per idoneos opifices imprimendo deſcribendum curarem. Sed, ut ſerius omnino, quàm putaſſem, aut voluiſſem, illud, quod debebam, praeſtiterim, &, quod tanto viro promiſeram, exſequutus fuerim; fecerunt occupationes quaedam meae non leues: quae tamen tam graues eſſe non potuerunt, vt me impedirent, quin doctiſsimum Commentarium, non ſemel ſuperioribus diebus perlegerim, lectioneque continuata cum maxima animi mei voluptate, ac fructu, totum cognouerim. Delectauit me videlicet mirum in modum purum & latinum ſcribendi genus Maioragio proprium ac peculiare; elocutio elegans, & accurata; oratio admodum erudita, grauibus verbis ac ſententijs referta; non ſolum dilucidè planeque, ſed etiam ornatè dicta. delectarunt in primis diligenter expenſa, atque excuſſa omnia; aperti, qui latere videbantur huius libri loci; commonſtratum, declaratumque artificium; probata cuncta, argumentis rationibusque confirmata. Cum igitur ad Primi Comitis, optimi viri, voluntatem, quae me ad hoc Commentarium in lucem proferendum impelleret, ipſius libri praeſtantia, qua nefas eſſe ducerem, eloquentiae ſtudioſos diutius tanto bono priuari, adiungeretur. illud in tertio loco, quod me ad huius operis editionem mouit plurimum, eodem acceſsit: quod, cum admirabili deſiderio tenerer, inſinuandi me aliqua ratione in amicitiam, ac familiaritatem tuam, quam optimus quiſque vehementiſsime expetit; hoc munere, te tanto

principe

principe haudquaquam indigno, viam mihi ad eam munire cogitarem. Ne autem antea attentarim, vt tua iampridem omnibus cognita, & perſpecta ſumma virtus poſtulabat; non ſanè mea me voluntas, ſed iſtius tantae dignitatis tuae ſplendor, atque magnitudo prohibuit. Etenim te quidem colunt, qui nunc ſunt homines, & obſeruant, VESPASIANE, vt magni illius ALOYSII GONZAGAE ſapientiſsimi, fortiſsimi, fortunatiſsimi Imperatoris filium: ſed tamen multò te impenſius colet, & obſeruabit omnis poſteritas, ſuſpiciet, admirabitur, ad ſydera tollet: qui ſingulari tua uirtute, clariſsima auctoritate, eximia belli ſcientia, clementia admirabili, atque omni laude, praedicatione, literis, monimentisque decoranda, tot opimis ſpoliis, tot trophaeis, in aliorum fortiſsimorum, illuſtriſsimorumque virorum elogiis reponendis; effeceris; vt non minus ipſe ſplendoris poſteris tuis tradidiſſe, quàm à maioribus accepiſſe videaris. His, inquam, rationibus non arbitrabar mihi, infimo quidem homini, ſed tamen propè diuini tui nominis amantiſsimo, ſtudioſiſsimoque, locum vllum apud te fore. ſed, poſteaquam ex vna omnium voce intellexi, quanta beneuolentia doctos & eruditos homines ad te venientes complectaris, quàm humaniter excipias, quàm liberaliter tractes, quamque honorificè abs te dimittas, honori, gloriaeque illorum faueas; adeo vt ampla domus tua, haud ſecus quàm L. Luculli, cuius mira quoque in omnes eruditos liberalitas,

litas, & beneuolentia fuit, doctorum portus verè hoc noſtro ſeculo & ſit, & dici mereatur: ſtatui aliquod in te grati animi mei, ſummaeque obſeruantiae ſignum extare oportere; quo paulatim, ſi quo modo fieri poteſt, gratiae tuae adhaereſcam. Atque ò utinam mihi quandoque daretur, vt praeter medendi laborem, & eas medicinae practicae difficultates, quae animum meum alioqui cupidiſsimum, & incitatiſsimum perturbant quidem, ac retardant, ſed non omnino retrahunt, ornatiore dicendi ratione, ſcientiam rei militaris, virtutem, auctoritatem, felicitatemque tuam deſcribere, & memoriae hominum ſempiternae tradere poſſem. à rebus enim tuis praeclarè geſtis copioſiſsime oſtenderem; has omnes quatuor res, quas in ſummo Imperatore eſſe oportet, in te maximas eſſe: vt propterea bellum quoduis maximum, maximeque neceſſarium ſemper conficere potueris. Qua quidem ratione factum eſt, vt, cum te Philippus Auſtrius, Hiſpaniarum rex maximus & potentiſsimus, omni genere virtutis in toga atque in pace, ac (vt dixi) in bello ſcientia rei militaris, & fortitudine, tum animi, tum corporis, inſuper felicitate, auctoritate quaſi lunam nocte ſerena inter caetera ſydera fulgentem, inter omnes mortales inſigniter eminere conſpicaretur; communicauerit tibi maximarum prouinciarum imperij adminiſtrationem. in qua quidem, ſicuti aliis in rebus omnibus, quaſcunque unquam aggreſſus es, te ſemper eximium, ac ſingularem conſeruatorem, imperatorem-

torem-

toremque ſtrenuiſsimum praeſtitiſti: neque ſolum eorum hominum, qui nunc ſunt gloriam, ſed etiam antiquitatis memoriam ſuperaſti. Te verò in re militari, bellica laude, & grauiſsimis quibuſque rebus, ad quaeuis omnia pacis & belli paratus, tam aptè, & prudenter ſemper geſsiſti; vt ſaepenumero, pacato acerrimo bello, & fortiſsimis hoſtibus aut declinatis, aut deuictis ſuperatisque multorum munitiſsimis arcibus, famam tui nominis apud illos reliqueris ſempiternam. neque res vlla poteſt inueniri digna maieſtate tua, digna virtute, digna religione; quam tibi, relictis omnibus rebus, amplecti fas ſit, & perficere: quam tu pro tua ſapientia, fide, poteſtate non ſuſceperis; ſuſceptam induſtria, conſilio, diligentia perfeceris; perfectam alii belli Imperatores ſibi exemplar ad virtutem, atque gloriam ſempiternam non propoſuerint. Tuas autem propè diuinas virtutes, resque immortali cum laude geſtas, hoc loco pluribus perſequi nolo. nam, ſi ſecus fecero, modum epiſtolae excedam. quid ego inquam, epiſtolae modum excedam? immò, ſi praeter diſciplinam militarem, quae tibi gloriam immortalem comparauit, tantam manſuetudinem, tam inuſitatam, inauditamque clementiam tuam, tantum in ſumma poteſtate rerum omnium modum, tam denique incredibilem ſapientiam, ac penè diuinam, praeterea magnanimitatem, liberalitatem, erga pauperes miſericordiam tacitus nullo modo praeterire voluero; multorum certè dierum ſpatium, dicenti, aut ſcribenti

benti

benti mihi non ſufficiet. Quae cum ita ſint: reliquum eſt VESPASIANE GONZAGA, illuſtriſsime atque excellentiſsime vir, vt munus hoc, qualecunque ſit, meae perpetuae in te obſeruantiae pignus, & monimentum, benignè, & humaniter (vt omnia ſoles, ab eruditis hominibus profecta) excipias. paruum ipſum quidem munus, ſi tuam amplitudinem ſpectemus, eſſe fateor: ſed tamen à magni animi, & ſummae in te obſeruantiae homine, ea lege atque omine profectum: vt, ſi, quod nunc clariſsimo nomini tuo conſecratur, tibi non ingratum fuiſſe cognouero; multo maiora alia, Deo Opt. Max. fauente, propediem ſubſecutura ſint. Bene vale, & pacis, & belli inſigne decus artium.

Venetijs. Septimo Kal.Febr. ∞ IↃXXCVII,

INDEX

RERVM, AC VERBORVM NOTATV DIGNORVM COPIOSISSIMVS,

IN QVO NVMERVS PAGINAM: P, illius principium: M, medium: F, finem indicat.

PRAETEREA, A, PRIMAM; B, VERO ſecundam, in ſingulis Libri huius folijs, paginam commonſtrat:

A

ACademia, quid ſit 6 a. f.
Academia, vnde dictat ſit. 43. b. m.
Accipere conditionē, quid ſit. 68. b. f.
Actio, & pronunciatio. 21. b. f.
In actione quatuor conſideranda. 21. a m.
Quintilianus actionem in duas partes diuidit. 22. a. m.
Actio in dicendo primas; ſecundas, & tertias tenet. 21. b. f.
Actio ius perſequendi in iudicio. 145. a. m.
Quatuor ſpectantur in Actione. 94 a f.
Actio, magnam habet vim in oratore. 88. a. m.
Actioni primas, ſecundas, ac tertias Demoſthenes tribuit. 88. a. m.
Admiratio, naſcitur ex quatuor potiſſimum rebus 85. b. m.
Additum ad nomen, epitheton. Adiectiuum. 26. a. p.
Adoleſcentia. 8. a. m.
Adoleſcentes hiſtrionibus confor mandos, cur antiqui dabant. 94 b p.
Adoleſcentia ſanguinis feruore compulſa, ad varias facillime cupiditates inflammatur. 161. b. p.
Adoleſcentium Romanorum diligentia. 66. a f.
Adoleſcentis boni, officium. 67. a. p.
Aedilitas ſecundus dignitatis gradus ad conſulatum. 4. b f.
Aelij, qui dicerentur. 121. a. p.
Aequalium conſuetudine delectan-

a

ſtantur omnes. 31.a.f.
Aequales, qui dicantur. 31.a.m.
Aeſchines Mitylenæus, oratorũ flagellum.45.b.m.
Aeſopi tres celebrantur. 157. a.f.
Aetates, tres tantum conſtituun tur.8.a.m.
Galenus quatuor ætates conſtituit.8.a.f.
Sunt qui tot ætates, quot planetæ conſtituant.8.a.f.
Aetas virilis ex catalogo. 8. a.f.
Aetatis ingreſſus. 5. a.p.
Aetatis progreſſus ibid.
Aetatis flexus. 5. a.p.
Aetas, & ſeculum propriè pro centum annorum ſpacio capitur.11.a.m.
Pro vno anno ponitur. 11. a.m.
Affecta, quæ propriè dicantur. 122.a.f.
Affines, qui.105.a.p.
Afranius poeta. 22.b.p.
Africanus ſuperior in qua re gloriari ſolebat. 3.b.m.
Ἀλχμὴ, quid ſit, & quomodo Latinè dicatur.74.b.f.
Agere lege, quid ſit.42.b.f.
Agnati, qui.105.a.p. 143.a p.
Agnaſci, qui dicuntur. 148.a.p.
Alabanda, oppidũ, minoris Aſiæ. 57.a.f.
Alexamenus Styreus Dialogorum auctor.27.a.m.
Alluuio, quid ſit. 105.a.m.
Ambitionis occupatio.4.b.f.
Ambitio iuuentutis eſt propria. 4.b.f.
Amentum, quid.148.a.f.
Amentata haſtæ. ibid.
Amicitia vera, quæ.7.b.p.
Amicorum petitionibus quo minus obſequamur, duæ res potiſſimum nos impedire ſolent. 6.b.f.
Amphiaraus Mopſus, Calcas ſummi augures fuerunt. 41. a. m.
ἀμφιβολία. 21.a.p.
Anagnoſtes.85.a.f.
ἀνάμνησις. 3.b.m.
Anaximander Phyſicus Lacedæmonios admonuit terræ motum inſtare.28.a.f.
Angeli Appiani præſidis Coenobij Ambroſiani, laus. 159.a m.& 162.a.f.
Anguſtiæ temporum. 6. b.f.
Animus triſtitia ſolet contrahi, lætitia laxari.30.b.f.
Animus noſter, auræ diuinæ particula quædam. 161.a.m.
Animi ornamenta. 10.a. m.
Animi excitantur decem potiſſimum rationibus. 31.a.p.
Annibal Romanorum hoſtis perpetuus.128.b.m.
Antiphraſis, quid ſit. 40.a.f.
Antiphanis celebre dictum. 84. a.f.
Antiphon Thucididis præceptor primus omnium orationem ſcripſit.15.a.m.
Antonius, nullum tempus vacuum à literis prætermittebat & de arte ſua multum diſputare volebat. 58. b. m. 59. a. m.
Antonij Comitis Laus. 159.a.f. 159.b.f.
Antonij Comitis incredibilis modeſtia. 159.b.f.

Antipophora. 11.b.p.
Antiſtes. 123.a.f.
Antitheta, magnam orationi venuſtatem aſſerunt. 4.a.m. 5.b.p.
Appelles, per quam rarus, & ad mirabilis in pictura. 9.b.m.
ἀποδείξις 25.b.m.
Apollo lycius. 67.b.p.
Apollo Pythius. 121.b.f.
Apollinis oracula veriſſima habebantur, 122.a.m.
Apollonius Molonis filius, dicendi magiſter præſtantiſſimus. 57.a.f.
Apollonij Molonis, celebre dictu. 57.a.f.
Appollonius Alabandenſis. 81.a.p.
Areopagitæ nolebant extra cauſam quicquam dici. 60.b.f.
Argentum & aurum, cur plurimi penditur. 162.a m.
Argiui grauiter mulctabant, qui noua legis condendæ occaſionem dediſſet. 151.b.m.
Argo, nauis. 107.a.p.
Argonautæ. ibidem.
Ariſtoteles. 9.a.p.
Armamentariū, mille capax nauium Athenis. 53.b.m.
Artis, & ſcientiæ differentia. 72.a.m.
Ars, quid ſit. 72.a.f. 72.b.p.
Ars vt aliqua conſtituatur, quinque neceſſaria. 72.b.m.
In omni arte ſunt res, & verba. 73.a.m.
Artem nihil valere, niſi adiuuante natura. 74.b.f.
Artes quatuor, quę nobilibus, & ingenis hominibus cōueniunt. 82.b.p.
Ars, quid ſit. 64.a.m.
Ars, ἀπὸ τῆς ἀρετῆς, *ideſt a virtute dicta.* 64.a.m.
Artes tres apud Romanos in magno precio. 82.b.m.
Ars ex obſeruatione, & experientia nata eſt. 89.a.m.
Artes quomodo inuentæ, & perfectæ, 114.a m.
Ars imperatoria. 10.a.m.a.f.
Artium genera, tripartito diſtribuuntur. 11.b.f.
Artifex. 152.a f.
Aſclepiades, medicus Pruſienſis. 53 a f. 53.b.f.
Aſperitates rerum. 6.b.f.
Aſtiſmos quid. 40.a f.
Aſtrologia, ars obſcuriſſima, maximeque recondita. 12. a.f.
Athenas omnium doctrinarum inuentrices. 16.b.m.
Athenienſes omnibus ingenuis artibus dediti. 16.b m.
Auaros nunquam explere videmus cupiditatis ſitim. 161.a.m.
Auari, cur minus poſſint ad virtutem aſpirare. 161.a.m.
Auctoritas. 26.b.m.
Aureliani imperatoris purpura a rege Perſarum miſſa .. 11.b.m.
Aures politę orationis dulcedine mirificè delectantur. 33.a.m.
Auſpicia, Auguria, omina apud veteres. 41.a.m.

B

B*Alnea.* 28 b p.
B *Agrippa, cētum ſeptuaginta*

balnea extruxit. ibid.
Antonius Philoſophus balneum ſine mercede exhibuit. 28. b. m.
In Balneis publicis ſinguli quadrantem pro mercede dabant. 28. b. m.
Balneis, corpus hominis maximè recreari ſolet. 28. b. m.
Blaterones, qui. 74. a. f.

C

CAduceus, quid. 123. b. p.
Caduceatores. ibid.
Cain, primum omnium vrbem cõdidiſſe. 35. b. p.
C. Aculeo. 116. b. m.
Caius Gracchus Trib. plebis agrarias & frumentarias leges tulit. 39. b. m.
C. Lucilius primus condidit ſtyli naſum. 14. b. m.
C. Mancini auſpicia triſtia. 110. b. m.
Calcas, Amphiaraus, Mopſus augures. 41. a. m.
Callidi. 72. b. m.
Cancelli, qui vocentur. 49. b. f.
Campana matrona. 40. a. p.
Cantilena ex ſcholis. 71. a. f.
Capua, ſuperbia domicilium. 68. a. f.
Caput eſſe artis, prouerb. 83. b. f.
Carneades. 9. a. m.
Carneades Cyreneus in diſputando in contrarias partes excelluit. 15. b m. 45. b. p.
Cõtra Zenonem diſputaturus helleboro ſe purgabat. ibidem.
Carneades noua Academiæ princeps. 43. b. m.
καρτερία. 60. a. f.
Catilina a Cicerone accuſatus in ſenatu, obmutuit. 1. b. m.
Cato Cenſorius orator. 11. a. p.
Cato quater & quadragies accuſatus & ſemper abſolutus. 11. a. m.
Cato iam ſenex græcis literis erudiri voluit. 8. a. m.
Cato Cenſorius, Demoſthenes Romanus dicebatur. 9. a. m. 103. b. m.
Catonis cenſorij dictum de Carneade. 15. b. m.
Catonem in ſenectute præ cæteris floruiſſe. 3. b. f.
Cauſarum tria genera. 87. a. f.
Cauſarum quatuor genera. 19. a. p.
Cauſa effectrix, propriè cauſa dicitur. 80. a. m.
Cauſarum cognitio, præſtantiſſima. 15. b. f.
Cauſidici proclamatores, & rabulæ, qui. 123. a. f.
Cenſu liberi ſerui quomodo fiebãt 112. a. m.
Ceratinæ, quæ dicantur. 44. a. p.
Ceratinæ, & Crocodilites, ſophiſmatis parum explicabilis ſpecies 44. a. m.
Cethegus ab Ennio, flos illibatus populi, dictus eſt. 4. a. p.
Centumuiri. 34. a. m.
Hi Ciuium controuerſias tractabant. 34. a. m.
Centumuiralis haſta. ibid.
Charondas, leges Tyrijs dedit. 35. b f.
Chorus apud lacedæmonios ex triplici hominum genere. 5. a. p.

a.p.
Cum catilena quadam in publicũ exire ſolebat.5.a.m.
Chryſippus, ieiune conſcripſit. 48.b.p.
Chryſippus, ſcripſit libros ſeptingentos quinque.48.a.f.
Chryſippus riſu mortuus eſt.48. b.p.
Chryſoſtomi aureum dictũ. 162. a.m.
Ciceronis locus eruditè, & apertè ab Alciato explicatus.107. b.m.
Ciceronis locus a Maioragio restitus.154.a.m.
Ciceronis laus. 1.a.f.& 9.a.m.
Cicero dono quodam prouidentiæ genitus eſt, in quo totas vires ſuas eloquentia experiretur. 1.a.f.
Luſciniæ comparatur. ibid.
In vtraque dictione forenſi plurimum excellit.5.b.m.
Huic pro familiari reo, ſummus orator non reſpondit Hortenſius.ibid.
Ciceroni cum cœpiſſet Curio reſpondere ſubito aſſedit, & ſibi venenis ereptam memoriam dixit.1.b.m.
Cicero miſerationibus vehementer vti ſolebat.1.b.m.
Regnare in iudicijs dictus eſt.ibidem.
Ciceronis libri tres de oratore, rerum omnium pulchrrimarum Theſauri.2.a.m.
Cicero eloquentiæ parens. 2. b.p.
Ciceronem æquare, nõ modo quiſquam poteſt, ſed ne ſperare quidem debet.2.b.m.
Cicero longè grauiores, & reconditiores ſententias in ſe habet, quam prima fronte præſe ferre videatur.2.b.f.
Ciceronis conſuetudo in ſingulis libris, ſiue oratorijs, ſiue philoſophicis.3.a m.
Cicero patriæ parens, ſenatus conſenſu appellatus.4.a.f.
Propter immenſos labores ſæpe vitæ periculum adijt. ibidem.
Acceſſit ad forum cum annos 27. natus eſſet. 4.b.p.
Primam cauſam publicam pro Sex. Roſcio dixit. ibidem.
Ciceronem, & Demoſthenem pari ętate illuſtriſſimas orationes habuiſſe.4.b.m.
Tres & ſexaginta annos vixit.ibid.
Cicero omnes magiſtatus, dignitates, honores, conſecutus eſt. 4. b.f.
Ciceroni nouo homini cur conſulatus demandatus eſt. 6.a.f.
Cicero clodiana factione cur damnatus.6.b.p.
Cicero ab exilio reuocatus. 6. b.m.
Nullus dies ferè, in quo pro reo non diceret.7.a.p.
Cicero duos de inuentione libros, annum circiter vigeſimũ agẽs ſcripſit.8.a.m.
Duabus de cauſis eos damnat.8.b.p.
Cicero tranſlationes, & ſimilitudines frequenter à nauigantibus ſumit.92.a.f.
Circulum, quid ſit.97.a.m.

Ciuilis ſcientia.10.b.m.
Ciuilem ſcientiam alijs omnibus præponit. Ariſt.10.b.m.
In hoc diſcrepare videtur ab Ariſtotele Cicero. 10. b.m.
Ciuitates optimis legibus, & virorum prudētia regi. 163.a.f.
Clathri 49. b. f.
Clathratę feneſtræ. 50.a.p.
Cleomenis Cleombroti filij dictum elegans.20.a.m.
Clitomachus.45.b.f.
Clodius nomen Ciceronis detulit: quòd indemnatos ciues è medio ſuſtuliſſet.6.b.p.
Clodius Aeſopi Tragœdi filius, prodigus 157.b.m.
Coętaneus, apud Ciceronem non reperitur 31.a.m.
Coæuus, pro æquali.31. a. m.
Cognati, qui 105.a.m.
Coemptio, quid 145. b. f.
Comœdia palliata, quæ 73.b. f.
Comœdia togata 73. b. f.
Commentaria, quæ ſint 8. a. p.
Commentarius, vel commentarium quid ſit 127.a. m.
Comotio animi in perorationibus, 141. b. m.
Compoſitionis ratio diligēter adhibenda 2. b. m.
Cōfirmatio, & refutatio, ad fidem faciendam pertinent 32.a.m.
Confirmatio, quid ibid.
Confirmatio 88. a. m.
Congeries, frequentatio 20.a.m.
Conſtitutio coniecturalis 86. b.m.
Conſtitutio definitiua ibid.
Conſtitutio iuridicialis ibid.
Conſtitutiones quas orator tractat tres 152. a. m.
Conſulatus quartus dignitatis gradus 4.b.f.
Ad Conſulatum gradibus aſcendebatur ibid.
Conſules duodecim lictores cum ſecuribus, & faſcibus habebant. 57.a. m.
Conſulatus cur Ciceroni nouo homini demandatus eſt 6. a. f.
Controuerſia ſcripti, & ſententiæ 109. b. f.
Controuerſia ex ſcripto, triplex eſſe ſolet 87. a. p.
Copia rerum, verborum copiam alit. 9. a. m.
Corax rhetor 63.a.f.
Cornelia ſcipionis Africani ſuperioris filia, doctiſſima 37.b f.
Cornelius nepos à Gellio reprehenditur 4.b.m.
Cor. Cethegus, primus orator eſt habitus 10.b. f.11.a p.16.b.f.
Craſſus mirificam in iocando gratiam habebat 28. b. f.
Eius quædam facetè dicta ibidem & 29.a.p.
Critolaus 45.b. f.
Crocodilites 44. a. p.
Cruditatis ſigna 80. b. p.
Cteſiphontem Rhetorem non ſine ratione eiecerunt Lacedæmonij 20. a. m.
Curia, quid ſit 29. a.m.
Cynoſarges, vbi ſpurij Athenis exercebantur 67.b.m.

D

Daniel innocentem Suſannam eloquentia ſua liberauit 165. a. m.
Definitio, quid ſit 115. b.m.
Definitio vera ex genere, & differen-

rentijs conſtat ibid.
Definitionē, & deſcriptionem pro eadē vſurpāt oratores, 115.b.f
Definitio facit, vt quid res ſit, intelligatur 127. b.p. & deinceps tota pagella.
Deliberatiuum genus 87. a.f.
Demades Rhetor inſignis 64.b.m.
Demetrij Phalerei dictum elegās de eloquentia 10.a.m.
Democritus, Pythagoræ imitator 43.a.m.
Democritus cur perpetuo rideret. 43.a.m.
Democritus, elegantis ſermonis ſtudioſiſſimus fuit, & lepidos iocos ſectari ſolitus 47.b.p.
Democritum πένταθλον fuiſſe cognominatum 47. b.m.
Democritus, cur oculis ſe priuauit ibidem.
Quantum rerum naturalium peritus eſſet, quomodo Hippocrati declarauit 47. b. m.
Democritus, innumerabiles eſſe mundos cenſebat ibid.
Democritus, omnium rerum principium ſtatuebat atomos, & inane 47. b.f.
Democriti, dicta ſententioſa 47. b.f 84.a.f.
Demonſtratiuum genus 87.a.f.
Demoſthenes frequentiſſimus Platonis auditor 9.a. p.
Demoſthenem, & Ciceronem pari ætate illuſtriſſimas orationes habuiſſe 4.b.m.
Demoſthenes ſexaginta annos vixit 4.b.m.
Demoſthenem ad fluctum declamare ſolitum 56. b.p.
Demoſthenis enthymemata lucernam olebant 61.b.f.62.a.p.
Demoſthenis pronunciatio à Satyro hiſtrione, emēdata 62.a.p.
Duo in Demoſthene commendantur 62.a.m.
Demoſthenes, Platonis auditor fuit ibidem.
Demoſthenes nunquam niſi præmeditatus, & paratus ad dicendum veniebat 70.a.f.
Demoſthenem, alterum mater, alterum induſtria enixa eſt, 75.a.f.
Demoſthenes, quando obmutuit 78.b.p.
Demoſthenes ſubterraneum domicilium habebat, in quo ſe exercebat 89.a.f.
Demoſthenis celebre dictum 89. b.m.
Dialectica, contracta, & aſtricta eloquentia. 55.a.m
Dialecticam eſſe oratori neceſſariam. 55.a.m
Dialectica, clauis, & organum totius philoſophiæ. 113.b.f
Dialogus. 27.a.p
Quis primus Dialogum excogitarit, & ſcripſerit. ibid.
Dicendi genera, tria ſunt præcipua. 155.b.m
Dictio forēſis duas habet partes, quarum vna pertinet ad mores effingendos in oratione, & appellatur ἠθικὴ: altera ad animos vehementius commouendos, & παθητικὴ dicitur. 1. b.p
Dictio forenſis, quæ admirabilem eloquentiā facit, qualis ſit, ibi.
In vtroque genere plurimum excellit Cicero. 1.b.m

Dio-

Diodorus Clitomachi auditor. 45.b.f
Diogenis Cynici celebre dictum. 79.a.m
Diſciplinas omnes a Græcis ad Romanos fluxiſſe. 18.a.p
Diſerti, & eloquentis differentia. 58.b.p
Diſertè, minus eſt, quam eloquenter. 54.a.m.
Diſertus in dicendo, quis appelletur. 65.a.m
Diſpoſitio. 87.b.m
Diſſerendi ratio. 13.a.p
Diuites in ſacris literis, ab æterna fœlicitate repellũtur. 161.a.m
Diuortium. 114.a.f
Doctos homines a dicendo tria retrahunt. 70.a.m
Doctrina, atque vſus forma eſt, per quam efficitur eloquentia. 19.a.m
Doctrina. 26.b.m
Doctrinæ genera duo tantum. 13.a.p
Dodonæus fons. 15.b.m.
Domos luteas a Doxio Gellij filio primo constructas. 35.b.m
Domos lateritias ab Euryalo, & Hyperbio.ibid.
Tegulas quibus teguntur domus a Cinira Agriopæ filio primo ſtructas. 35.b.m
Muros Thraſon fecit primus. 35.b.m
Domus locuples, ac referta quadrupliciter ornari ſolet. 98.a.p
Doxium Cæli filium, lutei ædificij inuentorem fuiſſe. 119.a.p
Draco, leges Athenienſibus dedit. 5.b.f. 19.b.m
Duellius primus Carthaginenſes bello nauali ſuperauit. 4.a.m
Dupla proportio. 114.a.m

E

Eandem incudem tũdere. prouer 81.a.m
Eleus Hippias ſe omnia ſcire profitebatur. 12.b.f
Eloquentiam admirabilem duo efficiunt. 8.b.p
Eloquentia vtrum liberalium artium doctrinã deſideret. 8.b.m
Eloquentia, & ars imperatoria hominem in ſummo dignitatis gradu collocant. 10.a.m
Eloquentia fonti Dodonæo conferri poteſt. 15.b.m
Eloquentiæ Romani iuuenes, cur ſtuderent. 18.b.p
Eloquentia maximè omnium expetenda. 31.b.m
Eloquentia duplex. 31.b.m
Eloquentiæ laudes. 31.b.m
Eloquentiæ publicæ laus a fine. 31.b.m
a conſequentibus. 32.b.m
Ab effectu. 33.a.p
a partitione. 33.a.m
a diſtributione locorũ. 33.a.f
Ab euentis. 33.b.m
a ſimilitudine. 3 .b.f
Eloquentia publica, quatuor in locis ſeſe oſtentare conſueuit, 34.b.p
Eloquentiæ priuatæ laus ab Adiunctis. 34.b.m
A comparatione. 34.b.m
Eloquentia rebus publicis ſæpenumero maximè nocet. 39.a.p
Eloquentia ex rebus, & verbis conſtat. 47.a.p

Elo-

Eloquentiæ maxima vis, & iucunditas.91.b.m
Eloquentia chriſtiano viro neceſſaria.164.b.f
Eloquentia damnoſiſſima cenſetur.163.a.f
Eloquentiam ex ſacris libris ex-pulſam.163.b.p
D.Paulus eloquentiam repellit.163.a.m
Eloquentia non eſt honeſta. 163. a.m
Chriſtiano viro perniciosiſſima,ibidem
Eloquentiæ laudes. 162.b.m.& 164.m.& deinceps.
Eloquentia omnium præſtantiſſima.162.b.f
Eloquentia improbatur. 163.a.m
Eloquentia, copioſè loquens ſapientia.164.a.p
Eloquentia niſi prius fuiſſet,nullas leges haberemus.165. b.p
Eloquentia, a difficultate commendatur.76.b.p
Eloquens,quis.65.a.m
Elocutio.87.b.m
Elocutionis virtutes quatuor. 88. a.f.88.b.p
Empedocles.135.b.m
ἐγκυκλοπαιδεία, 14.a p
ἔνδοξον, *quid.147.b.m*
Eunius calaber poeta maximi nominis.93.a.f
Enthymema, corpus eſt, & fundamentum fidei faciendæ. 60. b.m
Epaminondas Thebanorum Imperator.128.b.m
ἔπεα πτερόεντα, *97.b.f*
ἐποχή. *59.a.f*
Eremodicium, quid.141.a.m
Euagoras Sophiſta taxatur. 18. b.m
Euagoras Sophiſta reprehenditur a Sytiano.90.a.p
Eudoxus in Aſtrologia facilè princeps.25.b.f
Euphrates philoſophus.70.a.m
Euxinus pontus, cur Axenus antea dicebatur.107.a.p
Exemplis frequentiſſime uti debet orator.21.a.f
Exempla plurimum ualere,ad concitandos adoleſcentium animos. 157.b.m
Exempla, magis imperitos mouent, quàm argumenta.61.b.f
Exercitatio neceſſaria.9.a.m
Exercitatio plurimum poteſt. 9. a f.
Exercitatio matutina, valetudini conducit 29.b.m.
Exercitatio 89.a. f.89. b.m.
Exercitationis tres ſpecies 90.b.f.
Exercitationis duo genera, 92. b. m.
Exercitatio vmbratilis 95. a. m.
Exercitationis genera quinque 156. b. m.
Exilium triplex 108.a. f.1.a.m.
Exordia rei de qua tractat,aliquo modo coniungere conatur Cicero 3. b. p.
Exordium, & concluſio, valent ad motum animi 32. a. p.
Exordium 88. a.m.
Exoterici libri,qui fuerint 3.a.f.
Extare, ſine motu, & cum motu ponitur, exiſtere verò ſemper cum motu 47. a.m.

F

Fabia gens Romæ 79.a.f.
Fabius maximus cunctator appellatus 128.b.m.
Facetiarum quatuor genera 21.a.p.
Feciales ſacerdotes, qui 110.b.f.
Felicium multi ſunt propinqui, & cognati prouer. 155.a.p.
Finis primo in omni arte,ac ſcientia ſpectatur 86.a.f.
Florere, ad omnem excellentiam traducitur 3.b.f.
Flumen aureum orationis fundere 9.a.p.
Foedera diſtant à pactionibus 96.b.m.
Foedus, quid ſit ibid.
Foederis, tria ſunt genera 96.b.m.
Fontes abditos, & reconditos per tranſlationem quos appellat Cicero 15.a.f.
Fontes 15.b.p.
Digitos ad fontes intendere ibid.
Fons Dodonæus 15.b.m.
Fontes, pro ſcientijs 65.a.f.
Fontes ipſi ſitiunt prouerb. 65.a.
Fortunæ rota 5.a.m.
Forum, quid ſit 29.a.m. 34.a.p.
Fructus, pro vtilitate, quæ percipitur ex aliqua re 5.b.f.
Fructus vigiliarum 5.b.f.
Laboris ibid.
Diligentiæ ibid.
Fructus ocij, qui ex literis percipitur 5.b.m. & f.
Fundorum, & rerum ruſticarum differentia 152.a.f.
Furioſus, quis dicatur 49.a.m.
Furioſum 12. tabulæ noluerunt eſſe dominum ſuarum rerum, 49.a.f.
Differentia inter inſaniam, & furorem 49.a.f.

G

Gallus quidam reprehenditur 107.b.m.
Gentiles, qui 105.a.p.
Gentiles duobus modis dicuntur, 107.b.f.
Genus quid ſit 114.b.f. 115.a.f.
Gn. Carbo, eloquentiſſimus 41.b.f.
Gorgias Leontinus ſe omnia ſcire profitebatur apud Platonem 12.b.m.
Gorgias Leontinus centum, & nouem vixit annos 15.a.m.
Gorgiæ ſtatua aurea Delphis poſita 46.a.m.
Eius nonnulla dicta, arguta, ſententioſa 46.a.m.
Gorgias Siculus, Leontinus, primus ab eloquentia maximum nomen ſortitus eſt 70.a.p.
Græcorum eloquentia multos tumultus in repub. Romana concitauit 163.b.p. 165 a.m.
Grammatica 13 b.f. 14.a.p.
Grammaticus, & Grammatiſta differunt 14.a.m.
Grammatica quondam, & Muſica iunctæ fuerunt 13.b.f.
Grammaticus præſtare debet 114.b.m.
Græciam eloquentiæ principem 16.b.p. ratio ibid.
Græci quaſi ludibrio habiti ſunt à Romanis 18.a.f.

Græco-

Græcorum doctrina, perridicula. 18.a.f

Græcorum ingenium. 18.a.f

Græcis quatuor ea attribuit Cicero, quæ in eo eſſe debent, qui rerum omnium cognitionem acquirere velit. 25.a.m

Græci, doctrina, atque ingenio cæteris ſemper anteſterunt. 26. a.f

Græcos reprehendit Cicero. 46.a m. 46.b p

Græci, malè audiebant apud Romanos. 69.b.m

Græci, cur palliati dicti ſunt. 73. b.f

Gymnaſij Platonis inſcriptio. 13. b.m

Gymnaſia, aliquando pro balneis capiuntur. 67.b.f

H

Hegeſias Cyrenaicus. 123. b.m

Herciſcere. 145.b.f

Herculis Ogmij, catenæ aureæ. 91.b.m

Hermodorus Siculus. 53.b.m

Hermodorus Epheſius, cur ab Epheſijs è ciuitate eiectus. 53. b f

Hermodorus, Romanorum naualium architectus. 53.b.f

Hexeres, & Hepteres, 106.a p

Hieronymus de Lactantio. 87.b.f

Homeri laus 56.a m

Homines opinioſi. 19.b.f

Homines imi ſubſellij qui. 34.a.f.

Hominem ad intelligendum, & agendum eſſe natum. 58.a p

Hominem præſtantem in aliqua re, tria efficiunt. 84.b.f

Hominum inſania, ac vecordia. 160.b.m

Honeſtum quid. 163.a.m

Honeſtum non eſt, quod non idem ſit utile. 163.a.m

Honorum decurſus. 4.b.f

Hortenſius. 9.a.m

Humanitatem, pro omni ſcientia. 36.b.f. 37.a.p

Humanitatis ſtudia, dicuntur omnes artes liberales. 37.a.m

Humanitas. 71.b.f

I

Imitatio vera quantum valeat, & quomodo comparanda 2. b.f

Imperator eximius longè præſtantior, & Reip. vtilior, quàm excellens orator 10. a. p

Imperatoria ars & eloquentia hominem in ſummo dignitatis gradu collocare poſſunt. 10. a. m.

Imperatores egregios vndecim apud Romanos eodem tempore fuiſſe 10.a.f

Eorum nomina ibid.

Imperator 52.b.f

Imperator 128.a.p

Imperatoris definitio ibid.

In ſummo Imperatore quatuor res ineſſe oportere 128.a.m.

Impudentiam ad omnia turpia maximam eſſe ducem 78.b f.

Ineptiæ tantum in plurali dicuntur 73.b. f

Ingenio tardiores maiore memoria præcellunt 7. b. m.

Ingenioſiores paruam plerumque

memoriem habent, & maiorem reminiſcendi vim ſortiuntur 7.b.f
Ingenium 18.b.f.19.a.m.
Ingenio, tribus de cauſis alterum alteri præſtare 58. a.m.
Ingenium alitur induſtria 75.a.p. 91.a.m.
Inbibere, quid ſignificet 92.b.p
Interdictum, quid 42. a m.
Interdicere, apud veteres quid ſignificet 42.a.f
Inuentio 87.b.m.
Ioannes Zezes Heſiodi commentator 14.a f.
Iocandi genus, duplex 20.b.f.
Iracundia tres definitionis ſpecies 136.b.f
Ironia, quinque potiſſimum ſpecies 40.a.f
Iſſaus 70.a.m
Iſocrates 9.a.p.
Iſocrates ἐχνῶσις 75.b.f
ἰθμὸς 1.b.p.
Iucundus, & gratus, differunt, 125.a.m.
Iudiciale genus 87.a.f
Iudicia priuata, ſumma exiſtimationis, & penè capitis tria ſunt 101.a.f
Iudicium, & deliberatio, vnum dictionis genus 25.b.p
Ius ciuile Papirianum 41.a.p
Iuris prudentia 121.b.p
Iuris ciuilis definitio 115.a m.
Ius applicationis. 108.a.m.
Iuris ciuilis ſcientia, prẽſtantes & clariſſimi uiri. 121.a.f. 121. b.p.
Iuris ciuilis ſcientiam irridet Cicero. 21.b p.
Iuriſconſulti, præclarum encomiũ 122.a.p.
Iuris ciuilis ſcientia, maximè laudabilis, & expetenda. 144.a. f 144.b.p.
Iuriſconſultus ſenex, tanquam totius ciuitatis oraculum. 155. b.f.
Iuuenes, quę diligenter audire, meditari, memoriç mandare debent. 2.b.p.
Iuuenes, cur magis erubeſcunt. 78.a.f.
Iuuentus bene inſtituenda. 60. a.m.

L

Lacedæmon, & Athenę, duę præſtantiſſimæ ciuitates in Græcia. 16.b.m.
Lacedæmonij diſciplinas omnes aſpernabantur. 16.b.m.
Lacedæmonij, cur ſeruos ebrios, liberis ſuis oſtendebant. 82. a.m.
Laconiſmus. 74.a.f.
Lælius quidam ſcripſit erotopægnia. 14.b.m.
Laqueus, laqueum cępit prouerb. 41.b.f
Laudare ſe quiſpiam ſine inuidia quo pacto poſſit. 5.a p.
Laudis cupiditas in adoleſcente maximè laudatur. 17.a.m.
Laus potentiſſima eſt ad excitandum animum. 21.a.p.
Leges ab initio populus Rom. nulles habuit. 41.a.p.
Leges 12. tabularum. ibid.
Leges curiatæ. 41.a.p.
Leges, originem habent à Deo. 35.b.f.

Le-

Legum inuentor eloquentiſſimus 105.a.ſ.
Leges non eſſe bonis traditas, ſed improbis. 151.b m.
Leges bonæ, ex malis moribus ortæ. ibidem.
Lex mancipij. 108.b.ſ.
Libertas. 112.a.p.
Libertatem aliquis tribus modis acquirebat. 112. a.m.
Librorum duo genera. 3. a.ſ.
Literatus, quis vocetur. 14. a. p.
Literatus, à literatore diſtinguitur. 14.a.m.
Literas ab Athenienſibus fuiſſe inuentas. 16.b.m.
Locus à ſpei fruſtratione. 5. a. m.
Maximè animos perturbat, atque concitat. ibid.
Locus Ciceronis ab Alciato illuſtratus. 107.b.m.
Locus communis à tabulis, & cõtra tabulas. 106.b.ſ.
Loci communes, ſubtilius à philoſophis tractantur, ſed plenius, & copioſius ab oratoribus. 51. a. m.
Locutulei, & linguaces, qui. 74. a. ſ.
Logicam clauem quandam, & organum totius philoſophiæ eſſe. 13.a.p.
Loquendi vnctior quadam, ſplendidiorque conſuetudo. 59. a. p.
L. Brutus populum concitauit vt Tarquinio Regi portas vrbis clauderet, & eum Regno priuaret. 38.b.m.
L. Craſſus eloquentiſſimus. 8. a.p.
L. Piſo, frugi fuit appellatus. 70. b.ſ.
Lucretia ſtuprata. 28.b m.
Ludi Scenici. 27.b.m.
Dicti ſunt etiam Circenſes. ibidem.
Luctari cum Laruis prouerb. 57. a. p.
Lucullus. 98.a.m.
Lux in nu ſeruitus. 105.b m.
Luſciniæ laudes. 1.a.p. & deinceps tota pagella.
Luſcinia, cantionum dulcedinem, & harmoniæ ſuauitatem, quã in voce parentum audiunt, omni ſtudio referre contendunt. 2.b p.
Luſciniam mirè de ſuis filijs eſſe ſolicitam, vt rectè, modulateque canere diſcant. 1.b ſ.
Lux ſicca, anima ſapientiſſima. 58 a.m.
Lycium Gymnaſium. 67. a.ſ. 67. b p.
Apollo lycius 67.b.p.
Lycurgus muſicæ diſciplinam maximè probauit. 13.b.m.
Lycurgus Homeri tempore fuiſſe dicitur 52.a.p.
Lycurgi vitam copioſè Plutarchus deſcribit ibid
Lycurgus leges dedit lacedæmonijs 35.b. ſ 52.a.p
Lycurgus nihil lege vlla in alios ſanxit, cuius non ipſe primus in ſe documenta daret 52. a.p.
Cur Auri, argentique vſum ſuſtulit 52. a. p.
Statuit virgines ſine dote nubere ibidem.
Lycurgus, cur voluntariò perpetuum exilium egit, abijcique in

mare oſſa ſua moriens iuſſit 52. a.m. 1 19.b.p.
Lycurgus ſumma diligentia iuuentutem erudiendam ſtatuit. 60. a.m.
Lycurgi nonnulla ridicula 120. a.m.
Lyſias orator 142.a.f.
Lyſippus ſtatuarius eximius, 9. b.m.
Lyſias orator facundiſſimus 163. a.f.

M

Mago Chartaginienſis, 152. b.f. 153.a.f.
μαλακία 60. a.f.
Mali corui, malum ouum 63.b m.
Mancipia,quæ dicantur 105.a f.
M. Aemilius Lepidus,ſummus orator 41.b.m.
Mar. Antonius eloquentiſſimus, 8. a.p.
M. Antonius orator cur nullam orationem ſcriberet 65.a.m.
M Antonius orator 123.b.m.
M craſſi celebre dictum 102.a.m.
M. Fuſius Bibaculus Iamborum ſcriptor. 14. b.m
M.Marcellus eloquentiſſimus, & Ciceroni ſimilis 51.a.m.
Fuit auditor Cratippi Peripatetici ibidem.
M.Marcellus à P. Magio Chilone familiari ſuo,duo vulnera accepit, quibus mortuus eſt 51.a.f.
Marius. & Sylla grauiſſima inter ſe bella geſſerunt 6. a.m.
Materia, & forma, non tantum cauſæ, ſed etiam principia rerum dicuntur 80.a.m.
Mathematici quantitates tantum & proportiones cõſiderant 13. a.m.& 15.b.f.
Mathematicis ſcientijs, nihil illuſtrius 13.a.f.
Mathematici quomodo res ſuas probent, ac conſiderent 53.b.m
Mathematica diſciplina, quatuor 114.b.p
Marius belli experientiſſimus,ſed literarum imperitus 54.b.m
Marius literas græcas ſpernebat 54 b.m.
Marius, apud Salluſtium ibid.
Medicina licet ab experimento nata ſit, tamen in ea plus generalis cognitio valet, rerum ſingularum experimentum 89. a.m.
Medici officium 86. a.f.
Medici optimi officium 162.a.m.
Meditatio 9. a f.
Melanthone, & Polydora,Penelopes ancillæ 12. a.f.
μελέτη πάντα δύναται prouerb. 9. a.f.
Memoria 87.b. m
Memoria, quid ſit 88.a.p
Memoria quomodo confirmari, atque augeri poteſt 7.b.f. 8.a.p
Memoriæ tres gradus 10. b. m
Memoria rerum omnium theſaurus 65.a.f.
Memoria duplex 22.b.m.
Memoria Mater Muſarum dicitur 22.b.p.
Memoriæ duplex eſt exercitatio. 94. b.f.
Menedemus 59 b.f.
Menenius Agrippa 17. b. m.& 164. b. m.
Mens quid 152.b.p
Mens videt, mens audit prouerb. ibid.

ibidem.
Mercurius, leges Aegiptijs dedit. 35.b.f.
Mercurio, cur talaria pedibus, atque alas addiderunt 97.b.f.
Meſſis, quid 152.b. m
In alienam meßem falcem immittere, & miſeram meſſem metere prouer. 152.b.m
Methaphiſica, res omni materia carentes, & ſempiternas conſiderat 53. b. m.
Methaphiſica, intellectum perficit 53. b.m.
Methodus 61. b. p.
μέθοδος vt latine dicatur 125. a. f.
Methodici, qui eſſe exiſtimentur, ibidem.
Metaphora maximam venuſtatem continet 5. b. p
Metaphora 6. b. m
Minos, leges Cretenſibus dedit. 35. b. f.
Metrodorus 45.b.m.
Mneſarchus ſtoicus, oratorum inimicus 45.b.m.
Modeſtia, quid ſit 60.b.p.
Modulationum quatuor genera. 114.a.f.
Mopſus, Amphiaraus, Calcas augures 41.a.m.
Mores diuturni, conſenſu vtentium approbati, legis habent vigorem 41.a m.
Mors, Somni ſoror 46.a.f.
Motus animi celeres 74.a.f. 75. a.p.
Muli Mariani prouerb. 54.b.f.
Muliebris eiulatio 5.a.f.
Mulieres apud Romanos lege Voconia ab hæreditate excludebantur 105.a.m.
Mulier diues tribus præcipue rebus cenſetur 144.a.m.
Modum harmonia compoſitum eſſe 13.b.m.
Munychia, quæ dicerentur 154. a.m.
Munychion menſis. ibid.
Muſicam antiqui maxime venerati ſunt 13.b.m.
Muſicæ laudes 13.b.m.
Muſicę tres partes 114.a.m.
Mutus Hipparchion. prouerb. 78. b.p.
Myſtiriſmot, quid ſit 40.b.p.
Myſteria. 125.b.m.
Myſteriorum duo genera. ibidem.
Myſtæ. 125. b.f.
Myſtagogi. ibid.
Myſteria à Dioniſio inſtituta. 126.a.p.

N

Narratio 88.a.m.
Neſtorem trecentos annos vixiſſe. 1. a.f.
Neſtor, & vlyßes eloquentiſſimi 16.b.p.
Nexi, dicebantur liberi homines. 105.a.f.
Nexum, genus obligationis. ibidem.
Numa Pompilius Romanorum rex ſecundus. 38.a m.
Numerus, pro ſocietate ſæpe ponitur. 63.b.m.
Numerus. 114.a.m.

O

Ocij fructus. 5.b. m.
Officium oratoris, & medici.

ci.86.a.f.
Onus.24.a.
Operarij, qui dicantur.59.b.m.& 158.b p.
Opinio plurimum differt à ſcientia.19.b.f.
Opinio.20.b.
Oratio operis eſt vmbra. 47. b.f.
Oratio polita, & elegans. 20. a.f.
Oratio copia rerum ornata eſſe debet.154.a.p.
Oratio florida, quomodo fit. 23. b.f.
Oratores fonti Dodonæo conferri poſſunt.15.b.m.
Oratoriam artem à Poetis manaſſe.15.a.m.
Oratores Romæ nulli, longo tempore fuerunt.10 b.f.
Oratori futuro, quę neceſſaria ſint 20.a.m.21.b.m.
Magnum oratorum numerū quinque efficere poſſunt. 20. a. p.
Oratoris tres quaſi campi, in quibus vim, atque robur eloquentię poteſt explicare. 33. a.f.
Oratores pro Roſtris ad populum concionari ſolebant. 33. a.f.
Orator, tanquam Rex quidam potentiſſimus, & liberalis. 33. b. m.
Oratorem neminem eſſe ſtatuit, niſi idem ſapiens, atque prudens fuerit. 37 b.m.
Orationes funebres Romę pro Roſtris habebantur. 33.b.p.
Oratoria facultas, alia eſt in homine, alia in re, atque natura.65. b. m.
Orationis partes ſex. 88.a.m.
Orationis præcipuam virtutem, σαφήνειαν.88.b.p.
Orator debet exemplis & veteribus & nouis abundare. 95. b.f.
Nulla eſt ars ingenua, quę non oratori aliquo modo prodeſſe poſſit.ibid.
Oratori iuris ciuilis cognitionem eſſe neceſſariam. 100. b. m. 101. a. p. 102. a. m. & deinceps.
Orator perfectus, moralis Deus exiſtimatur. 123. b p.
Oratoris definitio.130.b.m.
In oratore ſeptem conſideranda ſunt.130.b.f.
Orator quomodo debeat varias artes, & ſcientias cognoſcere. 136.a.m.
Orator eloquentia ſua facilè ius ciuile ſubuertere poteſt. 146. a.f.146.b p.& deinceps.
Oratoris definitio.157.b.m.
Oratorem multarum rerum ſcientiam habere oportet. 46. b.m. 47.a p.& deinceps.
Orator, qui ſit.46.b.f.
orator de omni re verſimiliter dicat.47.a.m.& deinceps. 49. b.m
Oratoris proprium, oratio grauis, ornata, hominum ſenſibus accommodata 50.a.f.
Oratori multa eſſe neceſſaria, de quibus Rhetores nihil docent. 50.a.f.
Orator, tria efficere debet 50. b.p
Orator, quando nomen oratoris amittat 50. b. p.
Orator plenus, atque perfectus, quis 51.b.m

Orato-

Oratoris facultate, omnes ſcientias illuſtrari 53.*b.p.*

Orator de vita, & moribus copioſè diſputare ſciat 55.*a.p.& f.*

Oratori perfecto, quatuor ſunt neceſſaria 58.*a.m*

Duo in Oratore eſſe oportet. 61.*b.p.*

Oratorem ſine philoſophiæ cognitione, conſtare non poſſe 61.*b.m*

Oratores, exemplis frequentius quàm argumentis vti ſolent. 61.*b.f*

Oratori futuro, quinque naturæ dona neceſſaria ſunt 75.*b.m*

Oratoris officium 86.*a.m*

Oratoris eſt perſuadere dictione 86.*a.f.*

Oratoris proprium quid ſit, 88.*a.p.*

Oratoris artem totam militię comparat cic. 95.*b.m*

Ordine nihil melius 87.*b.f*

P.

P Acuuius poeta Tragicus, & pictore gregius. 15 *a.a.*

Paan proprius erat Apollinis. 154.*a.m.*

Paleſtra, lucta certamen 56.*b.p.* 67.*a.m.*

In Paleſtra nudi, & oleo perfuſi luctabantur 59.*a.p.*

Paleſtram, pro venuſtate 59.*a.p.* πάλη 57.*a.p.*

Paræmia, quid ſit. 40.*b.*

παραμύθιον 31.*a.p.*

παράγραμμα 21.*a,p.*

παρὰ προσδοκίαν 21.*a.p.*

Paraphraſis, quid ſit 92.*b.p.*

Hoc exercitationis genus vehementer improbandum 92.*b.f.* 93.*a.p. & deinceps tota pagella.*

Parietes 105.*b.p.*

Patientiæ quid 60.*a.f.*

Patrimonium, quid 18 9.*b.f.*

πάθητικά 1.*b.p.*

D. Paulus eloquentiam repellit. 163.*a.m.*

D. Paulus eloquentiſſimus 164.*b.m.*

Percellere, idem quod euertere, & proſternere 41.*b.f.*

Perhumanus, quis habendus. 7.*a.p.*

Pericles eloquentiſſimus & erudītiſſimus fuit 8.*b.f.*

Pericles tonare, fulminareque dicebatur 132.*b.m.*

Pericles Anaxagoræ philoſophi ſtudioſiſſimus auditor fuit. 9.*a.p.*

Pericles omni genere virtutis floruit 1.*b.f.*

Pericles afficiebat auditores vt uolebat 123.*b.m.*

Peripatetici vnde dicti 44.*a.m.*

Perofficioſus quis 7.*a.p.*

Perorotio 88.*a.m.*

Perſonarum collaudatio in exhortando plurimum valet 31.*a.p.*

Perturbationes animorũ 20.*b.m.*

Peſcennius Niger 83.*b.m.*

Pherecides Syrus proſam orationem condere inſtituit 15.*a.m.*

Pherecides Pythagoræ magiſter quomodo terræmotum inſtare cognouit. 28.*a.f.*

Philoſophiæ laudes. 35.*a.m.*

Philoſophandi ratio triplex. 25.*a.m.*

Philoſophi, quos beatos exiſtiment. 4.*a.m.*

Philoſophia artium regina. 12.*a.f.*
Philoſophiæ laudes. 12.*a.f. & deinceps.* 11.*b.p.*
Philoſophorum, vita eſt mortis contemplatio. 15.*b.f.*
Philoſophia mater omnium artium. 113.*b.f.*
Philoſophia naturalis tres in partes diuiditur. 53.*b.p.*
Philoſophi noſtrates, barbarè loquuntur 48.*b.f.*
Philoſophiæ diſtributio ſecundum Platonem. 55.*a.m.*
Philoſophus omnibus rebus veritatem anteponit 137.*b.p.*
Philoſophi deſcriptio. 130.*b.m.*
Philo, Athenienſibus armamentarium fecit. 53.*a.m.* 52. *b.m.*
Phormio Peripateticus philoſophus. 47.*a.m.*
Annibalis de Phormione iudicium. ibid.
Phoroneus, leges Argiuis dedit. 35.*b.f.*
Phydias, ſtatuarius eximius. 9.*b.m.*
Phyſici, quæ ſub ſenſum cadunt, conſiderant. 53.*b.p.*
Pictura. 56.*b.p.*
Pilæ ludus. 56.*b.p.*
Piſander, eò dementiæ venit, vt vehementer pertimeſceret. 49.*b.p.*
Piſiſtratus qua arte dominatum compararit. 123.*b.m.*
Piſiſtrati eloquentia multos tumultus apud Athenienſes concitauit. 163.*b.p.*
Piſonum familia, Romæ nobiliſſima fuit. 70.*b.f*
Pithagoras ἐχεμυθίαν *vehementer probabat.* 74.*a.f.*
Platanus arbor vmbræ gratia tantum. 29.*b.f.*
Plato. 4.*a.p.*
Platonis oratio Laudatur. 46.*a.p.*
Platoni infanti apes mel in os ingeſſerunt. 46.*a.m.*
Platonis oratio Laudatur. 48.*m* 58.*b.f.*
Plato veteris Academiæ princeps. 43.*b.m.*
Plumbeo gladio iugulare. 163.*a.p.*
Plus quatuor modis petitur. 101.*b.f.*
Poetas magis naturæ viribus, quam doctrina, & arte excitari. 14.*b.m.*
Eos ſapientiæ patres nuncupat, Plato. 14.*b.f.*
Poetæ Deorum interpretes. ibid.
Polycletus ſtatuarius admirabilis. 9.*b.m.*
Pontifex. 117.*a.f.*
Poſtliminium. 111.*a.p.*
Poſthumus, quis. 110.*a.p.*
Præmia ſolent ad virtutem inflammare. 18.*b.f.*
Præſtare, quid ſignificet. 74.*b.p.*
Præſtare culpam. ibid.
Præſtare vitium rei. Præſtare fidem. 74.*b.p.*
Prætor vrbanus. 57.*a.m.*
Prætor peregrinus. 57.*a.m.*
Prætores decem, & octo in vrbe fuerunt. 57.*a.m.*
Prætores. ſex lictores tantum, cũ ſecuribus, & faſcibus habebant 57.*a.m.*
Prætor, quis. ibid.
Prætorium, quid ſit. ibid.
Prætoria cohors. 57.*a.f.*

Præ-

Prætura tertius dignitatis gradus ad conſulatum.4.b.f.
Pragmatici, qui.120.a.f.
Primi Comitis laudes.159.a.f.
Primoribus labris, prouerb.61.b.m.
Princeps, pro primo.25.b.f.
Princeps publici conſilij, quis. 26.a.p.
Proci Penelopes.12.a.f.
Profiteri, quid ſit.44.b.m.
Pronunciatio.87.b.m.
Propoſitio.88.a.m.
Propriorum malorum obliuio, gignit audaciam.78.b.f.
Protogenes in pictura admirabilis.9.b.m.
Prudentes, qui dicendi ſint.28.a.m.
Prudentia, pro ſcientia, contra Calcagnini ſententiam.60.a.p.
Prudentia ſenectutis propria. 121.b.p.
Prytaneum, quid.143.a.p.
P. Craſſus.103.a.p.
P. Rutilius cur damnatus.139.b.m.
P. Lentulus Clariſſimus, & amantiſſimus Reip. ciuis.129.a.f.
Pudor, maximè laudatur in adoleſcente.99.a.m.
Pueri cur infirmam, ac debilem memoriam habent.7.b.f.
Pugnax, & Pertinax, differunt. 64.b.f.
Puluinus quid ſit.30.b.m.
Puluinar quid.30.b.m.
Purpura iuxta purpuram eſt diiudicanda.119.a.f.
Pythagoras primus ſe philoſophũ appellauit.12.b.m.
Pythagorei in muſica maximè ſe exercebant.13.b.m.
Pythagoras numeros rerum omnium principia eſſe ſtatuebat. 13.b.p.
Pythagoras Samius primus philoſophus appellatus.42.b.f.
Pythagoræ Samij vita.42.b.f. & 43.a.p.
Pythagoras dicebat animas poſt mortem tranſire in alia corpora.43.a.p.
Pythagoræ præceptum.24.a.f.

Q

Quæſtionum duo ſunt genera.86.b.p.
Quæſtio infinita.86.b.p.
Quæſtio definita ibid.
In omni Quæſtione tria quæri poſſunt.86.b.m.
Quæſtiones in ſcripto poſitæ.87.a.p.
Quæſtio coniecturalis.104.b.m.
Quæſtio coniecturalis propria eſt oratoris.111.b.p.
Quæſtura primus dignitatis gradus ad conſulatum.4.b.f.
Quæſtores, 45.a.f. & deinceps. 45.b.p.
Quintus Cicero eruditus, & eloquens.4.b.p.
In armis præſtantior. ibid.
Aſiam triennio magna cum laude adminiſtrauit.4.b.p.
Q. Fabius maximus, Annibalem ſua prudentia fregit.79.a.f.
Q. Metelli felicitas.129.b.m.
Quinqueremes.106.a.p.

R

REfutatio 88.a.m.
Religionis autores Aegiptii 41.a.f
Remmiſcentia ſolius hominis propria 7.b m
Reminiſcendi vis ſolis hominibus data 7.b.f
Repetere recordationem veteris memoriæ 7.a.m. 7 b.m
Reprehenſio, quid ſit 32.a.m
Rhetorica nobis quodammodo naturalis 9.a.f
Rhetoricę finis eſt perſuadere dictione 44.b.f
Rhetoricā nullam eſſe artem 62.b.f 63.a p.
Rhetoricę ſunt omnes participes, 63.a m
Rhetorice, an ſit virtus 59.b.m
Rhetorica, vtrum ſit ars 69.b p.
De Rhetorica varię fuerunt ſententię 72.a m
Rhetoricam non artem, ſed peritiam quandam gratię, & voluptatis eſſe 72.a.f
Rhetorica, quando dicitur ars, 72.b.f.
Rhetorica, & dialectica communes artes dicuntur 73.a.m
Rhetorica pars ciuilis ſcientię 73.a.m.
Rhetoricę artis, & eloquentię differentia 73.a m
Rhetoricæ, ac medicinę materia 86.b.p
Rhetoricę, quinque partes ſunt 87.b.m.
ῥητορομάσειγ 45.b.f.
Rhodos, olim, & armis, & literis clariſſima 57.a.f.
Rhodos ſoli ſacra eſt inſula 57.a.f.
Romanum imperium non vltra Albim fluuium extendebatur 17.a.p.
Romani, cur ad eloquentiam accendebantur 18.b.p. & deinceps tota pagella.
Romanorum ingenia longè meliora, atque acutiora, quam Græcorum fuiſſe 18.b.f
Romani anno 17. ſumebant togam virilem 24.b.p.
Romani theatralium ludorum ſtudioſſimi fuerunt 77.b.m
Romulus vrbis Romanæ parens 37.b.f.
Aſylum conſtituit, vnde non licebat quenquam per vim abducere ibid.
Roſcius hiſtrio, vnus præter cæteros celebratur 22.a.m
Ruſticorum prædiorum ſeruitutes 108.b.m

S

SAcramentum, quid ſit 143.a.m.
Sapientiam, vſus, & memoriæ filiam 22.b.p.
Sapientia, quid ſit 8.b.f
Fons & principium eleganter, & copioſè dicendi, atque ſcribendi ibid.
Sapientia, quid ſit 13.a.m
Sarcaſmos, quid 40.a.f
Sardi venales prouerb. 39.a.f
Saturnini eloquentia 163.b.p
Scalmus, quid ſit 106.b.f
Scientia, quid ſit 64.a.m
Scientia perueſtigatio 13.a.m

Scotus reprehenditur 165.b.m
Scrupi, qui 155.b.m.
Ludere duodecim ſcrupis ibid.
Sementis quid 151.b.m
Sementem facere, quid ibid.
Vt ſementem feceris, ita & metes prouerb. 152. b.m
Senatoris boni definitio 129. a p.
Tria in bono ſenatore eſſe debent 129.a m
Senatorum optimorum exempla quinque 128. b. f. 129. a. p. & f.
Sententiarum, & verborum lumina cum induſtria perſequenda ſunt 2. b m
Ciceronis eloquentiā vel hac vna de cauſa ſummopere eſſe laudandam 2. b. m.
Sermone nihil admirabilius, atque vtilius humano generi reperitur 162.b m.
Ser. Galba cur in iudicium vocatus 140.a m
Ser. Galba, diuinus in dicendo 41. b. m.
Sermonis, & contentionis, differentia 155. b. m
Serui atrienſes 98. a. m
Serui, cum liberè manumittebantur, ciues Romam fiebant 111. b. p.
Seſqui altera proportio 114. a.m.
Seſqui tertia proportio 114. a.m.
Sicyon vrbs in Achaia 142. b.p.
Similitudo ſatietatis mater 12. b. m.
Simonides artem memoriæ reperiſſe dicitur 88 b.m
Socrates 143. a. f
Socrates primus de moribus verba facere cœpit. 43.a f
Sapientiſſimus omnium mortalium ab Appolline iudicatus 43.a.f.
Socrates cur damnatus 142.a.m
Socrates duriſſimis pedibus, 30. a. m.
Mirum de Socrate ſcribit A. Gellius 30 a.m.
Socratici ſermones, morati 30.a.f.
Socrates maluit iniuſte condemnari quam eloquentiæ præſidio liberari 163.a f
Solon, Athenienſibus leges dedit 52 a m. 119.b.m
Solon, orientem Piſiſtrati Tyrannidem præuidit 52. a. m
Solon, ſenectutem Cypri profugus exegit 52.a. f
Solonis dicta ſententioſa 52.a f
Solonis dictum ſapientiſſimum, 118. a. p
Somnus 29.b.m
Qui, longiore quiete, ſomnoque indigeant ibid.
Somnus maxima animi, & corporis requies 29. b.m
Quies pro ſomno ibid.
σωφροσύνη quid 60. b. p.
Spinæ prouerb. 59.b.m
Sponſa 146.b.m
Sponſus, ibid.
Sponſalia 146.b.m
Status tres eſſe 86.b.m
Status legitimi 87. a. p
Stentore clamoſior 83. b.m
Stillicidium, quid ſit 105.b.m
Stipulatio 108.b f.
Stipulatio quid ſit 106.b.m
Stoici, virtutes inter ſe, æqualeis, & pareis eſſe dicebāt 59. a.m. 59. b. m.
στρατηγική 10. b. m
Stylus, optimus dicendi magiſter 90.

90.a.f.

Stylus, pro ſcribendi exercitatione 90.b.m.

Stylus, propriè quid.90.b.m

Stylum vertere, ibid.

Stylus, pro notatione, & reprehenſione capitur.90.b.m

Subiectio, quid ſit.48.b.f

Subſellia.34.a.f

Sulpitius Gallus.18.a.m

Sulpitius grandis, & Tragicus orator fuit.27.b.f.& 83.b.m

Supellex, quid ſit.100.b.p

Superbus, quis.68.a.f

Superbia Campana. prouer. ibid.

Suſannam hebræam, quis falſa criminatione liberauit.163.a.f

Suſpenſus animus.146.b.f

Sylla Rempub. quaſi regio dominatu oppreſſit.6.a.m

συναθροισμός, quid.20.a.m

T

Tabulas accepti, & expenſi conficere.45.b.p

Tabula quid ſit.106.b.f

Temperantia, virtutis domicilium.60.a.f

Teſtamentorum tria genera. 140.a.f

Teſtamentum inutile.107.a.m

Thaletis Mileſij prudentia, 28.a.m

Theatrum quid ſit.77.b.m

Theatrum, certamen liberi patris dicebatur. Athenis.77.b.m

Theophraſtus.9.a.p

Theophraſtus a diuinitate orationis, nomen inuenit 58.b.f

θέσις. 86.b.p

Theſſalus medicus, amethodos. 125.a.f

Tiberius Gracchus Trib. plebis legem tulit, ne quis plus mille agri iugera haberet.39.b.m

Τίμημα. 143.a.p

Timor, cur pallidos, & tremebundos facit.79.a.m

T. Liuij Patauini laus.164.b.m

Toga virilis anno decimoſeptimo dari ſolebat.8.a.m

Topica ars.87.b.f

Tragœdias in nugis agere. 20.a.f

Tranſenna, quid ſit.98.b.f

Per tranſennam inſpicere. prouer.98.b.f

Tribunorum plebis officium.140.a.m

Tyſias Coracis auditor fuit. 63.b.p

Tyſias a Corace in iudicium vocatus, ibidem.

Tyrtæus Lacedæmonius τριχορίαν inſtituit.5.a.m

V

Valla reprehenditur.47.a.m

Varietas in dicendo maximè laudatur.12.b.m

Verborum delectus, eloquentiæ principium.2.b.m

Verborum electio.20.a.f

Verborum conſtructio.20.b.p

Virgilij locus ab Alciato expoſitus.110.a.p

Virgilij laus.56.a.m

Vires animi, atque ingenij, ad nonum, & quadrageſimum annum, vſque prorogari.5.a.p

Vires corporis ad quintum, & trigeſimum annum augeri.5.a.p

Vindicta virga.111.a.m

Virtus,

Virtus, quid ſit. 61.a.p
Virtutis omnis laus in actione conſiſtit. 71 b.f
Virtuti tria vitia valde inimica. 162.a.m
Virtutes omnes, qua de cauſa complectimur. 162.b p
Virtutem, cur tam pauci amplexentur. 161.a.p
Virtus virum doceri poſſit, necne. 151.b.f
Virtutem nulli ſeruire. 139.a.p Et deinceps.
Virtutis via, difficilis, & ardua. 161.b.m
Virtus radices habet amaras, fructus ſuauiſſimos, 161.b.f
Vlyſſes, & Neſtor eloquentiſſimi. 16.b.p
Vna voce. Vno ore. pro ſummo conſenſu. 45.b.f
Vrbana prædia, quę. 108.b.m
Vrbanorum prędiorum ſeruitutes ibidem
Vrbs Romana in 35. tribus diſpertita. 29.a.f
Vſucapio certa temporis pręſcriptione conſtat. 104.b.f
Vſus, magiſter optimus. 18.b.m
Vſus, ac natura ſapientiam omnem pariunt. 80.a.m
Vulgus quos beatos exiſtimet. 4.a.m

X

XEnophontis voce, muſas locutas. 58.b f
Xenophon. 9.a.p
Xerſem Perſarum regem Platani cuiuſcam ingentis amore capium. 20.a p
Xeuſis, admirabilis in pictura. 9.b.m

Y

ὑπερβολή. 21.a.p
ὑπερβολῇ. 17.a p
ὑπομνήματα. quę. 8.a.p
ὑποθέσεις. 86.b.p

Z

ZEnobia Palmyrenorum regina. 128.a.m
Zeno ſtoicorum princeps. 43. b. m
Zeno Eleates primus Dialogum excogitauit, & ſcripſit. 27.a.m
Zenonis ſententia de rhetorica & Dialectica 55.a.m
Zeuſis, Crotoniatis Helenam pinxit. 26.a.m

FINIS.

Errores admiſſos ſub prælo, ſic corrigat lector beneuolus.

In commentario de partitione oratoria.

Pag.	5	a	lin.	vltima.	latinæ & græcæ leg. latinè & græcè
Pag.	5	b	lin.	35	græcè linguæ, leg. græcæ
	13	a	lin.	30	orationibus leg. oratorib.
	13	b	lin.	36	copioſe leg. captioſe
	14	a	lin.	18	acciperit leg. acciperet
	16	a	lin.	19	indigne leg. indigenæ
	21	a	lin.	37	omnia leg. omnes
	24	a	lin.	17	oſtenditi taq. leg. oſtendit itaq;
	26	b	lin.	16	argumentum leg. árgentum.
	29	a	lin.	7	traditas leg. tarditas
	34	b	lin.	5	partiæ leg. patriæ
	35	a	lin.	9	labeſtantem leg. labefactantem
	35	a	lin.	11	perſemus? leg. perferemus
	35	b	lin.	7	inanimitas leg. inanimatas
	38	a	lin.	15	interium leg. interim.
	45	b	lin.	22	moleſtium leg. moleſtum
	47	a	lin.	7	concludat leg. concludant,
	76	b	lin.	36	vro leg. verò
	99	a	lin.	12	concifitur leg. conficitur
	107	b	lin.	24	literis leg. liberis
	129	a	lin.	8	pe. leg. penè
	148	b	lin.	15	debilitatem leg. debilitatam
	167	a	lin.	20	quæ reudum leg. querendum
	169	a	lin.	9	commube leg. commune
	180	b	lin.	17	reprehenre leg. reprehendere.

In commentarijs Dialogi ad Q. Fratrem.

Pag.	2		lin.	4	haberetur leg. haberet
	33	a	lin.	16	partititione leg. partitione
	39	a	lin.	8	celeſtos leg. ſceleſtos
	43	a	lin.	4	regone leg. regione
	44	a	lin.	19	vocas leg. vocat
	48	a	lin.	11	fuerunt leg. ferunt
	49	b	lin.	23	oratius leg. ornatius
	54	b	lin.	9	erudit leg. erudito
	61	a	lin.	23	videtur leg. videretur
	82	a	lin.	33	orarem leg. oratorem
	105	b	lin.	29	peregrinate leg. peregrinitate
	ibidem				liberate leg. libertate
	ibid.		lin.	35	tricmes leg. triremes
	109	b	lin.	1	ſia- leg. te-
			lin.	2	teil leg. [illegible]
			lin.	3	animam in ſuam tuſenm leg. antequam in ſuam tutelam
	114	a	lin.	17	muſcalis leg. muſicis
	161	b	lin.	36	inruunt leg. irruunt
	163	a	lin.	18	ſanctium leg. ſancitum.
	ibid.		lin.	25	ciui leg. ciuitates.

M. ANTONII
MAIORAGII
PRAEFATIO
IN LIBROS M. TVLLII CICERONIS
De Oratore ad Quintum Fratrem.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

LVSCINIAM Auditores vnam ex auibus, maximè ſolent ij, qui naturas animalium ſcribunt admirari, quòd in tàm paruo corpuſculo, tàm clara, tàm ſuauis, tàm magna, tàm iucunda vox inueniatur: quòd verno tempore, cum frondeſcere arbores incipiunt, quindecim diebus, ac noctibus perpetuis, ſine vlla penitus intermiſſione canere ſoleat; vnde enim in auicula tam pertinax ſpiritus? vnde vis illa continendæ animæ in canendo tanta? vt vna continuatione cantionis, binæ contentiones vocis & remiſſiones contineantur? vnde tàm artificioſa tamquè perfecta Muſicæ ſcientia? tàm ingenioſa modulatio? tàm gratus auribus ſonus? qui modo in longum continuo ſpiritu trahatur, modo ſumma quadam cum varietate flectatur, nunc conciſa uoce diſtinguatur, nunc intorta copuletur? quid cum iterum vocem reuocat, ex integra comprehenſione cantum edit? quid cum modulos, nec opinato de repentequè commutat? quid cum ipſa ſecum iucundè tacita murmurat? nulla mehercle tàm abſtruſa, tàm difficilis, tàm varia cantio eſt, quàm non exprimat vna Luſcinia, plenam, grauem, acutam, crebram, extentam, ſummam, mediam, imam. Quid plura? tam paruulis in faucibus omnia quæ tanto labore, tanta induſtria, tanto ſtudio, tòt inuentis inſtrumentis, genera cantionum, ars hominum excogitauit, integra atque perfecta reperiuntur. Eſt ne huic auiculæ per quàm ſimilis, in diſſimili genere Cicero noſter Auditores? eſt profectò; nam in hoc vno tam perfecta, atque abſoluta prorſus omnis dicendi ratio, vt in ſuo genere non minori ſit admirationi, atque haud ſcio, an etiam maiori, quam Luſcinia, qui dono quodam, (vt ait Fabius) prouidentiæ genitus eſt, in quo totas vires ſuas eloquentia experiretur, clarus, ſuauis, iucundus, grauis, qui diuina ingenij felicitate, quicquid in omnibus alijs auctoribus admirabile, politum, ingenioſum, eximium repetitur, id ſuis in operibus totum effinxit, in hoc vno vis Demoſthenis, copia Platonis, iucunditas Iſocratis vniuerſa continetur. Quis enim hoc in

probando ſubtilior? in delectando temperatior? in flectendo vehementior? Quis cum opus eſt ſubmiſſum illud & humile conſuetudinem imitans, dicendi genus melius & acutius exequitur? Quis inſigne & florens orationis pictum & expolitum genus illud, in quo omnes verborum, omnes ſententiarum illigantur lepores, quod quaſi ſtellæ quadam tranſlata verba, atque immutata plurimum illuſtrant, dulcius tractat, aut ſuauius? Quis in illo ſublimi dicendi genere ſplendidior? grauior, copioſior, ornatior? Iam vero cum duo ſint, quæ bene tractata ab Oratore admirabilem eloquentiam faciant, quorum alterum eſt, quod Græci, ἠθικόν vocant, ad naturam & ad mores, & ad omnem vitæ conſuetudinem accommodatum. alterum quod ijdem παθητικόν nominant, quo perturbantur animi & concitantur, in quo uno regnat Oratio, illud ſuperius come, iucundum, ad beneuolentiam comparandam paratum, hoc vehemens, incenſum, incitatum, quo cauſæ eripiuntur, quod cum rapidè fertur ſuſtineri nullo pacto poteſt, in vtroque certo genere plurimum excellit Cicero, ſed poſteriori tanto ſemper impetu vſus eſt, vt ſæpè aduerſarios de ſtatu omni deiecerit. Huic pro familiari reo, ſummus Orator non reſpondit Hortenſius, ab hoc homo audaciſſimus Catilina in Senatu accuſatus, obmutuit. Huic priuata in cauſa magna & graui cum cæpiſſet Curio pater reſpondere ſubito aſſedit, cum ſibi venenis ereptam memoriam diceret. Quid de miſerationibus dicam? quibus adeo vehementer vti ſolebat, vt ſæpiſſimè totum forum eo dicente queſtibus & lamentationibus impleretur, vt etiam ſi plures Oratores vnà dicerent. Ciceroni tamen omnes perorationem relinquerent, in qua tantum excellebat, ut ab hominibus ſuæ ætatis regnare in iudicijs dictus ſit. Hic igitur tam eximius, tam præſtans, tam diuinus orator non contentus ea, quam ipſe magnis laboribus ex vigilijs conſecutus erat, eloquentia, voluit etiam more Luſciniæ, (ne ab huius auis exemplo diſcedam,) pullos ſuos iucundiſſimis & ſuauiſſimis cantionibus erudire. Tradunt enim hanc auiculam mire de ſuis filijs eſſe ſolicitam, vt rectè modulatéque canere diſcant, atque ideo iuniores ex parentum inſtitutione, magiſtras ſumma cum attentione ſolent audire verſuſque quos imitentur accipere, quos deinde magna cum diligentia recitent, quadam enim viciſſitudine quo melius atque faciliùs diſcant, modo canentes parentes audiunt, modo quæ diligenter audiuere, ſecum ipſæ meditantur, & attentiore cura promere contendunt. Itaque fit, vt ſi quæ paruulæ capiantur, cum nondum canere didicerint, atque inter homines alantur longe deterius canant, quoniam ante legitimum tempus à magiſtris ſubductæ fuerint. Quid ergo? non ne eadem ratione Cicero cantus noſtros, ideſt orationem quæ ſi polita atque ornata fuerit, omnem cantionem dulcedine ſuperat, præceptis & inſtitutionibus Rhetoricis expolire atque exornare contendit? qui cum multa iuuenis adhuc, ac

penè

penè adoleſcens, de arte dicendi præcepta tradidiſſet, poſtea cum per
multos annos in cauſis cuiuſque generis verſatus, tantum honoris ac
dignitatis eſſet aſſecutus, vt Cicero non iam hominis ſed eloquentiæ no-
men haberetur, voluit aliquod opus elegantius, atque admirabilius
extare, quo & variam & mirificam in omni genere doctrinam ſuam
oſtenderet, & ad certam dicendi rationem, atque ad ſummum eloquen-
tiæ faſtigium viam præmuniret. Quamobrem hos de Oratore libros ad
Quintum fratrem conſcripſit, in quibus quicquid erat eloquentiæ, quic-
quid ingenij, quicquid artis, quicquid eruditionis, expreſſit, vt nullum
vnquam neque apud Græcos, neque apud Latinos, hoc in genere præ-
ſtantius opus fuerit, aut eſſe poſſit. Mira profecto res eſt, ſi quis diligen-
ter aduertat, ab vno aliquo mortali homine, tam varium, tam elabo-
ratum, tot diſciplinis, tot reconditis rebus, & quæſtionibus refertum
opus excogitari potuiſſe, cum præſertim tot negocijs publicis, tot occupa-
tionibus, tot impedimentis ſemper Cicero diſtrictus fuerit. Quin adeo di-
ligens atque induſtrius in hoc opere fuit, vt perſonas quas loquentes in-
ducit, ita repræſentet, vt non auctorem operis, ſed ipſas perſonas loqui
exiſtimes. Quid enim Sceuolæ grauitate dignus? Craſſi vbertate flori-
dius? Antonij ſubtilitate preſſius? Equidem ita cenſeo Auditores, ſi quis
hos tres de oratore libros bene perceperit, etiam ſi nihil aliud prorſus
intelligeret, eum doctè grauiter & ornatè poſſe dicere. Quid enim eſt
in vllo doctrinæ genere tàm abſtruſum, tàm reconditum, tàm nouum,
cuius non aliqua ſint in hoc opere, non ſanè leuiter expreſſa veſtigia?
quærantur omnia, tum Græcorum, tum Latinorum dicendi præcepta,
atque in vnum conferantur, certè cum hoc vno opere, neque orationis
grauitate, neque varietate rerum, neque elegantia ſermonis, neque
alia quauis laude comparari, merito poterunt. Quo fit vt hos ego non li-
bros, ſed rerum omnium pulcherrimarum Theſauros appellare ſoleam,
quoniam in eis inuenio tanquam repoſita ſcientiarum omnium orna-
menta maxima: Neq; tamen ideo, quamuis eruditionis pleni ſint, minus
eſt in eis iucunditatis. rerum enim varietas eiuſmodi eſt, vt noſtros ani-
mos oblectare maximè poſſit, cum tàm magnificè, tàm egregiè ſuis lau-
dibus orator veſtiatur, tàm grauiter & ornatè, quid valeat oratoria
facultas explicetur, ſuauiſſimum certè eſt, videre quid oratori natura,
quid ſtudium, quid exercitatio conferat? cur cum hiſtoria, cur poeſis,
cur Philoſophia, cur ius ciuile plurimum adiuuet? quàm latè dicendi
materia pateat? quæ ſint oratori propoſitæ quæſtiones, quæ ſit docendi
ratio, quæ delectandi, quæ monendi, quo modo fieri poſsit, vt ſermo fa-
cetus, ac nulla in re rudis appareat, qui ſint affectus orationis initio ten-
tandi, qui perorata cauſa concitandi ex quibus locis ad faciendum fidem
argumenta ſumenda ſint, quibus quaſi luminibus tota illuſtretur ora-
tio, totaque dilucida, probabilis, aperta, ſuauis, efficiatur. Hæc ea ſunt

quibus alitur adoleſcentia, quæ diligenter audire, meditari, memoriæ mandare Iuuenes debent, in quibus continenter exerceri, dies noctéſque verſari, atque inſudare pulcherrimum. Et hac in parte maximè nobis imitandæ Luſciniæ ſunt, quæ cantionum dulcedinem & harmoniæ ſuauitatem, quam in voce parentum audiunt, omni ſtudio referre contendunt. Vnus eſt eloquentiæ parens Cicero, cuius oratio quouis melle dulcior eſt, ſapientiſſimis ſententijs grauibusq́ue verbis ornata & perpolita, quæ merito flexanima atque regina rerum dici poteſt, ita de horridis rebus nitida, de ieiunis plena, de peruulgatis noua videri ſolet, grauis, erudita, liberalis, admirabilis, vnus eſt a nobis hic auctor imitandus, vnus ſuſpiciendus, vnus ſemper in manibus habendus, huius ſententias, huius verba, huius numeros omni cura ſtudio, diligentia, perſequi debemus, qui diſtinctè, qui explicatè, qui abundanter, qui illuminatè, & rebus, & verbis dicit, & in ipſa oratione quaſi quendam numerum, verſumq́ue conficit. Hunc ſi qui aliquo modo ſectari, atque adumbrare cupiunt (quoniam æquare, non modo quiſquam poteſt, ſed ne ſperare quidem debet) verborum in primis delectus habēdus eſt, quod eloquentiæ principium eſſe Cæſar dictitabat, vt nullam penitus dictionem, nullam uocem admittamus, quæ non elegans, latina, Ciceroniana eſſe videatur, deinde compoſitionis ratio diligens adhibenda eſt, vt neque aſperos habeat concurſus, neque diſiunctos atque hiantes, tum rerum ordinem, & argumentorum collocationem, atque probabilitatem aduertere, diligenterq́ue imitari oportet. Poſtremo ſententiarum & verborum lumina, quas vel figuras, vel exornationes appellamus, ſumma cum induſtria perſequenda ſunt, quibus quia tam frequenter vtitur Cicero, ſunt qui putent eius eloquentiam vel hac vna de cauſa ſummoperè eſſe laudandam. Sed hæc non niſi acri ſtudio, magna diligentia, ſummo labore, longa exercitatione percipi poſſunt. Itaque non mirum eſt, ſi tam rari ſunt ij, qui Ciceronianam dicendi maieſtatem, & eloquentiæ virtutes exprimant, quoniam plerique vel imitandi rationem ignorant, vel laborem omnino refugiunt, in hac enim parte plurimi decipiuntur, qui cum aliquas ex Cicerone clauſulas excerpſerint, atque in ſuis ſcriptis collocarint, ſe germanos, atq́ue veros Ciceronis imitatores arbitrantur; cum imitatio vera, non in verbis tantum, ſed in rebus magis, atque ordine conſtat, neque quiſquam rectè Ciceronem imitari poſſit, niſi, qui ſtudijs ijſdem, quibus ille vtebatur, ſe totum tradiderit, vt non tantum verba quod plerique faciunt, ſed etiam ſenſus, & virtutes, quod pauci facere poſſunt, intelligat. Habet enim hoc proprium & quaſi peculiare Cicero, vt longè grauiores & reconditiores plerumque ſententias in ſe habeat, quàm prima fronte præ ſe ferre videatur: vt non ſine cauſa Quintilianus dixerit: ille ſe profeciſſe ſciat, cui Cicero valde placebit. Quod ſi vſquam Cicero doctrinam ſummam

atque

atque eruditionem oſtendit: in his certe libris, tàm multa recondita ſunt, & ex intimis diſciplinis decerpta, atque delibata, vt nihil doctius aut eruditius excogitari poſſit, quæ non niſi magno ſtudio, diligentique conſideratione poſſunt intelligi. Quare mihi veſtra opus erit attentione Auditores, dum has latinæ linguæ diuitias, hos eloquentiæ fontes, hos rerum precioſiſſimarum Theſauros interpretatione mea vobis aperio, quos ſi deguſtare ſemel cœperitis, non tantum ſummam ex eis vtilitatem, ſed etiam tàm incredibilem iucunditatem percipietis, vt nihil vos aliud magis delectare poſſit: Sed iam Ciceronem ipſum audiamus.

M. TVLLII CICERONIS AD Q. FRATREM, DE ORATORE, Dialogus, ſeu Lib. Primus.

Cogitanti mihi ſæpenumerò, & memoria vetera repetenti, perbeati fuiſſe, Quincte frater, illi videri ſolent, qui in optima Rep. cùm & honoribus, & rerum geſtarum gloria florerent, eum vitæ curſum tenere potuerunt, vt vel in negotio ſine periculo, vel in otio cum dignitate eſſe poſſent.

COGITANTI MIHI: Ciceronis conſuetudo eſt, vt in ſingulis libris, ſiue Oratorijs, ſiue Philoſophicis, prooemijs vtatur, quod ad imitationem Ariſtotelis, ſe facere ſolitum, oſtendit ad Atticum libro quarto. Cũ enim ab eo petijſſet Atticus, vt Varronem in aliquem locũ ſuorum operum includeret, ita reſpondit: Itaq; cogitabam, quoniam in ſingulis libris vtor prooemijs, vt Ariſtoteles in ijs quos ἐξωτερικοὺς vocat, aliquid efficere: vt non ſine cauſa iſtum appellarem, id quod intelligo tibi placere. Qui fuerint autem exoterici libri, in quibus Ariſtoteles vti prooemijs ſolebat, declarat ipſe Cicero libro de Finib. quinto, De ſummo autem (inquit) bono, quia duo genera librorum ſunt; vnum populariter ſcriptum, quod ἐξωτερικὸν appellant; alterum limatius, quod in commentarijs reliquerunt, non ſemper idem dicere videntur. Secundum autem librorum genus, quod limatius eſſe dicit Cicero, ſolet Ariſtoteles ἀκροα-

ματικὸν

ματικὸν appellare, in quo de recondita ſua diſciplina tractat; ſed hoc procœmiorum genus, maximè liberum eſſe ſolet, adeò vt aliquando ſeparatum à re propoſita videatur, quale eſt exordium Saluſtij, de coniuratione Catilinæ,& de Iugurthino bello: quamuis ſemper Cicero conetur exordia ſua rei, de qua tractat aliquo modo coniungere, quod in Tuſculan.quæſt.in libris de Natura Deorũ, de Diuinatione, & in his maximè oratorijs videre licet. Quamuis enim huius procœmij prima pars à re propoſita videatur ſeparata, tamen poſtea cauſas oſtendit, quibus ad ſcribendum adductus eſt, & quale ſit id, de quo ſcribit, quamque magnum ac difficile, deniq; etiam ad quem vſum. Quatuor igitur in partes totum hoc procœmium diuidi poteſt, quarum prima pathetica eſt, & conqueſtionem continet; altera cauſas explicat, quare de arte Oratoria ſcribere velit. Tertia qualitatem, & magnitudinem Oratoris reliquarum artium comparatione demonſtrat. Quarta proponit, quid ſit toto opere tractaturus. Prima pars tres affectuum illorum grauiorum locos complectitur, inæqualem comparationem, ſpem deceptam, egregium, ſed infelicem conatum, qui ſinguli binas periodos, ſeu comprehenſiones continent, vt admirabile quoddam in eis artificium appareat. Ac prima quidem inæqualis comparationis periodus hæc eſt; COGITANTI MIHI &c. Rerum ordinẽ ſeruat, prius enim cogitare opus eſt, quàm in memoriam vetera repetere poſsimus, quæ uis animæ ſolius hominis propria eſt,cum reliquæ animantes non reminiſcantur. & hæc eſt ἀνάμνησις quam ſuperioris temporis recordationem interpretatur Cicero; qua ſolet homo præterita repetens,de præſentibus deliberare, quantoque aliquis prudentior ac ſapientior eſt, tanto ſolet acriorem ad cogitandum attentionem adhibere: quare ſuperior Africanus gloriari ſolebat, nunquam ſe minus ocioſum eſſe, quàm cum ocioſus, nec minus ſolum, quàm cum ſolus eſſet,quia videlicet ſemper cogitabat. VETERA: res veterum,vt Athenienſium, qui longo tempore claruerunt, apud quos innumerabiles penè clariſsimi viri fuerũt, vt Themiſtocles, Miltiades, Conon, Ariſtides, Phocion; infinitique alij, qui bene de Repub. meritos, maximis afficiebant honoribus, & in Prytaneo publicè nutriebant. Quin apud Romanos tales fuerunt Fabricij, Curij, Catones, Scipiones, plurimique alij, qui in optimo ſtatu Reipub. magna cum gloria magiſtratus, & imperia geſſerunt: hos dicit floruiſſe honoribus, & rerum geſtarum gloria. Traducitur enim hoc verbum,florere, ad omnem ferè excellentiam: ſic in Catone maiore dixit, ipſum Catonem in ſenectute præ cæteris floruiſſe; ita florere in foro, in adminiſtratione Reipub. in ſententijs dicendis, florere autoritate, & gloria,de Claris Orat. Omni genere virtutis floruit Pericles. Ouidius;

Principio 3. off.

Nos quoque floruimus, ſed flos fuit ille caducus.
Vndecima Philippica. nihil enim ſemper floret, ætas ſuccedit ætati. qua in oratione Tyrones etiam florem Italiæ nominat, Tertio de Nat. Deo: in ipſo Græciæ flore dixit, pro cum Græcia floreret, & Cethegus ab Ennio, flos illibatus populi, dictus eſt. vnde Cicero in Bruto, virum excellentem, præclarè tum illi homines florem populi eſſe dixerunt. Et de perfecto Orat. ad Brutum: verſari in optimo ciuium vel flore vel robore. VEL IN NEGOCIO vt in foro, in legatione, in ſenatorijs muneribus, quæ plerumque ſine periculo eſſe ſolent,& maximã tamen dignitatẽ apportant. hinc Sceuolæ, Scauri, Sulpicij. VEL IN OCIO ſiue literarum, quod tamen paucis ante Ciceronem Romæ contigerat. Atque haud ſcio, an vni Catoni cenſorio, ſiue negociorum, cum iam emeriti viderentur, & poſt res præclarè geſtas quieſcerent, quod accidit ei Duellio, qui primus Carthaginienſes Bello nauali ſuperauit: Cui conceſſum eſt, vt à cœna reuertenti tibicines canerent, & ſunale præferretur. magnam autem orationi venuſtatem afferunt antitheta, negocium, & ocium, in quibus eſt etiam agnominatio. Loquitur autem hoc loco potius ex opinione populari, quàm Philoſophica. Vulgus enim beatos exiſtimat, qui dignitatibus, honoribus, opibus affluunt. Philoſophi autem ſolos eos, qui virtutis ſunt compotes, vt Tuſcul. 5. copiosè diſputatur.

Ac fuit tempus illud, cum mihi quoque initium requieſcendi, atque animum ad vtriuſque noſtrum præclara ſtudia referendi, fore, iuſtum, & propè ab omnibus conceſſum eſſe arbitrarer, ſi infinitus forenſium rerum labor, & ambitionis occupatio, decurſu honorum, etiam ætatis flexu conſtitiſſet.

AC FVIT. Altera comparationis periodus, qua ſe beatitudinem illam ſperaſſe oſtendit, tempus autem poſt conſulatum innuit. Cum enim in conſulatu tam egregiè ſe geſsiſſet, vt communi totius ferè Senatus conſenſu, patriæ parens eſſet appellatus,& illi vni, conſeruatæ patriæ teſtimonium redditum fuiſſet, ſperabat forè vt poſtquam magiſtratu abijſſet, perpetuò liceret ei quieſcere; atque in ocio literarum, totum reliquæ vitæ ſpatium conſumere. INITIVM REQVIESCENDI. quoniam ab ineunte ætate magnis ſemper in laboribus verſatus fuerat, adeò vt propter immenſos labores ſæpè vitæ periculũ adierit, quod in Bruto de ſe ipſe confitetur. VTRIVSQVE

QVE NOSTRVM. nam etiam eius Frater Quintus eruditus, & eloquens fuit, quod ex opuſculo illo docto, atque eleganti de petitione conſulatus, quod extat, adhuc intelligi facile poteſt: quamuis in armis præſtantior haberetur, & in Gallia cum Cæſaris legatus eſſet, multa ſtrenuè geſsiſſe legitur. quin Procõſul Aſiam triennio magna cum laude adminiſtrauit. FORENSIVM RERVM Acceſsit ad forum Cicero, cum annos ſeptem & viginti natus eſſet, primamque cauſam publicam pro Sex. Roſcio dixit, quæ adhuc extat oratio, quæ tantum commendationis habuit, vt nulla poſtea cauſa eſſet, quæ non eius patrocinio digna videretur. Gellius libro 15. cap. 28. ſcribit Cornelium nepotem erraſſe, qui ſcripſerit tres & viginti annos Ciceronem natum, primam cauſam publici iudicij egiſſe, Sextumque Roſciũ parricidij reum defendiſſe, cum dubium non ſit, quin poſt annum, quàm pro Quintio dixerat, Sex. Roſc. reum parricidij defenderit: cauſam autẽ illam priuatam pro Quintio apud Aquilium Gallum iudicem dixit, ſex & viginti annos natus. Animaduerſum eſt etiam Demoſthenem & Ciceronem pari ætate illuſtriſsimas orationes habuiſſe. Alterum contra Androtionem & Timocratem, ſeptem & viginti annos natum, alterum anno minorem pro P. Quintio ſeptimo, & vigeſimo pro Sex: Roſcio. Vixerunt quoque non nimis numerum annorum diuerſum, alter tres, & ſexaginta annos, Demoſthenes ſexaginta. Vocat autem infinitum laborem, quoniã ex quo publicè cauſas agere cœpit, nullus ferè dies erat, quin pro reo diceret. AMBITIONIS OCCVPATIO. huic enim rei maximè ſtudebant, vt ſibi populi voluntatem conciliarent, quo deinde facilius magiſtratus aſſequerentur. Itaque pluribus aderant, gratis patrocinabantur, comiter ſalutabant, ludos exhibebant, & etiam plerumque multa largiebantur; hæc erat ambitionis occupatio: quæ deinde conſiſtebãt decurſu honorum, & ætatis flexu. DECVRSV. Gradibus enim quibuſdam ad conſulatum aſcendebatur. primus dignitatis gradus erat Quæſtura: quod in Verrem 3. Cicero teſtatur. Secundus Ædilitas; Tertius Prætura, Quartus Conſulatus. Hi erant ordinarij magiſtratus, hæ dignitates, hi honores; quos omnes conſecutus eſt Cicero, quamuis nouus eſſet homo: hunc appellat hoc loco, decurſum honorum: ſicut in Epiſt. decurſum ſui temporis dixit, facilior erit mihi, quaſi decurſus mei temporis. ETIAM ÆTATIS FLEXV ingraueſcẽte enim ætate ſolent homines minus ambitioſi fieri. Nam ambitio ſtudiumque dignitatis, iuuentutis eſt propria, quo tempore propter ſanguinis feruorem, maximè animus excitatur, & ad res præclarè gerendas inflammatur. vnde Horat.

Conuerſis ſtudijs ætas animusque virilis

Quærit opes, & amicitias, inſeruit honori.

Vult Ariſtoteles corporis vires ad quintum & trigeſimum annum augeri, deinde paulatim minui: vires autem animi atque ingenij, ad nonum & quadrageſimum vſque prorogari, priuſquàm deficere incipiant. Quocirca hunc ætatis flexum in Cicerone poſt annum quinquageſimum intelligimus, quo tempore iam conſulatum geſſerat: ætatis enim ingreſſus pueritia eſt, progreſſus iuuentus, flexus ſenectus. Legimus apud Plutarchum in libello, quo pacto laudare ſe quiſpiam ſine inuidia poſsit; apud Lacedæmonios fuiſſe chorum quendam, qui ex triplici hominum genere conſtabat, puerorum, iuuenum, ſenum, eum τριχορίαν vocabant, quem inſtituiſſe Tyrtæus apud eos dicitur. Hic igitur triplex chorus, cum cantilena quadam in publicum exire ſolebat, & primò ſenos ita canebāt; ἄμμες ποτ' ἦμεν ἄλκιμοι νεανίαι, deindè pueri ſubiungebant, ἄμμες δέ γ' ἐσσόμεθα πολλῷ κάρρονες, poſtremò iuuenes ita clamabant, ἄμμες δέ γ' εἰμεν, αἰ δὲ λῇς αὐγάσδεο. Huic choro ſimilis eſt quodammodo fortunæ rota, in qua ſunt qui aſcendere incipiant, ſunt qui in ſublimi ſedeant, ſunt qui præcipites deuoluantur.

Quam ſpem cogitationum, & conſiliorum meorum, cùm graues communium temporum, tum varij noſtri caſus fefellerunt. Nam qui locus, quietis, & tranquillitatis pleniſſimus fore videbatur, in eo maximæ moleſtiarum, & turbulentiſſimæ tempeſtates extiterunt.

QVAM SPEM. Secundus locus huius primæ partis exordij, à ſpei fruſtratione, qui locus in cauſis grauioribus maximè ſolet animos perturbare, atque concitare. Hinc illa matris Euriali apud Virgilium muliebris eiulatio;

Quo ſequar, aut quæ nunc artus, auulſaque membra
Et funus lacerum tellus habet, hoc mihi de te
Nate refers, hoc ſum terraque marique ſecuta?

Quid autem fuit, quod Ciceronis ſpem & cogitationem fefellerit? partim (inquit) communes caſus, partim ſingulares: communes caſus, intelligit publica pericula, quæ ſuo tempore plurima contigerunt, præcipuè in illa Catilinæ coniuratione. Singulares autem, quibus ipſe ſolus agitatus eſt in factione Clodiana. NAM QVI LOCVS. altera periodus huius ſecundi loci, quæ maximam venuſta-

tem, tùm propter antitheta, tum propter metaphoram, continet, nam quieti moleſtias, tranquillitati tempeſtates opponit: prima duo antitheta propria ſunt, ſecunda verò tranſlata à nautis & gubernatoribus. Locum quietis & tranquillitatis, intelligit res ſuas in Senatu geſtas, quibus ſperabat ſe tàm gratũ omnibus fore, vt perpetuò deinde quieſcere poſſet. Sed in eo loco moleſtias & tempeſtates ait extitiſſe, quoniam non alia de cauſa Clodius ſe Ciceronem inſectari dicebat, niſi quia in conſulatu de ciuibus indemnatis ſupplicium ſumpſiſſet.

Neque verò nobis cupientibus, atque exoptantibus fructus otij datus eſt, ad eas arteis, quibus à pueris dediti fuimus, celebrandas, interque nos recolendas. Nam prima ætate incidimus in ipſam perturbationem diſciplinæ veteris: & conſulatu deuenimus in medium rerum omnium certamen, atque diſcrimen: & hoc tempus omne poſt conſulatum obiecimus ijs fluctibus, qui per nos à communi peſte depulſi, in noſmetipſos redundarunt. Sed tamen in his vel aſperitatibus rerum, vel anguſtijs temporis, obſequar ſtudiis noſtris: & quantum mihi vel fraus inimicorum, vel cauſæ amicorum, vel reſp. tribuet otii, ad ſcribendum potiſsimum conferam.

NEQVE VERO. tertius & vltimus locus huius primæ partis ab egregio ſed infelice conatu: Non potui (inquit) quem cupiebam, & optabam ocij fructum conſequi. Vocat autem ocij fructum eum, qui ex literis percipitur; ſicut ad Marium ſcribens Epiſt. 7. modo vt tibi conſliterit fructus ocij tui, quo quidem tibi perfrui mirificè licuit, cum eſſes in iſta amænitate penè ſolus relictus: alioqui Cicero fructum pro vtilitate, quæ percipitur ex aliqua re frequentiſsimè ſolet vſurpare, vt fructus vigiliarum, laboris, diligentiæ: Et in partitionibus, dixit, gloriam eſſe virtutis fructum, & in Paradoxis dixit eſſe diuitiarum fructum in copia. Artes autem intelligit oratoriam & philoſophiam, quibus à pueritia ſemper deditus fuit, quæ duæ præſertim eo tempore liberalium artium principatum obtinebant; quarum tamen

duarum

duarum eloquentia præcellebat: itaque cæteras omnes ingenuas artes ad hanc vnam Cicero referebat. Sic enim debent omnes, quicumque literis operam nauant, vnam ex omnibus artem eligere, in qua maximè velint excellere, atque ad illam omnia ſua ſtudia referre: vt etiam ſiquid ex alijs diſciplinis deguſtent, id ea de cauſa faciant, vt in arte ſua poſsint inſtructiores, atque eruditiores videri. Nam qui ſtudent in omnibus ſcientijs, æqualiter excellere, ij plerumque nullam rectè percipiunt, atque ita fit, vt dum omnia cupiunt, nihil aſſequantur. Sit igitur vna nobis præcipua diſciplina, vt ars oratoria, vt Philoſophia, vt iuriſprudentia, quam omni ſtudio, cura, diligentia perſequamur, neque tamen reliquas contemnamus, aut relinquamus, ſed ex eis tantùm ea ſumamus, quæ noſtram ſcientiam augere atque illuſtrare poſſint. Hæc erat Ciceronis conſuetudo, hoc ſtudium, hæc diligentia. Dialecticis operam dabat, Philoſophos audiebat, iuri ciuili ſtudebat, ita tamen vt ad artem ſuam oratoriam, omnia referret. Cupiebat igitur has artes celebrare, hoc eſt, aſsiduè, frequenterque tractare, & cum Quinto fratre recolere, hoc eſt, repetere, atque in memoriam reuocare; ſed ocij fructus illi non datus eſt. NAM ET Ratio qua declarat impedimenta, quæ obſtiterunt, quo minus in artibus ſuis quieſcere potuerit. Vtitur autem tripertita diſtributione temporis, quod ante conſulatum ſuum, quod in conſulatu, quod poſt conſulatum. Primam ætatem appellat pueritiam & adoleſcentiam, quam ait incidiſſe in perturbationem diſciplinæ veteris, hoc eſt, qua veteres adminiſtrare Remp. conſueuerant. Eam autem maximè perturbarunt Marius, & Sylla, qui grauiſsima inter ſe bella geſſerunt, donec victor Sylla Rempub. quaſi regio dominatu oppreſsit, & ſeipſum perpetuum dictatorem creauit. Quo tempore Sylla rerum potiebatur, ad Rempub. Cicero cæpit accedere, hoc eſt, quod ait, prima ætate ſe incidiſſe in perturbationem veteris diſciplinæ, quod tunc maximè proſcriptionibus Syllanis eſſet Reſpubl. perturbata, Quidam aiunt Ciceronem, quia Chryſogonum Syllæ libertum in Roſciana cauſa læſerat, in Græciam fugere coactum: ſed ipſe Cicero de claris Orat. cauſam ſuæ profectionis, non in Chryſogonum, ſed in valetudinem imbecillam confert. ET CONSVLATV autore Salluſtio conſulatus ideò Ciceroni nouo homini demandatus eſt, quia coniuratione Catilinæ perterrita nobilitas fuit, & populus fore ſperauit, vt prudentia ſua Cicero nefarios Catilinæ conatus frangeret. Hac de cauſa factum eſt, vt competitores ſuos ſuperaret, quod pro Murena ſic ipſe de ſe Cicero teſtatur; Etenim mihi ipſi accidit, vt cum duobus patricijs, altero improbiſsimo atque audaciſsimo, altero modeſtiſsimo atque optimo viro peterem, ſuperaui tamen dignitate Catilinam, gratia Galbam. Nullo autem vnquam tanto in diſcrimine res Roma-

na fuit, quàm conſule Cicerone. ET HOC TEMPVS. poſt Conſulatum Clodiana factione maximè premebatur Cicero: Nam Clodius odio Ciceronis, vt Tribunus pleb. fieri poſſet, ſe in adoptionem plebeio tradidit, & Tribunus factus, nomen Ciceronis detulit: quòd indemnatos ciues è medio ſuſtuliſſet. Traduntr hominum amplius viginti millia, pro Cicerone veſtem mutaſſe: ſed cum ſe poſſe defendere Cicero videretur, maluit vrbe cedere, quam à ſe conſeruatos ciues Clodianorum telis obijcere. Sed poſtquam vrbe profectus eſt, ei ſtatim Clodius aqua & igni interdixit, domum eius diruit, bona publicauit, donec tandem P. Lentulo, Q. Metello Coſſ. ingenti gaudio totius Italiæ, abrogata lege Clodiana, Cicero ab exilio reuocatus fuit, quo tempore priſtina dignitate recuperata, & moleſtiarum fluctibus magna ex parte ſedatis, hos ad Q. Fratrem libros conſcripſit. Fluctus appellat improborum ciuium ſeditiones, quas à communi peſte, hoc eſt, ab exitio totius Reipub. depulerat: Hos ait omnes in ſe redundaſſe propter exilij Calamitatem, quam perpeſſus eſt. Hac autem à marinis tempeſtatibus ſumpta metaphora, maximè delectari videtur Cicero; nam eam frequentiſsimè ſolet vſurpare: Habet enim quandam ſimilitudinem Reip. perturbatio, vulgíque inſtabilitas, cum marina tempeſtate, vt pro Milone; Et quidem cæteras tempeſtates, & procellas in illis duntaxat concionum fluctibus, ſemper putaui Miloni eſſe ſubeundas. SED TAMEN IN HIS. Secũda proœmij pars, qua cauſas explicat, quibus inductus eſt ad ſcribendum, quas potiſsimum fuiſſe duas oſtendit. Prima fratris voluntas & exhortatio, altera vt iuuenilia ſcripta emendaret, & aliquid perfectius de arte dicendi ſcriberet. Sed his duabus cauſis tria præponit impedimenta, quæ non eum liberè patiantur in ſtudijs verſari, fraudem inimicorum, cauſas amicorum, Reip. adminiſtrationem, quibus impedimentis ſe tamen aliquid ocij ſubtracturum ſignificat, vt quaſi ſucciſiuis operis, aliqua ſcribat. SED TAMEN. Hac aduerſante particula, magnum ſuum animum, & conſtantem declarat, qui ſit paratus omnes difficultates, omnes labores tolerare: Rerum aſperitates appellat turbulenta tempora, tumultuoſumque Reip. ſtatum: Quamuis enim ab exilio reuocatus eſſet, tamen erat ei ferè quotidie cum Clodio contendendum, vt nunquam niſi multis amicis ſtipatus in publicum prodire auderet. Anguſtias verò temporum appellat publica negocia, quibus magnoperè diſtrictus erat, vt parum ei temporis ad ſtudia recolenda ſupereſſet. Atque his rationibus maximè ſibi fratris beneuolentiam conciliat, quod vt illi obſequatur, neque aſperitatibus rerum, neque anguſtijs temporis, impediri velit. Sunt enim duæ res potiſsimum quæ nos impedire ſoleant, quo minus amicorum petitionibus obſequamur; Prima cum in tumultu, atque perturbatione

verſamur,

verſamur, vt vel cum ab inimicis premimur, vel aliqua nobis alia calamitas accidit, altera cum grauioribus negocijs diſtricti ſumus. Quòd ſi quem hæ duæ res non remorentur quo minus amicorum voluntati ſatisfaciat, is certè, perhumanus, & perofficioſus habendus eſt, qualem ſe oſtendit hoc loco Cicero. ET QVANTVM MIHI. Numerat impedimenta, quæ tria ſunt; Primum fraus inimicorum, Clodianos intelligit, qui ſemper fraude ſua periculum illi creare ſtudebant: Alterum cauſæ amicorum: multos enim in iudicio defendebat, vt nullus ferè dies eſſet, in quo pro reo non diceret. De hac re gloriatur, in exordio pro Lege Manil. omne in eum tempus, amicorum temporibus tranſmittendum putaui: Tertium impedimentum eſt Reſpub. quam gubernare, & quodammodo ſuis humeris labantem, ſuſtinere contendebat, qua in re vehementer erat occupatus. Quicquid igitur (inquit) ocij ſubtrahere his impedimentis potero, non illud in ludis, non in conuiuijs, non in ceſſatione, ſed in ſcribendo potiſsimum conſumam.

Tibi verò, frater, neque hortanti deero, neque roganti. Nam neque auctoritate quiſquam apud me plus valere te poteſt, neque voluntate. Ac mihi repetenda eſt veteris cuiuſdam memoriæ non ſanè ſatis explicata recordatio, ſed, vt arbitror, apta ad id, quod requiris, vt cognoſcas, quæ viri omnium eloquentiſſimi, clariſſimique ſenſerint de omni ratione dicendi. Vis enim, vt mihi ſæpe dixiſti, quoniam quædam pueris aut adoleſcentulis nobis ex commentariolis noſtris inchoata, atque rudia exciderunt, vix hac ætate digna, & hoc vſu, quem ex cauſis, quas diximus, tot, tantisque, conſecuti ſumus, aliquid iiſdem de rebus politius à nobis, perfectiusque proferri; ſoleſque nonnumquam hac de re à me in diſputationibus noſtris diſſentire, quòd ego eruditiſſimorum hominum artibus eloquentiam contineri ſtatuam; tu autem illam ab elegantia doctrinæ ſegregandum putes, & in quodam

dam ingenii, atque exercitationis genere ponendam.

TIBI VERO Prima cauſa quare de oratoria facultate velit ſcribere; quòd hoc ab eo frater petijſſet, cuius autoritatem atque voluntatem longè maximum apud ſe pondus habere dicit. Hæc enim duo nos mouere maximè ſolent, vt aliquid aggrediamur, amicorum voluntas, & auctoritas: Cum enim vera amicitia ſit, idem velle, atque idem nolle, quemadmodum ait Salluſtius, id etiam nos velle debemus, quod amici: quo fit vt eorum voluntati parere ſtudeamus. Quòd ſi accedit, vt ijdem amici magna ſint etiam auctoritate præditi, longè facilius ad ſibi gratificandum nos alliciunt: Atque hac de cauſa Cicero cum voluntate fratris, etiam autoritatem coniunxit. Accedit etiam alia longè venuſtior ratio, vt paria paribus, crebra crebris reſpondeant. Hortatus fuerat frater Quintus, & rogarat, ait Cicero, ſe neque hortanti, neque roganti deeſſe velle, rationem affert: quoniam hortatoris quæritur autoritas, rogantis voluntas, & nemo plus apud ſe vel autoritate, vel voluntate valere poſsit. AC MIHI REPETENDA EST Hæc eſt propoſitio totius futuræ diſputationis, quam hoc loco ponit, vt ſecundam cauſam facilius explicet. nam ſi expoſuerit, quid omnium eloquentiſsimi viri de ratione dicendi ſenſerint, ea perficiet, quæ adoleſcens inchoauerat: repetenda recordatio veteris memoriæ, notanda locutio. Eſt autem idem repetere recordationem, quod reminiſci, hoc eſt, quæ alias audiuimus, aut didicimus, cogitando in memoriam reducere, quod ingenioſi homines & acuti facilè præſtant, hebetes autem, & tardi facere non poſſunt. Docet enim Ariſtoteles in libro de memoria ferè fieri ſolere vt qui ſunt ingenio tardiores, illi maiore memoria præcellant, qui verò ſunt ingenioſiores, ij licet paruam plerumque memoriam habeant tamen maiorem reminiſcendi vim ſortiantur. Eius hæc ſunt verba μνημονικώτεροι μὲν οἱ βραδεῖς, ἀναμνηστικώτεροι δ' οἱ ταχεῖς καὶ εὐμαθεῖς Vis aũt hæc reminiſcendi, ſolis hominibus data eſt, non autem beluis, quamuis plurimæ beluæ, magnam habeant memoriam. Quod autem ait Cicero, non ſatis explicatam eſſe recordationem illam, iccirco adiungit; quoniam ea puer audierat. Solent autem pueri, quemadmodum etiam ſenes, infirmam ac debilem habere memoriam, cuius rei cauſam eo quem modo citauimus libro, refert Ariſtoteles, his quidẽ verbis: οἱ τε σφόδρα νέοι, καὶ οἱ γέροντες ἀμνήμονες, εἰσι ῥέουσι γὰρ οἱ μὲν διὰ τὴν αὔξησιν, οἱ δὲ διὰ τὴν φθίσιν. Sed hæc repetitio recordationis, quam barbari reminiſcentiam vocant, ſi crebro adhibeatur, memoriam maximè confirmare, atque augere ſolet; & hoc eſt, quod ait

Ariſt.

Ariſtotel. αἱ δὲ μελέται τὴν μνήμην σώζουσι τῷ ἐπαναμιμνῄσκειν Quare falſo queruntur multi de memoriæ imbecillitate, quoniam eſt in poteſtate cuiuſque, quàm magnam, aut quàm paruam memoriam habere velit. Tota enim ferè meditationibus conſtat: quo fit, vt quantò quis frequentius meditatur, & recordationes repetit, tantò maiorem acquirat memoriam. SED VT ARBITROR. Ratio quare velit eam recordationem repetere: quoniam erit apta, inquit, ad id explicandum, quod à me petis. Viros autem omnium eloquentiſsimos, L. Craſſum, & Mar. Antonium vocat, quos vbique laudibus in cœlum ferre ſolet. VIS ENIM. Hæc eſt ſecunda cauſa, quare velit de Rhetorica ſcribere, quæ cum prima coniungitur. QVÆ PVERIS. Annum enim circiter vigeſimum agens, duos illos de Inuentione libros ſcripſit, quos multis in locis damnat, quia non ſatis eruditionis habere viderentur, & potius ex aliorum opinionibus, quàm ex ſua ſententia ſcripti fuiſſent. Vtitur autem correctione, cum ait, aut adoleſcentibus; quoniam annos pueritiæ iam exceſſerat, cum eos libros conſcripſit, iam videlicet virili toga ſumpta, quæ ſolebat anno decimo ſeptimo dari, qua ſignificabant eum non amplius eſſe puerum, ſed iam ad res gerendas aptum. Adoleſcentiam verò variè terminabant; Cicero videtur eam etiam vltra vigeſimum ſeptimum annum extendere. Nam in oratione pro Sex. Roſcio, quã habuit cum annum vigeſimum ſeptimum ageret, dixit; ignoſci adoleſcentiæ meæ poterit, & pro Q. Roſcio: magis mea adoleſcentia indiget illorum bona exiſtimatione. Libro de ſenectute videtur tres tantum ætates conſtituere, pueritiam, adoleſcentiam, ſenectutem, Sic enim ait; Qui enim citius adoleſcentiæ ſenectus, quàm pueritiæ adoleſcentia obrepit. Varro quinque hominis ætates conſtituit, quas decimo quinto quoque anno terminat: vt pueritia ad quintum decimum extendatur, adoleſcentia ad trigeſimum, iuuentus ad quadrageſimum quintum, ætas virilis quæ dicebatur ex catalago, quoniam ea ætate maximè rebus bellicis apti eſſent, ad ſexageſimum, exinde iam ad vitæ finem ſenes dicantur: & vltra catalogum quòd ad militiam non amplius eſſent apti, qui etiam emeriti vocabantur. Galenus in libro de Medicis definitionibus, quatuor ætates conſtituit. primam τῶν νέων, alteram τῶν ἀκμαζόντων, tertiam τῶν μέσων, quartam τῶν γερόντων, quibus quatuor anni tempora comparat, ver, æſtatem, autumnum, hyemem, & humores quatuor, ſanguinem, bilem flauam, bilem nigram, phlegma. Sunt qui tot ætates, quot planetæ ſunt conſtituant, vt infantia Lunæ naturam habeat, pueritia Mercurij, adoleſcentia Veneris, iuuentus Solis, ætas virilis Martis, ſenectus Iouis, ætas decrepita, Saturni. EX COMMENTARIOLIS.

commen-

Commentaria ſunt, quæ vel dictante alio notamus, vel ex autoribus excerpimus ediſcendi gratia, quæ ὑπομνήματα Græci vocant. Sunt item commentaria, quæ ſimpliciter nullis adhibitis ornamentis, quaſi per capita ſcribuntur, & nudæ tantum res ponuntur, vt Cæſaris commentaria, quæ ideo ſcripſiſſe dicitur, vt alijs materiam ſcribendi ſuppeditaret, quamuis alios potius à ſcribendo deterruerit, vt ait Cicero in Bruto. Duabus de cauſis damnat libros de Inuentione, quòd tantum inchoati ſint, non perfecti, & rudes, non expoliti; quare non eſſe dignos ea, quam poſteà conſecutus eſt eloquentia, ſubiungit: ſed ætatis & imprudentiæ veniam deprecatur, ætatis, quòd eo tempore puer fuiſſet, imprudentiæ quòd non conſulto ediderit, ſed ſibi non aduertenti exciderint: cauſam quare non ſe dignos eos libros exiſtimat, quia nunc ſenex eſt, & vſum dicendi magnum ex plurimis cauſis conſecutus eſt. Itaque concludit ex fratris voluntate duo librorum illorum vitia eſſe emendanda. Fuerunt illi rudes, ergo nunc aliquid politius eſt ſcribendum, fuerunt illi tantum inchoati; nunc igitur perfectius aliquid excogitandum eſt. SOLESQVE NONNVNQVAM. Quæſtio eſt, vtrum eloquentia liberalium artium doctrinam deſideret, an ingenio tantum, atque exercitatione conſiſtat. Cicero ſemper credidit neminem eloquentem eſſe poſſe, niſi qui varijs artibus, & diſciplinis inſtructus fuiſſet: eius autem frater Quintus Cicero, ſtatuebat ad ſummam eloquentiam comparandam, ingenium & exercitationem ſufficere, hoc eſt, quod ait hoc loco Cicero, ſolere Quintum in diſputationibus à ſe diſſentire, quod ipſe eruditiſsimorum hominum, vt Philoſophorum, Mathematicorum, Iuriſprudentium artibus, eloquentiam contineri ſtatueret. Quintus autem eam ab elegantia doctrinæ, quæ per artes ingenuas acquiritur, ſegregandam putaret; & ingenio tantum, atque in exercitatione collocaret, Sed omninò verior eſt Ciceronis ſententia, quam infra copioſiſsimè comprobabit. Fons enim & principium eleganter, & copioſè dicendi atque ſcribendi, Sapientia eſt, quæ eſt cognitio diuinarum atque humanarum rerum. Eam autem nemo, niſi per ingenuas artes, atque diſciplinas acquirere poteſt, & per eam præcipuè, quæ reliquarum omnium parens, atque regina eſt, ideſt Philoſophia, quod in arte ſua poetica ſic elegantiſsimè confirmat Horatius;

Scribendi rectè ſapere, & principium, & fons,
Rem tibi Socraticæ poterunt oſtendere chartæ.
Verbaque prouiſam rem non inuita ſequentur.

Hoc etiam exemplo clariſsimorum hominum comprobari poteſt: Nullus enim vnquam eloquentiſsimus fuit, quin idem etiam eſſet eruditiſsimus. Pericles, qui tonare, fulminare, permiſcere Græ-

ciam

etiam dictus eſt, Anaxagoræ Philoſophi ſtudioſiſsimus auditor fuit, Iſocrates cuius iucunditatem & ſuauitatem ſemper omnes admirati ſunt, non tam orator, quâm Philoſophus habitus eſt. Quis non Platonis copiam & eloquentiam prædicat? quo nemo doctior vnquam meo quidem iudicio fuit. Iam verò Demoſthenes, qui ſine dubitatione quicunque vnquam fuerunt oratores, longo poſt ſe interuallo reliquit, frequentiſsimus fuit Platonis auditor. Nihil de Xenophonte dicam, cuius ore muſas ipſas locutas ferunt: nihil de Theophraſto, qui diuinitate loquendi, nomen inuenit; nihil de Ariſtotele, quem flumen aureum orationis fundere Cicero dixit; nihil de Carneade, qui nullam rem vnquam impugnauit, quam non euerterit; nullam cauſam ſuſceperit, quam non defenderit: quoniam omnes iſti Philoſophi doctiſsimi fuerunt. Apud Romanos Cato Cenſorius, qui latinus Demoſthenes dicebatur, etiam doctiſsimus fuit, Hortenſius ſummus orator, artibus etiam ingenuis inſtructus erat. De Cicerone verò nemo dubitare poteſt, quin in omni doctrinæ genere, non tantùm plurimum verſatus fuerit, ſed etiam mirandum in modum excelluerit. Quare ſi eloquentiſsimus quiſque, doctiſsimus etiam fuit, neceſſariò concludi poteſt, eruditiſsimorum hominum artibus eloquentiam contineri, rerum enim copia verborum copiam alit, neque poteſt is, qui rerum ignarus eſt, de illis aliquid politè dicere. Quid ergo, dicet aliquis, an non exercitatio multum prodeſt; imò verò non tantùm prodeſt, ſed etiam prorſus neceſſaria eſt. Nihil enim artes ad eloquentiam, aut parum admodùm conferunt, niſi frequens, & penè quotidiana dicendi exercitatio adiungatur. Quin adeo valet exercitatio, vt per eam nonnulli ſine doctrina, tamen aliquod nomen in dicendo conſecuti ſint. Eſt enim (vt ait Ariſtoteles) ipſa nobis Rhetorica quodammodo naturalis, vt omnes naturali quodam inſtinctu aliquo modo ſciant & accuſare, & defendere, & ſuadere, & diſſuadere, & laudare, & vituperare. Quare quoties ad naturam accedit vſus & exercitatio frequẽs, omnium magiſtrorum præcepta ſuperat. Quoties autem & ingenium eſt accomodatum, & liberalibus artibus expolitum, & diu multumque in dicendo exercitatum, tùm illud neſcio quid præclarum ac diuinum ſolet exiſtere. Quod autem exercitatio plurimum poſsit, etiam prouerbio Græco celebratus μελέτα πάντα δύναται, quod Diogenes Laertius vſurpari ſolitum à Periandro ſcribit, cui ſimile eſt id, quod Antiphanes dixit τῆς ἐπιμελείας πάντα δοῦλα γίνεται. Seneca libro ſecundo de ira: atque nihil eſt (inquit) tam difficile, & arduum, quod non humana mens vincat, & in familiaritatem producat ipſa meditatio.

Iſocrates. Plato. Demoſthenes. Xenoph. Theophr. Ariſtot. Carneades. Cato Cenſorius. Cicero. Ariſt.

Ac mihi quidem ſæpenumero in ſummos homines, ac ſummis ingenijs præditos intuenti, quærendum eſſe viſum eſt, quid eſſet, cur plures in omnibus artibus, quàm in dicendo admirabiles exſtitiſſent. nam quòcumque te animo, & cogitatione conuerteris, permultos excellenteis in quoque genere videbis. non mediocrium artium, ſed propè maximarum.

AC MIHI QVIDEM SÆPENVMERO. Hæc eſt tertia prœmij pars, qua reliquarum artium comparatione, qualitatem oratoris, ac magnitudinem oſtendit. Tota igitur hæc pars in contentione ſeu comparatione poſita eſt: & quærit cauſam cur tàm pauci oratores ſemper fuerint, cùm in reliquis artibus propè innumerabiles excellentiſsimi fuerint. Hæc autem comparatio eò ſpectat, vt probet ſententiam ſuam, non eſſe oratorem excellentem poſſe, niſi fuerit rerum omnium maximarum ſcientiam conſecutus. IN SVMMOS HOMINES. qui ſemper in omni genere per quam rari fuerunt; & tamen in alijs artibus plures, quàm in dicendo admirabiles extiterunt. Hæc eſt quæſtionis propoſitio. quàm deinde ſubiectis exemplis comprobat. NAM QVOCVNQVE. Ratio propoſitionis. MEDIOCRIVM ARTIVM. vt in pictura Xeuſis, Apelles, Protogenes, in ſtatuaria Polycletus, Phydias, Lyſippus. PROPE MAXIMARVM. quas ſeptem numerat: artem Imperatoriam, Senatoriam, Philoſophiam, Mathematicas, Muſicam, Grammaticam, Poeticam. quibus in ſingulis longè plures, quàm in arte dicendi præſtitiſſe oſtendit.

Quis enim eſt, qui, ſi clarorum hominum ſcientiam, rerum geſtarum vel vtilitate, vel magnitudine metiri velit, non anteponat oratori imperatorem? Quis autem dubitet, quin belli duces ex hac vna ciuitate præſtantiſſimos pæne innumerabileis, in dicendo autem excellenteis vix paucos proferre poſſimus?

QVIS ENIM. Eam artem primò comparat, quæ non modò oratoriam æquare, ſed etiam præcedere videatur. Nam longè præſtantior & Reipub. vtilior eximius Imperator eſt, quàm excellens orator. Neque enim credo quenquam tam imperitum eſſe, qui non iudicet longè clariorem Themiſtoclem fuiſſe, & Athenienſibus longè maiorem vtilitatem attuliſſe, quàm Demoſthenem: neque quiſquam tam ſtupidus eſt, qui ſi detur optio, non ſe malit Alexandrum magnum eſſe, quàm Iſocratem. Iam verò quis dubitet, longè vtilius Romanis fuiſſe, quod in ſua Repub. fuerint Fabricij, Curij, Scipiones, Camilli, quàm quòd fuerint Antonij, Craſsi, Sulpitij, Cottæ. Quin artem Imperatoriam Cicero pro L. Murena, reliquis omnibus anteponit: Hæc (inquit) nomen populo Rom. hæc huic vrbi æternam gloriam peperit, hæc orbem terrarum parere huic imperio coegit, omnes vrbanæ res, omnia hæc noſtra præclara ſtudia, & hæc forenſis laus, & induſtria latent in tutela, ac præſidio bellicæ virtutis, ſimulatque increpuit ſuſpicio tumultus, artes illico noſtræ conticeſcunt; atque in eadem oratione ſic ait; Quod ſi ita eſt, cedat optimor Sulpiti, forum caſtris, ocium militiæ, Stylus gladio, vmbra Soli, ſit denique in ciuitate ea prima res, propter quam ipſa eſt ciuitas omnium princeps. Præſtat igitur imperator oratori, & vtilitate, & magnitudine rerum: Sed ingenio, doctrina, conſilio, quæ ſunt animi ornamenta, non præſtat, quo fit, vt in pace longè vtilior orator, quàm imperator videatur. Et Demetrius Phalereus, eloquentiam aiebat in pace tantùm poſſe, quantùm in bello gladium. Et primò de Officijs Cicero, comparat res vrbanas cum bellicis, multasque oſtendit non inferiores eſſe militaribus. In ſumma duæ ſunt iſtæ artes, quæ hominem in ſummo dignitatis gradu collocare poſſunt, eloquentia, & ars imperatoria. Sed longè difficiliorem eſſe ad acquirendum eloquentiam oſtendit Cicero; quoniam longè plures ſemper fuerint Imperatores, quàm Oratores. PENE INNVMERABILES. Nulla enim vnquam Reſpub. tot habuit egregios imperatores, quot Romana. Nam Titus Liuius libro 9. primæ Decadis, vbi quærit, ſi Magnus Alexander in Italiam veniſſet an eius viribus reſiſtere Romani potuiſſent, vndecim Imperatores Romanos eodem tempore fuiſſe commemorat, quorum in quolibet, tùm indoles eadem, quæ in Alexandro erat animi ingenijque, tùm diſciplina militaris, iam inde ab initijs vrbis tradita per manus, in artis perpetuis præceptis ordinatè modum venerat: eorum nomina ſi quis quærat hæc ſunt, M. Valerius Coruinus, C. Marcius Rutilius, C. Sulpitius, T. Manlius Torquatus, Q. Publius Philo. L. Papyrius curſor. Q. Fabius Maximus, Duo Decij, L. Volumnius, M. Curius. Quid Annibalis tempore, ſecundo bello Punico, quot in Rep. Ro. belli duces præſtantiſsimi fuerunt: IN

DICENDO AVTEM EXCELLENTES. Atqui in Bruto tot oratores numerat, vt Imperatoribus eximijs numero nequaquam cedere videantur, ſed oratores illi non in dicendo fuerunt excellentes. Hoc autem loco non quoſlibet ſed eos tantum qui in artibus maximis excelluerunt inter ſe comparat.

Iam verò, conſilio, ac ſapientia qui regere, ac gubernare remp. poſſent, multi noſtra, plures patrum memoria, atque etiam maiorum extiterunt, cùm boni perdiu nulli, vix autem ſingulis ætatibus ſinguli tolerabiles oratores inuenirentur.

IAM VERO CONSILIO. Poſt artem imperatoriam, quam στρατηγικὴν appellat Ariſtoteles, maximè videtur excellere ciuilis ſcientia, quam idem Ariſtoteles πολιτικὴν nominat. Sed in hoc diſcrepare videtur ab Ariſtotele Cicero, quod Ethicorum primo Ariſtoteles ciuilem ſcientiam alijs omnibus præponit, adeo vt etiam artem Imperatoriam illi ſubijciat. Hoc autem loco Cicero, ſicut etiam alibi, poſt militarem ſcientiam, adminiſtrandæ Reipub. rationem collocat. Quin. Ariſtoteles eloquẽtiam ciuilis ſcientiæ partem eſſe ſtatuit, quem imitatus in libris de Inuentione Cicero, eãdem ſententiam his uerbis confirmat; Ciuilis quædam ratio eſt, quæ multis & magnis ex rebus conſtat, eius quædam magna & ampla pars eſt artificioſa eloquentia, quam Rhetoricam uocant. CONSILIO AC SAPIENTIA. Hæc enim ea ſunt, quibus optimè Reſp. gubernatur, quemadmodum temeritas, & imprudentia ſtatum ciuitatis optimum facile ſolet euertere. Hac de cauſa Plato de Republica ſexto, tùm denique fore beatas Reſpub. dixit, cùm aut docti, & ſapientes homines eas regere cœpiſſent, aut qui regerent, omne ſuum ſtudium in doctrina, & ſapientia collocaſſent. MVLTI NOSTRA. Tres memoriæ gradus, noſtra, patrum, maiorum. CVM BONI PER QVAM DIV. Quãuis enim multi conſilio ſapientiaque præſtarent, tamen nulli oratores exiſtebant, quoniam (ut ait Cicero) fieri poteſt, ut rectè quis ſentiat, & id quod ſentit, politè eloqui non poſſit. Longo uerò tempore nulli Romæ fuerunt oratores, nempe ab urbe condita vſque ad Cor. Cethegum, qui Conſul fuit, cum P. Tuditano, anno poſt urbem conditam 550. hic enim primus orator eſt habitus, ut autor eſt Cicero de Cl. Orat. de quo ſic Ennius annali nono ſcripſit;

Additur orator Cornelius ſuaui loquenti

Ore, Cethegus Veturio collega Philoni.

Sed ea eſt, inquit Cicero, laus eloquentiæ certe maxima.

Is dictus ollis, popularibus olim
Qui tum uiuebant homines, atque æuum agitabant
Flos illibatus populi ſuadęque medulla.

Poſt hunc Cato Cenſorius orator eſt habitus. de quo Plinius libro ſeptimo, Cap. 27. ſic ſcribit; Cæteris uirtutum generibus variè & multi fuere præſtantes, Cato primus Porciæ gentis, tres ſummas in homine res præſtitiſſe exiſtimatus eſt, optimus orator, optimus Imperator, optimus Senator. Quæ mihi omnia, etiamſi non prius, attamen clarius fulſiſſe in Scipione Æmiliano uidentur, dempto præterea plurimorum odio, quo Cato laborauit. Itaque ſit proprium Catonis, quater, & quadragies, cauſam dixiſſe, nec quemquam ſæpius poſtulatum, & ſemper abſolutum: hoc enim maximam eius eloquentiam declarat, quòd toties accuſatus, ſeipſum ſemper defenderit, niſi quis ad innocentiam referre malit. VIX AVTEM SINGVLIS. Ex oratorum paucitate colligere ſtudet, rem quandam arduam, atque difficilem eſſe eloquentiam, ſingulis ætatibus, centeſimo quoque anno. Nam ætatem, quemadmodum etiam ſeculum centum annorum propriè ſpacium intelligimus, quamuis ætas aliquando pro uno anno ponatur. ut Virgilius III. Georg.

At tribus exactis, ubi quarta acceſſerit ætas
Carpere mox gyrum incipiat.

Vbi Seruius ita interpretatus eſt, id eſt quartus annus. nam ætatem plerumque generaliter dicimus pro anno, pro triginta, pro centum, pro quouis tempore. Quod autem pro ſpacio centum annorum ętas capiatur, declarat Cicero de Senectute, ubi de Neſtore uerba faciens, quem Poetæ trecentos annos uixiſſe dicunt, ſic ait; Tertiam enim iam ætatem hominum uiuebat. vnde ipſe Neſtor apud Ouid. 12. Metam. ſic de ſe ait;

Vixi annos bis centum, nunc tertia uiuitur ætas.

Ac, nequis fortè cum alijs ſtudiis, quæ reconditis in artibus, atque in quadam varietate litterarum verſentur, magis hanc, dicendi rationem, quàm cum imperatoris laude, aut cum boni ſenatoris prudentia comparandam putet: conuertat animum, &

ea ipſa artium genera circumſpiciat, quique in iis floruerint, quamque multi ſint, facillime quanta oratorum ſit, ſemperque fuerit paucitas, iudicabit.

AC NEQVIS FORTE. Hæc eſt antipophora, qua ſibi uiā quodammodo præmunit, ad ea quæ ſubſequuntur. Poterat enim aliquis dicere non eſſe comparandam eloquentiam cum arte militari, neque cum Senatoris prudentia, ſed cum ſtudijs potius literarum, quæ reconditis in artibus & à populari cognitione longè poſitis uerſantur; quoniam quæ propinquiora ſunt, & aliquam ſimilitudinem habent, longè melius comparantur, & de ijs facilius iudicatur, quod etiam prouerbio græco præcipitur, ἡ πορφύρα παρὰ τὴν πορφύραν διακριτέα. quare ſi conferatur eloquentia cum reliquis artibus ingenuis, cōtinget id, quod Aureliani Imperatoris purpuris contigiſſe traditur: Scribit, enim Flauius Vopiſcus regem Perſarum ab Indis interioribus, pallium quoddam purpureum breuè, ex lana confectum, ad Aurelianum miſiſſe, cum his uerbis; Sume purpuram qualis apud nos eſt. Ad eam autem purpuram cum matronæ atque ipſe Aurelianus purpuras ſuas iungeret, ſtatim cineris ſpecie decolorari uidebantur, diuini comparatione fulgoris. Sed cum poſtea & Aurelianus, & Probus, & Diocletianus miſſis diligentiſſimis confectoribus, tale genus purpuræ requiſiuiſſent, nunquam inuenire potuerunt. Dicitur enim ſandix Indica talem purpuram facere ſi curetur. Eadem igitur ratione liberales artes, ſi cum eloquentia comparentur, ſtatim decolorari uidebuntur; & omnem ſplendorem ſuum amittere. IPSA ARTIVM GENERA. Quæ tripertitò diſtribuuntur: aut enim ad diſſerendi rationem pertinent, vt Grammatica, Rhetorica, Dialectica; aut ad vitam, & ad mores, vt Ethica, Politica, Oeconomica; aut ad naturam, & res occultas, vt quatuor Mathematicæ, Geometria, Arithmetica, Muſica, Aſtrologia, vt ea quæ propriè Phyſica dicitur. QVIQVE IN EIS FLORVERINT.) Vt in Grammatica Ariſtarchus Alexandrinus, vel Cato: de quo ſunt hi verſus;

Cato Grammaticus latina ſyren,
Qui ſolus legit, & facit poetas,

Apollodorus Athenienſis, Alexander Mileſius, Polyhiſtor cognominatus, Crates Mallotes, Didymus Chalcenterus, Rhemnius Palemon, Verrius Flaccus, alijque infiniti: Dialectici, vt Chryſippus, Diodorus Zeno Cittiæus, omneſque ferè Stoici: Morales, vt Socrates, Plato, Xenophon, omneſque Academici. Politici, Solon Lycurgus, Charondas,

das, Tyrius, Zaleucus Locrenſis, Philolaus Corinthius; apud Romanos Papyrius, Mutius, Brutus, Manilius, cæteriq́ue plurimi. Geometræ, vt Archimedes, Euclides, Architas, Eudoxus, Gnidius, Eratoſtenes, Theodorus Cyrrhenæus, alijq́; multi: Arithmetici, Pythagoras, Nicomachus, Aſclepius, omneſque cæteri Pythagorei. Muſici, vt Ariſtoxenus, Phrinis, Timotheus, Xenophilus, Stratonicus, Terpander; atque eiuſmodi reliqui. Aſtrologi, vt Beroſus, Anaximander, Hipparchus, P. Nigidius figulus, Ptolomæus, Soſigenes, quo adiutore Cæſar vſus eſt, in anno ad curſum Solis dirigendo. Iam verò Phyloſophi innumerabiles, & Medici memorantur, cùm interim oratores pauciſſimi ſemper fuerint.

Neque enim te fugit, laudatarum artium omnium procreatricem quandam, & quaſi parentem, eam, quam φιλοσοφίαν Græci vocant, ab hominibus doctiſſimis iudicari: in qua difficilè eſt enumerare, quot viri, quanta ſcientia, quantaq́ue in ſuis ſtudijs varietate, & copia fuerint, qui non vna aliqua in re ſeparatim elaborarint, ſed omnia, quæcumque eſſent, vel ſcientiæ perueſtigatione, vel diſſerendi ratione comprehenderint.

NEQVE ENIM TE FVGIT. A Phyloſophis orditur, quos multò plures quàm oratores fuiſſe oſtẽdit. LAVDANDARVM ARTIVM. Sunt enim artium aliæ laudabiles, vt illæ quæ ingenuæ nominantur, aliȩ ſordidæ, vt quæ manuum opera indigent. Phyloſophiam ergo laudabilium tantum, non etiam ſordidarum procreatricem eſſe vult. Itaque meritò regina dicitur; Vnde lepidè dixit Ariſtippus, eos, qui cȩteras ingenuas artes amplecterentur, Phyloſophiam autem negligerent, Penelopes Procis, eſſe ſimiles, qui cùm Melanthone & Polydora, quȩ Penelopes erant ancillæ, rem haberẽt, ipſam autem Reginam Penelopem non attingerent. Plato in Trinȩo Phyloſophiam Deorum donum eſſe oſtendit, quem imitatus, vel interpretatus potius libro de Vniuerſitate Cicero, ita ſcribit; Hæc quæ habita eſt de vniuerſitate oratio, à nobis haud vnquàm eſſet inuenta, ſi neque ſydera, neque Sol, neque cœlum ſub oculorum aſpectum cadere potuiſſent: nunc verò dies, noctesq́ue oculis cognitæ, tàm menſium, annorumq́; conuerſiones ad numerum machinatæ ſunt, & ſpatium

tium temporis dimenſæ ſunt, & ad quæſtionem totius naturæ impule runt, quibus ex rebus Phyloſophiam adepti ſumus, quo bono nullum optabilius, nullum præſtantius, neque datum eſt mortalium generi Deorum conſenſu, atque munere, neque dabitur. Quamuis autem Deorum munus Phyloſophiam eſſe velint, tamen oculos nobis ad eam quaſi duces eſſe dicunt; hoc eſt quod ait ibidem Cicero: rerum optimarum cognitiones nobis oculi attulerunt. Hoc autem accidit propter nouarum rerum admirationem, quam oculis homines percipiebant; hoc eſt, quod primo diuinæ Phyloſophiæ libro dixit Ariſt. admirationem in cauſa fuiſſe, vt homines phyloſophari inciperent. A Phyloſophia deinde fluxerunt artes omnes ingenuæ. quare meritò procreatricem, & parentem omnium laudandarum artium vocat eā hoc loco Cicero. DIFFICILE EST ENVMERARE. Poſt Pythagoram ſcilicet, qui primus ſe Phyloſophum appellauit, cum antea ſeptem illi Sophi dicti fuiſſent, cuius autoritatem ſecuti, qui poſtea fuerunt, omnes ſe Phyloſophos appellarunt, quorum fuit infinita penè multitudo. QVANTAQVE VARIETATE. hoc etiam nomine in Academicis plurimum Platonem commendat, quòd varius, & multiplex, & copioſus fuerit, & infra hoc primo libro de Academicis loquens ſic ait Antonius, quarum rerum fateor magnam, multiplicemque eſſe diſciplinam, & multas, copioſas, variasque rationes. maximè enim in dicendo varietas laudatur, adeò, vt ſecundo de Orat. dicat Antonius animos audientium concitari nō poſſe, niſi multa & varia, & copioſa oratione. Quin hoc præceptum primo libro de Inuentione tradit; Variare, inquit, orationem magnopere oportet, nam omnibus in rebus ſimilitudo eſt ſacietatis mater. QVI NON ALIQVA. Multi enim fuerunt, qui ſe omnia ſcire profitebantur, qualis fuit Gorgias Leontinus, qui apud Platonem in Dialogo, qui ab eius nomine Gorgias inſcribitur, de omni re, quæcunque in diſputationem, quæſtionemque vocaretur, ſe cōpioſiſsimè dicturum eſſe profitetur, isque princeps ex omnibus, auſus eſt in conuentu poſcere, qua de re quisque vellet audire, cui tantus honos habitus eſt à Græcia, ſoli vt ex omnibus Delphis, non inaurata ſtatua, ſed aurea ſtatueretur. Eleus Hippias, cum Olympiam veniſſet, maxima illa quinquennali celebritate ludorum gloriatus eſt, cuncta penè audiente Græcia, nihil eſſe vlla in arte rerum omnium, quod ipſe neſciret, nec ſolum has artes, quibus liberales doctrinæ, atque ingenuæ continerentur, Geometriam, Muſicam, literarum cognitionem, & Poetarum, atque illa quæ de naturis rerum, quæ de hominum moribus, quæ de rebus publicis dicerentur, ſed annulum, quem haberet, pallium quo amictus, Soccos, quibus indutus eſſet, ſe ſua manu confeciſſe. Plato non contentus diſciplinis, quas præſtare poterant Athenæ,

non

non Pythagoreorum ad quos in Italiam nauigauerat, Ægypti quoque ſacerdotes adijt, atque eorum arcana perdidicit. poſſunt infinita propè exempla proferri eorum, qui (quod ait hoc loco Cicero) non aliqua in re vna ſeparatim elaborarint, ſed omnia comprehenderint. Videtur autem hoc loco Cicero duo tantum doctrinę genera ſtatuere; quorum alterum in ſcientiæ perueſtigatione, alterum in diſſerendi ratione conſiſtat. Diſſerendi ratio eſt ea, quæ Græco nomine Logica dicitur; quam Ariſtoteles clauem quandam, & organum totius Phyloſophiæ dicit eſſe: ſine qua, quemadmodum ait Cicero, facilè quiuis à veritate abduci poteſt, quę quaſi ex altera parte Rhetoricæ reſpondet, vt ſit contracta quædam eloquentia. Scientiæ perueſtigatio ea eſt, quæ rerum cauſas indagat, quoniam, vt vult Ariſtoteles, nemo rectè ſcire dicitur, niſi qui rerum cauſas intelligit. vnde Cicero ſecundo de Off. Sapientia eſt (inquit) vt à veteribus Phyloſophis definitum eſt, rerum diuinarum, & humanarum cauſarum, quibus hæ res continentur ſcientia.

Quis ignorat, ij, qui mathematici vocantur, quanta in obſcuritate rerum & quam recondita in arte, & multiplici, ſubtiliq; verſentur? quo tamen in genere ita multi perfecti homines exſtiterunt, vt nemo ferè ſtuduiſſe ei ſcientiæ vehementius videatur, quin, quod voluerit, conſecutus ſit.

QVIS IGNORAT. Phyloſophi, vel certam diſſerendi rationem, vel mores, vel rerum cauſas tractant. Mathematici verò nihil horum, ſed quantitates tantum, vel continuas, vt Geometrę, atque Aſtrologi, vel diſiunctas, atque diſcretas, vt Arithmetici, atque Muſici, has autem diſciplinas omnium certiſsimas eſſe exiſtimant, cum pleræque aliæ ſint incertæ. Atque ideo factum eſt, ut hæ propriè μαθήσεις vocarentur, quoniam certis & euidentibus demonſtrationibus ſcientiam faciant, quæ tanto in honore ac precio fuerunt apud Græcos, ut nihil Mathematicis eſſet illuſtrius: vt 1. Tuſcul. ait Cicero. verſantur autem in magna rerum obſcuritate, cum etiam ea, quę in cœlo verſantur inueſtigent, vt ortus, obitusque Syderum intelligant, eorumque magnitudines atque proportiones, tum altitudines, tùm humilitates, quid in numerorum proportionibus, & ſupputationibus, quanta eſt obſcuritas? vt etiam prouerbio, quoties aliquid vehementer obſcurum ſignificare volumus, id numeris Platonicis obſcurius eſſe dicamus. De Aſtrologia nemo dubitare poteſt, quin ars ſit obſcuriſsima, maxime-

que recondita: quare non ſine cauſa Mathematicorum artem, vocat hoc loco Cicero reconditam, multiplicem, ſubtilem, vt oſtendat ad eam acquirendam, opus eſſe mentis ſagacitate, memoriæ firmitate, ingenij acumine, cum tamen in hoc genere plurimi perfecti fuerint. Omnes enim ferè Pythagorei, Platonicique rerum Mathematicarũ ſcientia præcellebant: ſiquidem Pythagoras numeros rerum omnium principia eſſe ſtatuebat, atque ex numeris omnia conſtare, de qua re copioſè Macrobius in ſomnio Scipionis. Quin Plato cenſuit has diſciplinas Mathematicas ad diuinam Phyloſophiam, quaſi gradum quendam eſſe: ideo ſui gymnaſij foribus inſcribebat ἀγεωμέτρητος οὐδεὶς εἰσίτω,

Quis muſicis, quis huic ſtudio literarum, quod profitentur ii, qui grammatici uocantur, penitus ſe dedidit, quin omnem illarum artium penè infinitam uim, & materiam, ſcientia, & cognitione comprehenderit?

QVIS MVSICIS. Antiqui Muſicam maximè venerati ſunt, vt eoſdem muſicos, & uates, & ſapientes iudicarent. Timagenes auctor eſt, omnium in literis ſtudiorum antiquiſsimam Muſicam extitiſſe: Nam Pythagoras harmonica ratione mundum eſſe compoſitum tradidit: quod in Timęo Plato confirmat, & in ſomnio Scipionis Cicero iucundiſsimos in cœlo ſonos eſſe perpetuò tradit. Lycurgus Muſicæ diſciplinam maximè probauit, & Lacedæmoniorum exercitus Muſicis ad prælium modis accendebatur. In hac autem arte maximè Pythagorei ſe exercebant, vt antequam cubitum diſcederent, ſuauiſsimis quibuſdam cantionibus vterentur, vt lenior, & quietior ſomnus irreperet. Eadem ratione cum experrecti fuiſſent, quibuſdã alijs modis, & ſonis, Somni ſtuporem, & animi confuſionem expellebant. QVI GRAMMATICI VOCANTVR. ideò Grammaticos cum Muſicis coniungit, quoniam (vt docet Quintilianus) Grammatica quondam & Muſica iunctæ fuerũt, ſiquidem Architas atque Ariſtoxenus, etiam ſubiectam Grammaticam Muſicæ putauerunt. Itaque apud antiquos ijdem vtriusque rei præceptores erant: quod & Sophron oſtendit Mimorũ ſcriptor, & Eupolis, apud quem Prodamus, & Muſicem, & literas docet. & Marycas, qui eſt Hyperbolus, nihil ſe ex Muſicis ſcire niſi literas confitetur. Infinitam vim & materiam quæ Grammaticæ ſubiecta eſt, appellat; quoniam ſe hiſtoricorum & Poetarum interpretes eſſe profitentur. Nemo autem

rectè

rectè poetas intelligere poteſt, niſi qui circulum illum doctrinarum, quam ἐγκυκλοπαιδείαν Græci uocant, abſoluerit. Cicero hoc eodem in libro, ſic ait; in Grammaticis Poetarum pertractatio, hiſtoriarum cognitio, uerborum interpretatio, pronunciandi quidam ſonus. Suetonius de claris Grammaticis ſic ait: appellatio Grammaticorum græca conſuetudine inualuit, ſed initio literati uocabantur. Cornelius quoque nepos in libello, quo diſtinguit literatum ab erudito, literatos quidem uulgo appellari ait eos, qui aliquid diligenter, & acutè, ſcienterque poſsint aut dicere, aut ſcribere; cæterum propriè ſic appellandos poetarum interpretes, qui à Græcis Grammatici nominentur, eoſdem literatos uocitatos. Cicero primo de Diuin. Sunt enim exploratores, ut Grammatici Poetarum. Eſt autem maxima differentia inter Grammaticum, & Grammatiſtam, ſicut inter literatum & literatorem; quod ita Suetonius docet; Sunt qui literatum à literatore diſtinguant, ut Græci Grammaticum à Grammatiſta, & illum quidem abſolutè, hunc mediocriter doctum exiſtimant. Quorum opinionem Orbilius etiam exemplis confirmat. Nam apud Maiores ait, cum familia alicuius uenalis produceretur, non temerè quem, non literatum in titulo, ſed literatorem inſcribi ſolitum eſſe; quaſi non perfectum literis, ſed imbutum.

Verè mihi hoc videor eſſe dicturus, ex omnibus ijs, qui in harum artium ſtudijs liberaliſsimis ſint, doctrinisq́; verſati, minimam copiam poetarum egregiorum extitiſſe: atq́; in hoc ipſo numero, in quo perrarò exoritur aliquis excellens, ſi diligenter & ex noſtrorum, & ex Græcorum copia comparare voles, multo tamen pauciores oratores, quàm poetæ, boni reperientur.

VERE HOC MIHI. Sex iam egregias artes commemorauit, quibus in ſingulis longè plures excellentiſsimos fuiſſe quàm in eloquentia docuit. nunc etiam Poetarum numerum, cum oratorum numero comparat; atque oſtendit quamuis pauciſsimi poetæ boni reperiantur; tamen longè pauciores egregios oratores inueniri. MINIMAM COPIAM POETARVM. Fuerunt quidem apud Græcos ante Ciceronem plurimi Poetæ, ſed pauci fuerunt excellentes. Ioannes Zezes Heſiodi commentator, Heroicos tantum quinque docet excelluiſſe, Homerum, Antimachum, Colopho-

nium. Panyſim, Piſandrum Camirenſem, & Heſiodum Aſcræum. fuerunt aliqui præſtantes Lyrici, ut Pindarus, Steſichorus, Anacreon, aliqui Comici, ut Ariſtophanes, Menander, Eupolis. aliqui Tragici, ut Euripides, Sophocles. Æſchylus. primi uero poetæ latini fuere, Liuius Andronicus, & Q. Ennius. quemadmodum Suetonius, & Euſebius ſcribunt. de Q. Ennio ſic etiam Lucretius ſcribit;

Primus amœno
Detulit, ex Helicone perenni fronde coronam.

Sed pauciſsimi fuerunt ante Ciceronem Latini poetæ, fuit C. Lucilius, qui (ut ait Plinius,) primus condidit ſtyli naſum. Hic ſatyras ſcripſit. fuit Lælius quidam, qui ſcripſit erotopœgnia, ideſt luſus amoris, de quo meminit Auſonius ad Paulinum. fuit M. Fuſius Bibaculus Iamborum ſcriptor, cuius acerbitatem Diomedes commendat. fuit L. Lucretius Charus, & alij nonnulli obſcuriores. Sed qui celebres fuerunt Cæcilius, Plautus, Pacuuius, Aetius, Terentius. PERRARO EXORITVR. Hoc dicitur à Cicerone, quoniam plerique exiſtimant, poetas magis naturæ uiribus, quàm doctrina & arte excitari, Itaque poetam aiunt naſci, oratorem uerò fieri: Vnde pro Archia poeta ſic ait Cicero; Atqui ſic à ſummis hominibus eruditiſsimisque accepimus, cæterarum rerum ſtudia, & doctrina, & præceptis, & arte conſtare, poetam natura ipſa valere, & mentis uiribus excitari, & quaſi diuino quodã ſpiritu afflari. quare ſuo iure noſter ille Ennius ſanctos appellat poetas, quòd quaſi Deorum aliquo dono atque munere commendati nobis eſſe uideantur. Ouidius eleg. 3.

At ſacri uates, & diuum cura vocamur.
Sunt etiam, qui nos numen habere putent.

Plato in Lyſide adeo poetas admiratur, ut eos ſapientiæ patres nuncupet, atque duces. In Ione Poetam excellentem non arte fieri, ſed afflatu diuino tradit, & paulo poſt ait, nihil aliud eſſe poetas, quàm Deorum interpretes. Idem in Phædro præclara poemata non eſſe hominum inuenta tradit, ſed cœleſtia munera. ſic Ouid. Faſt. 6.

Eſt Deus in nobis, agitante caleſcimus illo,
Impetus hic, ſacræ ſemina mentis habet.

Quamuis igitur diuini ſint poetæ, quamuis perrarò aliquis excellens exoriatur, tamen longè plures boni poetæ, quàm oratores reperiuntur vt omninò facultas oratoria, longè diuinius quiddam, quàm poeſis eſſe videatur. Eſt tamen finitimus oratori poeta, quod infra dicit Cicero: numeris aſtrictior paulò, verborum autem licentia liberior,

multis

multis verò ornandi generibus ſocius, ac penè par. ſed multo anteq̃uàm ars oratoria reperta fuit, Poetæ fuerunt. nam vt præfatione Tuſcul. ait Cicero, antiquiſsimum è doctis apud Græcos eſt genus poetarum. ſiquidem Homerus fuit, & Heſiodus ante Romam conditam. Quin etiam ante Troianum bellum, nonnullos poetas fuiſſe tradunt. Pauſanias, Olenem quendam primum fuiſſe poetam dicit. Carmen Heroicum Apollini Pythio deberi Plinius auctor eſt. Euſtathyius Phæmonoen Apollinis ſacerdotem primum heroicum fudiſſe carmen narrat: inter omnes conſtat longè antequam ſoluta oratio ſcriberetur, poetas extitiſſe. Nam proſam orationem condere Pherecydes Syrus inſtituit. tempore Cyri regis. Plinius libro 7. cap. 56. Quin à Poetis ars oratoria manaſſe videtur: Nam Empedocles poeta, quod 3. libro Quintilianus ſcribit, mouiſſe aliqua primus circa Rhetoricam dicitur, deinde Corax, & Tiſias Siculi, de arte Rhetorica ſcripſerunt: quod inſecutus eſt vir eiuſdem Inſulæ Gorgias Leontinus Empedoclis (vt traditur) diſcipulus, is beneficio longiſsimæ ætatis (nam centum & nouem vixit annos) cum multis floruit, & vltra Socratem vsque durauit. Antiphon Thucididis præceptor, primus omnium orationem ſcripſit, & pro ſe dixiſſe optimè eſt creditus.

Quod hoc etiam mirabilius debet videri, quia cæterarum artium ſtudia ferè reconditis, atque abditis è fontibus hauriuntur: dicendi autem omnis ratio in medio poſita, communi quodam in vſu, atque in hominum more & ſermone verſatur: vt in cæteris id maximè excellat, quod longiſsimè ſit ab imperitorum intelligentia, ſenſuque diſiunctum; in dicendo autem uitium uel maximum ſit, à vulgari genere orationis, atque à conſuetudine communis ſenſus abhorrere.

QVOD HOC ETIAM. Amplificatio eſt ab opportunitate. Poſtquam enim oſtendit in cæteris artibus maximis plures excelluiſſe, quàm in eloqentia, nunc addit mirum hoc videri debere, cum artes reliquæ verſentur in occultis atque reconditis rebus, eloquentia autem incommuni vſu. Fontes abditos & reconditos per tranſlationem appellat initia ſcientiarum ratione collecta, quæ tanquam

fontes

fontes ſunt, vnde ſcientiæ manant. Vnde Craſsus digitos ad fontes intendere dixit, pro eo, quod eſt initia diſciplinæ demonſtrare: & fontes etiam dicuntur, quæ præcipua ſunt in aliqua re; qua de cauſa dixit Antonius 2. de Orat. tardi eſſe ingenij riuulos conſectari, fontes rerum non videre. Quin aliquando fontes dicuntur homines ipſi eruditi, qui copioſè de aliqua ſcientia tractare poſsint. Hinc per ironiam dici ſolet, fontes ipſi ſitiunt, quoties aliqui petunt ab alijs ea, quibus ipſi abundant. ſic ad Q. Fratrem Cicero, Tibi quod rogas, quoniam ipſi fontes iam ſitiunt, ſiquid habebo ſpacij ſcribam. Ad Atticum libro 12. διψῶσαν κρήνην græcè dixit, cum autem omnes ſcientiæ rectè fontibus comparentur, tamen eloquentia non illepidè fonti Dodonæo conferri poteſt: Tradit enim Plinius libro ſecundo, fontem eſſe quendam in Dodona, cuiuſdam admirabilis naturæ, qui cum ſit frigidiſsimus; tamen ſi faces extinctæ admoueantur, eas accendit, ſi quis ardentes immergat, eas extinguit. Sic oratores eadem laudant & vituperant, deprimunt & extollunt, quod in Senatu Romano Carneades fecit, qui (quod ait Quintil. 12. cap. 1.) audiente Cenſorio Catone, non minoribus viribus contra iuſticiam dicitur diſſeruiſſe, quàm pridie pro iuſticia dixerat. Tradunt Catonem Cenſorium poſtquam Carneadem audiuit, Senatui dixiſſe vt ab eo viro caueret, & quamprimum Roma emitteret, qui quæcunque voluiſſet, facile perſuadere poſſet. Quamuis autem dicendi omnis ratio ſit in medio poſita, atque in communi quodam vſu, tamen tàm longè lateque patet, vt eam perfectè conſequi difficillimum ſit; in hoc autem à cæteris artibus eloquentia differt, quod id excellit vbique ferè, quod procul abeſt ab imperitorum intelligentia, vt in Phyſicis cognitio cauſarum præſtantiſsima eſt, quam non niſi ſummo ingenio præditi viri conſequuntur. In Mathematicis quantitates ſunt & proportiones, quæ ſine materia conſyderantur, neque ſine ingenij acumine percipi poſſunt. Iam verò totam Philoſophorum vitam mortis eſſe commentationem, non alia de cauſa dixit Plato, niſi quia maximè ſit à ſenſu diſiuncta, ſed in dicendo nequaquam à conſuetudine communis ſenſus abhorrere oportet, alioqui, vitium ſit vel maximum. Hoc eſt, quod præter cæteras virtutes in Cicerone, maximè Quintilianus admiratur, quòd tam facilè, tam dilucidè, tàm apertè dicat. Tum interim (inquit) hæc omnia, quæ vix ſingula quiſquam intentiſsima cura conſequi poſſet, fluunt illaborata, & illa qua nihil pulchrius audita eſt oratio, præ ſe fert tamen feliciſſimam facilitatem. Quod eleganter etiam in arte ſua poetica docet Horatius, nempè communem vſum & conſuetudinem in dicendo ſequi, magnoperè eſſe laudabile: cuius hæc ſunt carmina;

Ex noto fictum carmen ſequar, vt ſibi quiuis.

Speret idem, ſudet multum, fruſtraque laboret,
Auſus idem tantum ſeries, iuncturaque pollet.
Tantum de medio ſumptis accedit honoris.

Illud certè conſtat optimum quemque auctorem, etiam facillimum, & apertiſsimum eſſe, quod apud latinos Cicero & Virgilius, apud Græcos Demoſthenes, & Homerus declarant. & contra Quintilianus ait, erit eò obſcurior, quò quisque deterior.

Ac ne illud quidem verè dici poteſt, aut plureis cæteris artibus inſeruire, aut maiore delectatione, aut ſpe uberiore, aut præmijs ad perdiſcendum amplioribus commoueri.

AC NE ILLVD QVIDEM. Omnia refutat quæ contra dici poſſent, vt deindè facilius oratoris magnitudinem oſtendat. Poterat enim aliquis dicere, plures in alijs ſcientijs excellere vel quia plus in eis delectationis ſit, vel ſpes vberior, vel ampliora prœmia. Hæc enim ea ſunt, quæ ad ſe facilè mentes hominum allicere poſſunt, iucunditas, ſpes, prœmium, Nam ipſa per ſe delectatio trahit homines ad diſcendum, quippe id eſt homini naturale. ſed ſi dignitatis ſpes, & ampla præmia proponantur, tùm verò quaſi faces in animis accenduntur, ad doctrinam conſequendam. Hæc igitur in eloquentia longè maiora, quam in cæteris ſtudijs eſſe oſtendit.

Atque, ut omittam Græciam, quæ ſemper eloquentiæ princeps eſſe voluit, atq; illas omnium doctrinarum inuentrices Athenas, in quibus ſumma dicendi uis & inuenta eſt, & perfecta; in hac ipſa ciuitate profectò nulla vmquàm vehementius, quàm eloquentiæ ſtudia viguerunt. Nam poſtea quàm, imperio omnium gentium conſtituto, diuturnitas pacis otium confirmauit, nemo ferè laudis cupidus adoleſcens non ſibi ad dicendum ſtudio omni enitendum putauit.

ATQVE VT OMITTAM. Exemplo tùm Græcorum, tùm Romanorum probat id,quod propoſuerat, ſed occupatione vtitur, cum ait ſe Græciam omittere velle,atque Athenienſes apud quos eloquentia ſemper in precio fuit. Græciam autem eloquentiæ principem ideo vocat, quoniam in ea nata eſt, atque alta vis oratoria. Siquidem etiam Heroicis temporibus Vlyſſes & Neſtor eloquentiſsimi fuiſſe dicuntur. & Menelaus pauca quidem, ſed argutè atque ingenioſè loqui ſolitus ab Homero dicitur. Quin apud eundem Homerum Phœnix gloriatur ſe datum à Peleo patre fuiſſe cuſtòdem Achilli, qui doceret eum & politè dicere, & præclarè gerere. Sed Athenas omnium doctrinarum inuentrices appellat, quoniam exiſtimant Hiſtorici, literas ab Athenienſibus inuentas fuiſſe, de quibus Iuſtinus libro ſecundo ſic ait; Primi Lanificij, & olei & vini vſum docuere, arare quoque, & ſerere frumenta, glande veſcentibus monſtrauerunt. Literæ certè ac facundia, & hic ciuilis ordo diſciplinæ, veluti templum Athenas habent. Cum enim eſſent duæ præſtantiſsimæ ciuitates in Græcia quaſi duo clariſsima lumina, Lacedæmon & Athenæ. Lacedæmonij diſciplinas omnes aſpernabantur, & tantum in rebus bellicis, & legibus quas illis Lycurgus ſine ſcripto dederat ſe exercebant. Athenienſes autem omnibus ingenuis artibus dediti erant. Quare fiebat vt non tantùm ex vniuerſa Græcia, ſed etiam ex alijs nationibus Athenas vndique diſcẽdi gratia plurimi confluerent, in eaque ciuitate doctrinæ omnes maiorem in modum florerent.quæ Demoſthenis, Platonis, & Ariſtotelis ætate, qui omnes eodem penè tempore fuerunt, ad eam perfectionem deuenerunt, vt nihil ferè poſtea, quod alicuius momenti ſit adiungi potuerit. Romæ verò tardiſſimè liberales diſciplinæ celebrari cœperũt: annis enim amplius quingentis, Romani diſciplinis, & eloquentia caruere, donec tandem Cethegus & Cato priſcus, ſtudio ſuo cœperunt dicendi artem illuſtrare: Poſt eos infiniti propè fuere, qui ad dicendum omni ſtudio ſibi enitẽdum putauerunt. NAM POSTEAQVAM. Oſtendit opportunitatem temporis, quando Romani cœperunt eloquentiæ operam dare. Nam initio finitimarum gentium bellis aſsiduè vexati, nihil aliud, quàm de re militari cogitare poterant. poſtea verò quàm omnes ferè gentes quæ prius infenſæ fuerant, ſibi ſubiugarunt, tunc adoleſcentes laudis cupidi, cœperunt in arte dicendi ſeſe exercere. Satis enim conſtat, à L. Craſsi temporibus, vſque ad Cæſaris dictaturam nulla vnquàm vehementius, quàm eloquentiæ ſtudia viguiſſe, quo quidẽ medio ſpacio plurimi fuerunt in dicendo præſtantes,quod ex Bruto Ciceronis intelligi facile poteſt. OMNIVM GENTIVM. Atqui nunquam Romani gentes omnes ſubiugarũt. Nam Parthi ſemper ferè fuerunt inuicti, & ſeptentrionem verſus, non vltra Al-

tra Albim fluuium Romanum imperium extendebatur, Quare vel ὑπερβολῆ hoc eſt ſuperlatione vtitur Cicero, vt plus dicat, quam re vera ſit, vel imperium conſtitutum fuiſſe intelligamus, earum omnium gentium, quæ Romanum imperium labefactare potuiſſent, vt Italorum, Gallorum, Carthaginenſium; nam hi præcipuè populi Romano imperio infenſiſsimi fuerunt. Italicæ enim gentes ſæpiſsimè de imperio cum Romanus dimicarunt. Galli etiam vrbem incenderunt, Carthaginenſes non prius hoſtilem in Romanos animum depoſuerunt, quàm funditus euerſi fuerunt. LAVDIS CVPIDVS neque enim ſperare quiſquam ex bellica virtute laudem poterat, cum diuturnitas pacis ocium cõfirmaſſet, neque erat alia res in qua maiore cum dignitate verſari poſſet. Quare nemo ferè laudis cupidus aliud ſtudium quàm eloquentiæ ſequebatur. Hæc autem laudis cupiditas in adoleſcente maximè laudatur, quoniam, vt ait Quintilianus, licet ipſa vitium ſit ambitio, frequenter tamen eſt cauſa virtutum. Eſt enim hoc homini certè naturale, vt alijs præſtare velit. Itaque rectè Val. Max. ait, Nulla eſt tanta humilitas, quæ non dulcedine gloriæ capiatur, & Ariſt. Oeconomicorum primo tradit, multò grauius quęque ferre, ſi debito honore priuetur, quàm ſi fortunis ſuis ſpolietur. Quin Topicorum 6. dixit honorem ab omnibus expeti, quod de ſe Ouidius 1. Triſtium confitetur;

Donec eram ſoſpes, tituli tangebar amore,
Quærendique mihi nominis ardor erat.

Horatius Sermonum 1.

Sed fulgente trahit conſtrictos gloria curru.
Non minus ignotos generoſis.

Sed cùm omnibus in rebus, ſummo ingenio, mortales ambitioſi ſunt, tùm verò in ſtudijs literarum, atque in diſciplinis, in quibus, quod primo de Off. ait Cicero, excellere pulchrum putamus, labi autem, errare, neſcire, decipi, malum & turpe dicimus. Itaque laudis cupidi omni ſtudio ſibi enitendum putant, vt in ſcientia præcellant.

Ac primò quidem totius rationis ignari, qui neque exercitationis vllam viam, neque aliquod præceptum artis eſſe arbitrarentur, tantum, quantum ingenio & cogitatione poterãt, conſequebãtur. Poſt autem, auditis oratoribus Græcis, cognitiſque eorum literis, adhibitiſque doctoribus, incredibi

vigemuſque diuiſum pariter in venas maturum confecto cibo ſanguinem, comparando hinc, quàm inteſtina corporis ſeditio ſimilis eſſet, iræ plebis in patres, flexiſſe mentes hominum. Non eſt igitur mirandum ſi eo tempore pauci fuerunt oratores, cum nullam viam, nullum præceptum artis eſſe arbitrarentur. Licet enim ingenio nonnulli præcellerent, tamen, vt ait Ariſtoteles, ars eſt certior dux quàm natura. POST AVTEM AVDITIS. Hoc primum fuit incrementum eloquentiæ Romanæ, cùm literis Græcis operam nauare cæperunt. Nam ſecundo de Finibus fatetur. Cicero Philoſophiam, & omnes ingenuas diſciplinas à Græcis ad Romanos fluxiſſe. Tertio de Oratore Græcorum doctrinam appellat politiſſimá, tranſmarinam, atque aduentitiam. Sed Athenis maximè Græcorum ſtudia floruerunt. in Bruto, ea vrbs quæ ſemper domus eſt habita doctrinæ. pro Flacco: ad ſunt Athenienſes, vnde humanitas, doctrina, religio, fruges, iura, leges ortæ, atque in omnes terras diſtributæ putantur. Catonis autem ſuperioris tempore Græcæ literæ cæperunt in vrbe Romana florere: nam ipſe Cato, cum iam eſſet admodum ſenex, græcis tamen literis erudiri voluit. & P. Africanis in legatione illa nobili, quam ante cenſuram obijt, Panętium Stoicum vnum omnino Comitem habere voluit. de Clar. Orat. tradit Cicero Sulpitium Gallum qui vir facundus, & Aſtrologiæ peritiſsimus fuit, maximè omnium Græcis literis ſtuduiſſe. ADHIBITISQVE DOCTORIBVS. Romam enim multi græci Rhetores veniebant lucri cauſa, poſtquam Romani græcis incumbere literis cæperunt. atque etiam ipſi Romani Roma proficiſcebantur: alij Rhodum, alij Athenas, alij in Aſiam, vbicumque claros eloquentiæ profeſſores eſſe audiuiſſent. donec tandem cum ſeſe amplificare, atque dilatare cæpiſſet eloquentia latina, longeque Romani, & ingenio, & grauitate Græcis antecellerent, quaſi ludibrio Gręci habiti ſunt. Sic Antonius ſecundo de Oratore Gręcorum doctrinam perridiculam vocat: ita Ciceronis pater dicebat, vt quiſque optimè Græcè ſciret, ita eſſe nequiſsimum. Ita Cicero ad Q. Fratrem, Græcos fallaces, & leues, & diuturna ſeruitute ad nimiam aſſentationem eruditos. plurimis autem in locis leues, loquaces, ineptos, garrulos, infideles Græcos appellat Cicero. Sed nullus profectò melius vnquam Græcorum ingenium expreſsit, quam Iuuenalis his verſibus, Satyra tertia;

Ingenium velox, audacia perdita, ſermo
Promptus, & Iſæo torrentior, ede quid illum
Eſſe putes quemuis hominem ſecum, attulit ad nos
Grammaticus, Rhetor, Geometres, Pictor, Aliptes,
Augur, Schœnobates, Medicus, Magus omnia nouit
Græculus eſuriens, in cœlum iuſſeris ibit.

EXCITABAT EOS. Cauſas aperit, quibus adducti Romani iuuenes, eloquentiæ ſtuderent: Prima eſt, quia in omni tàm deliberatiuo, atque demonſtratiuo genere, quàm iudiciali magnas & varias, & multas cauſas eſſe videbant, quas vel improbandas, vel defendendas ſuſciperent. nam, vt ait Ouid.

Excitat auditor ſtudium, laudataque virtus.
Creſcit, & immenſum gloria calcar habet.

Neque enim laudis cupidum tedere poteſt, multum in ſtudijs laborare, cum ſe laborum ſuorum vberem, diuturnumque fructum percepturum intelligit. Itaque Romani iuuenes, cum latiſsimum cauſarum campum viderent, in quo maximè poſſet exultare oratio, ſeſe eloquentiæ ſtudio addicebant, & in foro ſe frequenter exercebant. Frequens enim vſus (inquit) omnium magiſtrorum præcepta ſuperat, hoc eſt, quod etiam pro Cornelio Balbo dicit Cicero, aſsiduus vſus vni rei deditus, & ingenium, & artem ſæpè vincit. & pro C. Rab. Poſth. vſus (inquit) eſt magiſter optimus. Plinius etiam Epiſt. libro 6. ſic ait; Video etiam multos paruo ingenio, literis nullis, vt benè agerent agendo conſecutos, quamuis Syrianus Hermogenis interpres, Euagoram Sophiſtam taxet, qui dicendi facultatem non ratione, ſed vſu tantùm conſtare cenſuerit: Et hoc eodem libro Cicero, in quo (inquit) fallit eos, quod audierunt dicendo homines, vt dicant efficere ſolere. Verum etiam illud dicitur peruerſe dicere homines, peruersè dicẽdo facillimè conſequi. ERANT AVTEM. Tria ſunt, quæ maximè ſolent homines ad aliquid agendum excitare, gratia, diuitiæ, dignitates. Quis enim non omni ſtudio id aggrediatur, vnde primò multorum hominum ſibi beneuolentiam conciliare poſsit? deinde non tantum diuitias, ſed etiam honores, & dignitates acquirere? Hæc præcipua cauſa fuit, cur ad eloquentiam Romani accenderentur, quia maxima huic ſtudio propoſita præmia videbant. Sicut enim pœnæ plerumque homines à maleficio deterrent, ita præmia ſolent ad virtutem inflammare. Quis enim (ait Iuuenalis) virtutem amplectitur ipſam, præmia ſi tollas? INGENIA VERO. In Proemio Tuſcul. quæſt. multis rationibus probare nititur Romanorum ingenia longè meliora, atque acutiora, quam Græcorum fuiſſe: Meum, inquit, iudicium ſemper fuit, omnia noſtros, aut inueniſſe per ſe ſapientius, quàm Græcos, aut accepta ab illis feciſſe meliora, quæ quidem digna ſtatuiſſent, in quibus elaborarent. De ingenijs autem ideo mentionem facit, quoniam (vt ait Quintilianus) nihil præcepta atque artes valent, niſi adiuuante natura. Quapropter (inquit) ei cui deerit ingenium, non magis hæc ſcripta ſunt, quàm de agrorum cultu ſterilibus terris. Sed hoc loco Cicero Romanorum

inge-

ingenia, non tantum Græcorum, ſed etiam reliquarum omnium gentium ingenijs anteponit. iucundum eſt autem conſiderare, quemadmodum omnia cauſarum genera, quæ traduntur à philoſophis, tetigerit hoc loco Cicero, vt nihil ad eloquentiam acquirendam Romanis omnino defuiſſe colligat. ſunt autem quatuor cauſarum genera, quæ ſecundo Phyſicorum libro tradit Ariſtoteles, Materia ex qua fit aliquid, aut quæ rebus ſubiecta eſt: Forma per quam res efficiuntur: Finis cuius gratia res fit, & ad quem omnia diriguntur: Efficiens, à qua res potiſsimum efficitur, & ſine qua reliquæ cauſæ nullius momenti ſunt. Quid ergo? materiam primo loco ponit Cicero quando ait; excitabat eos magnitudo, & varietas, multitudoque in omni genere cauſarum. Hæc enim eſt materia, quam tractet, & in qua verſetur orator. Secundo loco formam conſtituit, quando ait ad eam doctrinam, quam ſuo quiſque ſtudio conſecutus eſſet, adiungeretur vſus frequens, qui omnium magiſtrorum præcepta ſuperaret. Doctrina enim atque vſus forma eſt, per quā efficitur eloquentia. Tertio loco finē adducit; quādo ait; erant huic ſtudio maxima, quæ nūc quoque ſunt propoſita præmia, vel ad gratiam, vel ad opes, vel ad dignitatem. Quicunque enim in aliqua liberali arte laborat, ille ſibi finem hunc proponit, vt & diuitias, & honorem aſſequatur. Quarto denique loco ponit efficientem cauſam, quod eſt ingenium, ſine quo nihil aliæ cauſæ prodeſſe poſſent. QVIBVS DE CAVSIS. hoc loco propoſitionis rationem concludit, vt ad aſſumptionem aliquando tranſeat: merito poſſunt (inquit) omnes admirari, quod ex omni memoria tàm pauci oratores inueniantur: cauſarum enim ignoratio, (quod ait Philoſophus) admirationem parit, ſed cum explicatæ cauſæ fuerint, tūc ceſſat omnis admiratio. Itaque in aſſumptione cauſam adfert, quare tā pauci ſint oratores, vt tandē deſinant homines admirari, ſimul etiam, vt ſententiam ſuam probet, hoc eſt eruditiſsimorum hominum artibus eloquentiam contineri.

Sed nimirum maius eſt hoc quiddam, quàm homines opinantur, & pluribus ex artibus, ſtudijsque collectum. Quis enim aliud in maxima diſcētium multitudine, ſumma magiſtrorum copia, præſtantiſsimis hominum ingenijs, infinita cauſarum varietate, ampliſsimis eloquentiæ propoſitis premijs, eſſe cauſæ putet, niſi rei quandam incredibilem magnitudinem, ac difficultatem? Eſt

enim

niam non niſi pluribus ex artibus confici poteſt eloquentia. QVIS ENIM. Aſſumptionis confirmatio, qua probare contendit ex multis artibus conſtare eloquentiam. Sed antequam ea numerat, quæ ſunt oratori neceſſaria, ſummatim ea dicit, quæ magnum oratorum numerum facilè poſſent efficere: niſi rei magnitudo, atque difficultas impediret. Sunt autem quinque, maxima diſcipulorum multitudo, qui ſe in dicendo exercent: ſumma magiſtrorum copia, qui viam & rationem dicendi tradant, præſtantiſsima hominum ingenia, quæ facile, tradita percipere poſsint; infinita cauſarum varietas, quæ dicendi materiam ſuppeditet, ampliſsima præmia, quæ vel deſides & inertes excitare poſsint, quæ tum omnia ab incredibili quadam rei magnitudine, atque difficultate ſuperantur. QVIS ENIM ALIVD. hæc exornatio dicitur à Græcis συναθροισμός, à Latinis quibuſdam congeries, ab autore ad Herennium frequentatio, cum res variæ, atque diſperſæ coguntur in vnum locum, quo grauior, aut acrior oratio ſit. EST ENIM ET SCIENTIA. Connumerat ea, quæ futuro oratori neceſſaria ſunt. ac primo rerum plurimarum ſcientiam comprehendendam eſſe ait, quod fieri non poteſt, niſi quis pluribus artibus operam dederit, quod eleganti ſimilitudine Quintilianus lib. 1. cap. 10. ſic affirmat, muta animalia mellis illum imitabilem humanæ rationi ſaporem vario florum ac ſuccorum genere perficiunt. nos mirabimur, ſi oratio, qua nihil præſtantius homini dedit prouidentia, pluribus artibus eget; quæ etiam cum ſe non oſtendunt, in dicendo nec proferunt, vim tamen occultam ſuggerunt, & tacitè quoque ſentiuntur. VERBORVM VOLVBILITAS. Maximè enim vituperandi ſunt, qui de rebus nullius momenti plurima verba faciunt. Vnde non ſine ratione Lacedæmonij Cteſiphontem Rhetorem eiecerunt, qui ſe profitebatur de re quauis etiam minima, totum diem poſſe dicere, nam boni oratoris eſſe dixerunt, orationem rebus parem habere. Plutarchus in Laconicis Apophthegmatis ait, Cleomenem Cleombroti filium, cum quidam apud eum prolixè loqueretur, dixiſſe, quid mihi de paruis magna facis proemia: nam quanta res fuerit, tanta ſit etiam oratio, qua vteris. Vnde etiam prouerbio, de nugis longa proemia, facere dicuntur, qui in tenui re, verboſa vtuntur oratione: hi dicuntur etiam Tragœdias in nugis agere. Cicero ſecundo de Orat. Ne aut irriſione, aut odio digni putemur, ſi tragœdias agamus in nugis. ORATIO CONFORMANDA. Duo ſunt, quæ politam & elegantem orationem reddunt, prima eſt verborum electio, ne quod barbarum, aut parum latinum verbum admittamus: qua in re maxima præſertim hoc noſtro tempore diligentia opus eſt, cum tam pauci ſint, qui verborum aut delectum habeant, aut proprietatem intelligant. itaque de ſingulis dubitare non erit inutile.

tile. altera eſt verborum conſtructio. nam, vt in Partitionibus ait Cicero, numeri quidam ſunt in coniunctione ſeruandi, conſecutioque verborum numeros aures ipſæ metiuntur, ne aut non compleas verbis, quod propoſueris, aut redundes. Conſecutio autem ne generibus, numeris, temporibus, perſonis, caſibus perturbetur oratio. O MNES ANIMORVM MOTVS. qui genere quidem quatuor ſunt, ſpecie verò plures, omnes autem, vt docet Ariſt. vel à voluptate, vel à triſtitia naſcuntur. Voluptas autem in opinione boni conſiſtit, quemadmodum triſtitia in opinione mali. Sed opinio illa, vel præſentis eſt temporis vel futuri: Si præſentis ſit temporis opinio boni voluptas, vel lætitia, vel iucunditas appellatur, ſi futuri ſpes, vel libido, vel cupiditas dicitur. Opinio vero mali præſentis triſtitia, vel ægritudo, vel mœſtitia vocatur, futuri autem temporis timor, vel metus, vel formido, vel pauor nuncupatur. His quatuor generibus plurimæ ſunt ſpecies ſubiectæ, quas Tuſcul. 4. Copioſè Cicero perſequitur. Has animi perturbationes, inquit, oportet, vt orator rectè nouerit. Sed hoc loco Peripateticorum, & Academicorum opinionem ſequitur, cum ait, quos hominum generi rerum natura tribuit. Nam Stoici nequaquam naturales eſſe perturbationes animorum exiſtimabant, ſed voluntarias, itaque dicebant ſapientem omni perturbatione penitus vacare, vt neque gaudeat, neque doleat, neque ſperet, neque timeat. Verum Academici volebant etiam vtiliter à natura datas eſſe perturbationes, quoniam aliter ad honeſtatem animus accendi non poteſt, niſi aliquo modo perturbetur, quare cotem fortitudinis, iracundiam appellabant. has tamen à corpore perturbationes naſci Plato cenſuit, cum animus immortalis ſit, & diuinus, quod eleganter & erudite Virgilius in 6. ſic oſtendit;

Igneus eſt ollis vigor, & cœleſtis origo
Seminibus quantum non noxia corpora tardant.
Terrenique hebetant artus, moribundaque membra.
Hinc metuunt, cupiuntque dolent, gaudentque nec auras
Reſpiciunt clauſæ tenebris, & carcere cæco.

ACCEDAT EODEM. Non ſatis eſt perturbationum naturam à Philoſophis didiciſſe, niſi quidam etiam lepos, & facetiæ adiungantur. de quibus Iulius Cæſar libro 2. de Oratore copioſè diſputat. Verum ſciendum eſt, eſſe duplex iocandi genus, quemadmodum primo de Off. docet Cicero: Vnum illiberale, petulans, flagitioſum, obſcœnum; alterum elegans, vrbanum, ingenioſum, facetum. quo genere non modo Plautus noſter, inquit, & Atticorum antiqua Comœdia, ſed etiam Philoſophorum Socraticorum libri referti ſunt. Quintilianus libro 6. cap. 3. de riſu mouendo copioſe tractat. Cicero

libro 7. Epiſt. ad Volumnium ſcribens, quatuor potiſsimum facetiarum genera probare videtur, ἀμφιβολίαν, ὑπερβολήν, παράγραμμα, & παρὰ προσδοκίαν. laudatur in primis Amphibolia, vt illa Ciceronis, cum accuſator Milonis frequenter interrogaret, quo tempore cæſus eſſet Clodius, reſpondit Serò, & cum eo præſente quidam, qui coqui filius putabatur ſuffragium peteret, dixit, ego quoque tibi fauebo. Hyperbole ſicuti Cicero de Memmio homine prælongo: caput ad Fornicem Fabij offendiſſe, & de ſtatua fratris ſui; Frater, inquit, meus maior eſt dimidius, quam totus. παράγραμμα eſt, cum literæ peruertuntur. vt Tiberius Claudius Nero, quia vino deditus erat, vocatus eſt Biberius, Caldius Mero. & Tullius quidam, quia fur eſſet, Tollius eſt dictus. παρὰ προσδοκίαν præter expectationem, vt, nihil huic deeſt, niſi res, & virtus, & Domitius Afer, inquit; homo in agendis cauſis optimè veſtitus. Cicero cum Sex. Annalis reum læſiſſet, & accuſator inſtaret, dicens, dic de Sex: Annali, verſus Ennij recitare cæpit ex ſexto libro;

Qui potis ingentis cauſas euoluere belli,

Tenenda præterea eſt omnis antiquitas, exemplorumque vis: neque legum, aut iuris ciuilis ſcientia negligenda eſt. Nam quid ego de actione ipſa plura dicam? quæ motu corporis, quæ geſtu, quæ vultu, quæ vocis confirmatione, ac varietate moderanda eſt: quæ ſola per ſe ipſa quanta ſit, histrionū leuis ars, & ſcena declarat: in qua cùm omnes in oris, & vocis, & motus moderatione elaborent, quis ignorat, quàm pauci ſint, fuerintque, quos animo æquo ſpectare poſsimus?

TENENDA PRÆTEREA. Peritum hiſtoriarum oratorem eſſe oportet, vt exemplorum illi copia ſuppetat. eſt enim, vt Quintilianus docet, potentiſsimum ad perſuadendum exemplū, quod aut ſimile eſt, aut diſsimile, aut contrarium. Simile, vt iure Saturninus occiſus eſt, ſicut Gracchi diſsimile. Brutus occidit liberos proditionem molientes. Manlius virtutem filij morte mulctauit. Contrarium, Marcellus ornamenta Syracuſanis hoſtibus reſtituit, Verres eadem ſocijs abſtulit. Sunt igitur exempla tanquam argumenta quædam firmiſsima, quibus frequentiſsimè vti debet orator, quod nullo

modo facere poterit, niſi multas hiſtorias nouerit. NEQVE LEGVM. Etiam ius ciuile plurimum oratori prodeſſe, primo libro copioſè declarabit; cum plurimæ cauſæ ſint, quæ ſine iuris ſcientia nullo modo poſſunt explicari; quamuis in oratione pro L. Murena facetiſsimè iuris ciuilis ſcientiam irrideat, & oſtendere conetur neque dignitatem, neque vtilitatem in ſe habere. tamen id non alia de cauſa fecit, niſi vt rem militarem amplificaret & Murenam Imperatorem Seruio Sulpitio iuriſconſulto præponeret. hactenus autem ea commemorauit, quæ doctrina percipere debet orator. Sunt autem numero ſex.

Prima eſt ſcientia rerum plurimarum, quæ ingenuis artibus continetur, vt ijs, quibus oratio conficitur, & quæ mathematicæ dicuntur.

Secunda eſt electio verborum, atque collocatio, quibus elocutio conſtat oratoris propria.

Tertia eſt cognitio motionum animi quæ traditur à Philoſophis: vnde probatur etiam Philoſophiam oratori neceſſariam, cum præſertim omnis vis ratioque dicendi verſetur in his perturbationibus, vel excitandis, vel ſedandis.

Quarta eſt tractatio ridiculorum, quæ ſit homine libero digna: nam aliquando riſus id efficit, quod nulla dicendi uis efficere poteſt, & propter opportunum riſum, maximę cauſæ defenſę fuerunt, quod accidit Demoſtheni, cum de vmbra Aſini diſputauit.

Quinta eſt hiſtoriarum cognitio, quæ maximam oratori prudentiam, & dicendi copiam adfert: nam neſcire, quid antequam natus ſis acciderit, eſt ſemper eſſe puerum.

Sexta & vltima eſt iuris ciuilis ſcientia, quæ maximè eloquentiam augere poteſt, & cauſarum ſubtiliorem afferre cognitionem; his ſi rebus addatur egregia pronunciatio, memoriaque non vulgaris, orator certè perfectus efficietur. Itaque ſtatim adiungit Cicero. NAM QVID EGO DE ACTIONE. Actio quod ait Valla, tùm ipſa pronunciatio dicitur, tùm oratio, quæ habetur, tùm oratio ſcripta. Sed hoc loco pronunciationem ſignificat, quam Græci ὑπόκρισιν vocant. Quintil. libro 11. capitu. 3. pronunciatio (inquit) à plerisque actio dicitur, ſed prius nomen à voce, ſequens à geſtu videtur accipere. Namque actionem Cicero, alias quaſi ſermonem, aliàs eloquentiam quandam corporis dicit. Habet autem res ipſa, miram quandam in orationibus vim ac poteſtatem: affectus omnes langueſcant neceſſe eſt, niſi voce, vultu, totius propè habitu corporis inardeſcant. Demoſthenes, quid eſſet in toto dicendi opere primum, interrogatus, pronunciationi palmam dedit, eidemque ſecundum ac tertium locum, donec ab eo quæri deſineret, vt eam videri poſsit non præcipuam, ſed ſolam iudicaſſe. Ideoque ipſe tam diligenter

apud

apud Andronicum Hypocriten ſtuduit, vt admirantibus eius orationem Rhodijs, non immerito Æſchines dixiſſe videatur: Quid ſi ipſum audiſſetis? & Cicero vnam in dicendo actionem dominari putat. Hac Cn Lentulum, plus opinionis conſecutum, quam eloquentia, tradit: Eadem C. Gracchum in deflenda fratris nece, totius populi R. lacrymas concitaſſe: Antonium, & Craſſum multum valuiſſe, plurimum verò Q. Hortenſium, cuius rei fides eſt, quod eius ſcripta tantum intra famam ſunt, qui diu princeps oratorum, aliquando æmulus Ciceronis exiſtimatus eſt, nouiſsimè quo ad vixit ſecundus, vt appareat placuiſſe aliquid eo dicente, quod legentes, non inuenimus. Quatuor autem res hoc loco Cicero actioni tribuit: motum corporis, geſtum, vultum, vocis conformationem. Quintilianus actionem in duas partes diuidit, in vocem, & geſtum; quorum alter oculos, altera aures mouet, per quos duos ſenſus, omnis ad animum penetrat affectus. Vultum igitur, & totius corporis motum, geſtui ſubijcit. Vocis duæ præcipuè virtutes ſunt, vt ſit clara, vt ſit ſuauis. Geſtus autem animorum, voluntatem plerumque declarat, decor quoque à geſtu, atque à motu venit. Ideoque Demoſthenes grande quoddam ſpeculum intuens, componere actionem ſolebat. Quod autem actio res quædam difficilis ſit, probat ab hiſtrionibus Cicero; qui quamuis nulla alia in re, quàm in voce, geſtuque corporis conformando laborent, pauci tamen excellentes euadunt. Vnus præter cæteros hiſtrio Roſcius celebratur Ciceronis amiciſsimus, qui tàm erat egregius in actione fabularum, vt quiſquis in arte quapiam inſignis eſſet, Roſcius vocaretur. Id indicat Cic. de Oratore 1. Itaque hoc eſt iam diu conſecutus, vt in quo quiſque artificio excelleret, is in ſuo genere Roſcius diceretur. Idem in 2. de Orat. Soleo ſæpe mirari eorum impudentiam, qui agunt in ſcena geſtum ſpectante Roſcio, quis enim ſe commouere poteſt, cuius ille vitia non videat?

Quid dicam de theſauro rerum omnium memoria? quæ niſi cuſtos inuentis, cogitatiſque rebus, & verbis adhibeatur: intelligimus, omnia, etiam ſi præclariſsima fuerint, in oratore peritura. Quamobrem mirari deſinamus, quæ cauſa ſit eloquentium paucitatis, cùm ex ijs rebus vniuerſis eloquentia conſtet, quibus in ſingulis elaborare permagnum eſt: hortemurque potiùs liberos no-

ſtros, ceterosque, quorum gloria nobis, & dignitas cara eſt, vt animo rei magnitudinem complectantur, neque ijs aut præceptis, aut magiſtris, aut exercitationibus, quibus vtuntur omnes, ſed alijs quibuſdam, ſe id, quod expetunt, conſequi poſſe confidant.

QVID DE THESAVRO. Quod optimum eſt, & omnibus artibus commune, poſuit vltimo loco: Mater enim Muſarum memoria dicitur. Itaque Afranius Poeta ſapientiam, vſus, & memoriæ filiam eſſe dixit: cuius duo verſus ex togata fabula, cui Sellæ nomen eſt, libro 13.cap.8. Gellius citat.

Vſus me genuit, mater peperit memoria.
Sophian vocant me Graij, vos ſapientiam.

Quintilianus memoriam quaſi eloquentiæ ſpiritum eſſe cenſet, qua cæteræ partes omnes continentur. Hanc cuſtodem non tantum rerum, ſed etiam verborum eſſe vult, hoc loco Cicero, cæterò qui nihil in oratore cætera valebant. Exiſtimat tamen & in Phœdro, & in Timęo Plato, literarum vſum memoriæ nocere, quoniam illa, quæ ſcriptis repoſuimus, velut cuſtodire deſinimus, & ipſa ſecuritate dimittimus. Eſt autem duplex memoria, naturalis, & artificioſa. Naturalis ea eſt, quam vnuſquiſque ſortitus eſt à natura, quæ excolendo, ſicut alia omnia augetur. Artificioſa locis, & imaginibus cōſtat. Hanc oſtendiſſe primus Simonides dicitur, cum in Cranone Theſſaliæ oppido, triclinium ſupra conuiuas corruiſſet. Hac memoria multi excelluerunt: vt Metrodorus Sceptius, Carneades, Hortenſius, Cyneas Pyrrhi legatus, multique alij. Sed Quintilianus eam irridere quodammodo videtur, multoque magis exercitationem quàm artem memoriæ prodeſſe cenſet; cuius hæc ſunt verba; Siquis tamen vnam, maximamque à me artem memoriæ quærat, exercitatio eſt, & labor; multa ediſcere, multa cogitare, & ſi fieri poteſt, quotidiè potentiſsimum eſt. QVAMOBREM MIRARI. Concluſio totius argumentationis. Expoſitis enim cauſis ceſſare debet admiratio. Nam eloquentia octo rebus conficitur, quarum in vna tantum excellere difficile eſt. Res enim quædam ardua eſt rerum plurimarum ſcientiam comprehendere, difficile eſt, quæ iam perceperis, eleganter, & politè dicere: quid animorum motus ſcienter & artificioſe, uel concitare, uel mitigare? quid liberaliter, & facete iocari? quid omnem antiquitatem euoluere? legumque nodos atque ænigmata penetrare,

quàm

quàm arduum eſt? Iam verò ſuauis & clara pronunciatio, memoria que tenax, & firma paucis admodum contingit: quid ergo? ſunt nobis hortandi liberi noſtri, cæterique, quorum gloriam & dignitatem curamus, vt perfectam quandam eloquētiæ ſpeciem, animo complectantur, & eius magnitudinem, atque difficultatem aduertant; ne fortaſſe putent, ſe uulgaribus iſtis præceptis atque tritis, quæ traduntur in arte, poſſe eloquentiam conſequi: quæ licet aliquod adiumentum afferant, non tamen eloquentiam facere poſſunt: neque ſe tantùm magiſtris eis, qui Rhetoricam profitentur, & oratorijs exercitationibus tradant, ſed ea omnia, quæ propoſuimus, omni diligentia conſequi ſtudeant. Hac igitur ratione fratris ſententiam euertit, qui eloquentiam ab elegantia doctrinæ ſegregandum putabat, & ingenio tantum atque exercitatione conſtare. Tria uerò numerat hoc loco, quibus plerique ſe fieri eloquentes poſſe cenſebant: artis præcepta, quæ certam uiam rationemque dicendi commoſtrant, Magiſtros, qui declamantes audire, atque emendare conſueuerant, exercitationes quibus frequenter utebantur, quæ licet ad dicendi facultatem utilitatis plurimum adferant, ſunt tamen alia maiora, ſine quibus eloquentia perfecta conſtare non poteſt. VT ANIMO REI MAGNITVDINEM. Quoniam oculis uideri non poteſt, ſaltem animo conſiderent. Hæc autem ratio fortaſſe multorum ſtudia tardabit, qui deſperatione debilitati experiri id nolent, quod ſe aſſequi poſſe diffidant. Sed par eſt (inquit Cicero) omnes omnia experiri, qui res magnas, & magnopere expetendas concupiuerunt: Quod ſi quem aut natura ſua, aut illa præſtantis ingenij uis forte deficiet, aut minus inſtructus erit magnarum artium diſciplinis, teneat tamē eum curſum quem poterit. prima enim ſequentem honeſtum, eſt in ſecundis tertijſque conſiſtere. CONSEQVI SE POSSE CONFIDANT. Nunquam enim animo cadere debemus, neque in cogitationum noſtrarum conſilium deſperationem admittere, ſed confidere, & ſperare, nos eloquentiam ſummam conſequi poſſe. Nihil enim tam altè poſitum eſt à natura, quo ſtudium & induſtria non poſſit eniti. Videmus funambulos, præſtigiatores, circulatores tantum exercitatione conſequi, ut admirabilia quædam efficiāt, nos autem bonarum artium ſtudijs dediti, quæ maximè naturam attingunt humanam, alijs excellere poſſe diffidemus? imò verò toto pectore, atque omnibus, quod aiunt, unguiculis, ad hanc dicendi gloriam & dignitatem aſpirare debemus.

Ac mea quidem ſententia, nemo poterit eſſe omni laude cumulatus orator, ni erit omnium rerum

magna-

magnarum, atque artium ſcientiam conſecutus. Etenim ex rerum cognitione efflorescat, & redundet oportet oratio: quæ niſi ſubeſt, res ab oratore percepta, & cognita, inanem quandam habet elocutionem, & penè puerilem.

ACMEA. Poſt argumentationem eam, qua paucitatem Oratorum, reliquarum artium comparatione probauit, & rei magnitudinẽ atque difficultatem oſtendit, nunc tandem proponit de oratore perfecto ſententiam ſuam, eumque rerum omnium magnarum ſcientia cumulatum eſſe oportere, demonſtrat. Exiſtiment (inquit) alij quicquid voluerint, equidem ego ita ſentio, non poſſe oratorem eſſe præſtantem, ſine liberalium artium cognitione. OMNI LAVDE CVMVLATVS. vt nihil prorſus ad laudem illi deſit. Locutio hęc Ciceronis familiariſsima, quæ quodammodo prouerbij ſpeciem habet. Sic in ſecundo de Oratore, quid plenius, quàm omni rerum genere cumulata oratio? ſic etiam cumulatus uitijs dicitur, ibidem; Hoc vitio cumulata eſt erudiriſsima illa Græcorum natio. pro Seſt: dixit perfectam, cumulatamque virtutem. de Fin. 2. ex altera parte ponebas cumulatum aliquem plurimis, ex maximis voluptatibus. de off. 1. Africanus eloquentia cumulauit bellicam gloriam. de finibus 5. ſummum bonum, quod cumulatur ex integritate corporis, & ex mentis ratione perfecta. Epiſt. 9. non poſſum non confiteri, cumulari me maximo gaudio. Ita dicimus cumulatè gratias agere, cumulatè ſatisfacere alicui, ornatè cumulateque tractari, dixit ad Attic. 15. ita cumulus pro acceſsione atque additamento; vt pro Mar. ad tua innumerabilia in me vnum merita, quod fieri iam non poſſe arbitrabar, maximus hoc ſuo facto cumulus acceſsit. Cicero filius ad Tyr. Iucundiſſimę tuæ literę, cumulum mihi gaudij attulerunt. Videtur hanc locutionem ſicuti plurimas alias à Græcis mutuatus Cicero. apud quos frequenter inuenitur σωρὸς ἀγαθῶν, σωρὸς κακῶν, ideſt cumulus bonorũ, cumulus malorum. Ariſtophanes in Plut. ἡμῖν γὰρ ἀγαθῶν σωρὸς εἰς τὴν οἰκίαν ἐπεισπέπαικεν in eadem fabula, σωρὸν χρημάτων dixit, & σωρὸν πρεσβυτικῶν κακῶν, eadem ratione dicunt ἀγαθῶν μυρμηκιά. multaque id genus alia. ETENIM EX Ratione probat ſententiam ſuam, quomodo enim florida ſit oratio? non alia ſanè re, niſi plurimarum artium cognitione, quomodo redundans, & copioſa? eadem illa rerum cognitione. Hoc loco notanda eſt duobus in uerbis duplex metaphora ſuauiſsimè poſita, altera ab arboribus, & terra natis ſtirpibus, quæ ſuo tempore ſolent efflorescere: altera à riuis, quæ à fontibus

pleno

pleno gurgite redundant. Vult igitur rerum cognitionem oratori eſſe, tanquam plantas floribus, fontes riuis, vt quemadmodum nulli ſine plantis eſſe flores, nulli ſine fontibus riui poſſunt, ita nulla ſine cognitione rerum eloquentia. Sed quemadmodum magno ſunt ornamento riui fontibus, flores arboribus, ita eloquentia rerum cognitioni. QVÆ NISI SVBEST. Si, inquit, in dicendo quis ſine rerum cognitione fuerit exercitatus, conſequetur quidem aliquam orationis facultatem, ſed erit ea languida, puerilis, & inanis, quales ſunt ab arboribus detracti flores, à fontibus riuuli ſemoti, facilè enim exareſcere ſolent. Rem igitur ſubeſſe oportet, ab oratore perceptam, & cognitam, ne fiat inanis & puerilis elocutio. Inanis oratio dicitur, quæ nullam ſententiarum grauitatem habet, puerilis autem, quæ neque prudentiam, neque eruditionem præſe fert.

Neque verò ego hoc tantum oneris imponam noſtris præſertim oratoribus in hac tanta occupatione vrbis, ac vitæ, nihil vt ijs putem licere neſcire. quamquam vis oratoris, profeſsioque ipſa bene dicendi, hoc ſuſcipere, ac polliceri videtur, vt omni de re, quæcunque ſit propoſita, ab eo ornatè, copioſeque dicatur.

NEQVE VERO EGO HOC. Hæc eſt vltima pars totius proemij, in qua proponit, quid ſit in toto opere tractaturus. Profeſsio quidem, inquit, benedicendi pollicetur de omni re propoſita ornatè copioſeque dicere, ſed tamen nolo tantum oneris noſtris oratoribus imponere. TANTVM ONERIS. à baiulis metaphora ſumpta, ſic dicimus onus ſuſcipere, & onus deponere, ſuſtinere etiam onus dicitur. de Senect. quæ pleriſque ſenibus ſic odioſa eſt, vt onus ſe Aetna grauius dicant ſuſtinere.

Pythagoræ præceptum eſt, adiuuandos illos eſſe, qui onera tollant, non autem eos, qui deponunt; ſic enim ſuos diſcipulos admonebat; φόρτιον συγκαθαιρεῖν μηδὲ συναποτιθέναι. nonnunquam in malam partem onus capitur, vt terrę onus, de homine prorſus inerte, atque inutili, quod Gręce γῆς βάρος dicitur apud Homerum Iliados 18. Achilles ſe ipſum appellat ἐτώσιον ἄχθος ἀρούρης, hoc eſt, telluris inutile pondus, quoniam eſſet otioſus, & prælium non iniret. dicitur etiam onus nauis, ignauus, & nullius vtilitatis homo. ἄχθος νέως à Gręcis. VRBIS ET VITAE. occupationem vrbis, appellat magnitudinem, & ua-

rietatem,

rietatem, multitudinemque in omni genere cauſarum; vitę occupationem appellat honorum decurſum, quæſturam, ædilitatem, præturam, conſulatum: in quibus tota penè vita candidatorum erat occupata. Nam poterant igitur omnia Romani diſcere, cum decimo ſeptimo anno, ſumpta virili toga, ſtatim publicis, & priuatis negocijs occuparentur. itaque fiebat, vt pauci perfecti oratores euaderent. VIS ORATORIS. Vim perfecti oratoris intelligit, quem in eo libro qui orator inſcribitur informat. Atque ego, inquit, in ſummo oratore fingendo, talem informabo, qualis fortaſſe nemo fuit, non enim quæro quis fuerit, ſed quid ſit illud, quo nihil poſsit eſſe pręſtantius. OMNI DE RE. Hoc plerique Sophiſtæ Græci profitebantur, quos vbique Socrates inſectatur, & λογοδαιδάλους vocat. Talis erat Thraſimachus Chalcedonius, Gorgias Leontinus, Protagoras Abderites, Hippias Heleus, nonnullique alij, qui nullá rem, neque tàm paruam, neque tàm magnam eſſe dicebant, de qua non poſſent ornatè copioſeque dicere.

Sed quia non dubito, quin hoc pleriſque immenſum, infinitumque videatur, & quòd Græcos homines non ſolùm ingenio, & doctrina, ſed etiam otio, ſtudioque abundanteis, partitionem quandam artium feciſſe video, neque in vniuerſo genere ſingulos elaboraſſe, ſed ſepoſuiſſe à cæteris dictionibus eam partem dicendi, quæ in forenſibus diſcrepationibus iudiciorum, aut deliberatione verſaretur, & id vnum genus oratori reliquiſſe: non complectar in his libris amplius, quã quod huic generi, rę quæſita, & multùm diſputata, ſummorum hominum propè conſenſu eſt tributum: repetamque non ab incunabilis noſtræ veteris, puerilisque doctrinæ quendam ordinem præceptorum, ſed ea, quæ quondam accepi in noſtrorum hominum, eloquentiſsimorum, & omni dignitate principum, diſputatione eſſe uerſata: non quòd illa contemnam, quæ Græci, dicendi artiſi-

artifices,& doctores reliquerunt: ſed cùm illa pa-teant, in promptuque ſint omnibus, neque ea interpretatione mea aut ornatiùs explicari, aut planiùs exprimi poſsint, dabis hanc veniam mi frater, vt eorum, quibus ſumma dicendi laus à noſtris hominibus conceſſa eſt, auctoritatem, Græcis anteponam.

SED QVIA NON. cauſas adducit, quare nolit his in libris omnia tractare, quæ ad oratorem perfectum efficiendum putet eſſe neceſſaria. Duabus (inquit) de cauſis his libris complectar tantum ea, quæ in forenſibus diſceptationibus iudiciorum, aut deliberationum uerſantur. Primo, quia ſi perſequi omnia vellem, plerisque hoc immenſum infinitumque videretur: deinde, quia Græci quamuis ocio abundarent, tamen à reliquis ſtudijs Rhetoricæ præcepta ſepararunt. QVOD GRAECOS HOMINES. Quatuor ea Græcis attribuit, quæ in eo eſſe debent, qui rerum omnium cognitionem acquirere velit, ingenium, doctrinam, ocium, ſtudium, vt oſtẽdat multò magis Romanis concedi debere, ſi non in omnibus artibus elaborent, cum ij, qui ingenio, doctrina, ocio, ſtudio, multum abundabant, tamen artes diuiſerunt. Quintilianus ait, ignauia factum eſſe, vt artes eſſe plures viderentur. PARTIONEM QVANDAM. Fuit enim, ait in Academicis Cicero, accepta à Platone Philoſophandi ratio triplex. Vna de vita, & moribus; Altera de natura, & rebus occultis; Tertia de diſſerendo, & quid verum, & quid falſum, quid rectum in oratore prauumue, quid conſentiens, quid repugnans iudicando. NEQVE IN VNIVERSO. Plurimi tamen fuerunt, qui in omni doctrinarum genere ſe ſe exercuerunt. Sed hoc, ait Cicero, putaſſe Græcos diſtinctas & ſeparatas artes eſſe, plurimumque inter oratoriam dictionem, & reliquarum artium intereſſe: Nam vnaquæque ferè ſcientia, ſuas habet uoces, ſua uocabula, Cicero ait Dialecticorum vocabula nulla eſſe communia, ſed eos ſuis vti. quin aliter Philoſophi loquuntur, aliter Mathematici, aliter oratores, aliter Poetæ. QVAE IN FORENSIBVS. Duo tantum hoc loco genera cauſarum tangit Cicero, Iudicium, & Deliberationem, quemadmodum etiam ſecundo libro docet Antonius. Demonſtrationem enim per ſe genus facere cauſæ ſeparatum à reliquis non exiſtimat, quamuis in laudando ſe plurimum exerceat orator. Sunt autem diſceptationes iudicantium cognitiones, diſcepta- Comm. in Partic.

tiones iudicantium cognitiones, diſceptatores verò ipſi iudices. I D VNVM GENVS. Atqui duo ſunt genera diuerſa iudicium & deliberatio. Sed quoniam eodem ferè dicendi genere tractantur ambo, idcirco vocat vnum dictionis genus. R E QVAESITA. & à Philoſophis, vt in Gorgia Platonis, vbi multum de Rhetorica Socrates diſputat, & ab ipſis oratoribus; qui genus tantum dicendi forenſe complexi ſunt. REPETAMQVE NON. Eleganti metaphora prima Rhetoricæ præcepta vocat incunabula. Dicimus enim ab incunabulis, hoc eſt à primis vitæ rudimentis: quod Ariſt. Ethicorum 20. dixit. ἐκ νηπίων, ἐκ νέων. Sic Virgilius,

Gentis cunabula noſtræ.

Similiter etiam crepundia, pro prima ætate accipiuntur; ſicuti etiam à teneris vnguiculis Cicero à teneris, vt Græci dicunt vnguiculis ἀπὸ τῶν ἁπαλῶν ὀνύχων. Sic Horatius in Odis;

& inceſtos amores
De tenero meditatur vngui.

Simile eſt, quod Tuſcul. 3. dixit eleganter, cum lacte nutricis: Nunc autem ſimul atque editi in lucem & ſuſcepti ſumus, in omni continuo prauitate, & in ſumma opinionum peruerſitate verſamur, vt penè cum lacte nutricis, errorem ſuxiſſe videamur. Eſt autem hoc loco exornatio, quæ ἀποδίωξις hoc eſt reiectio, dicitur, cum ea reijcimus, & nos dicere velle negamus, quæ fortaſſe expectantur à nobis. Eſt autem in doctrina puerili quidam ordo præceptorum, ſicut in Rhetoricis ad Herennium, in libris de inuentione, in partitionibus, quæ res vtiliſsima ijs eſt, qui dare operam Rhetoricæ incipiunt. His autem in libris, quamuis omnia breuiter dicendi præcepta percurrit, tamen oſtendit ordinem illum ſe nolle perſequi, ſed tantùm ea commemorare, de quibus olim Craſſus & Antonius, viri eloquentiſsimi, & clariſsimi diſputarunt. S E D E A. Continet hæc clauſula totius operis propoſitionem, cum dicat ſe velle ea repetere, quæ quondam ab eloquentiſsimis viris diſputata fuerunt. Eſt enim totum opus, artificioſa quadam diſputatione diſpoſitum, vt ſi quis diligenter aduertat, argumentorum, & dicendi rationem facilè poſsit in vtramque partem diſputandi artem cognoſcere. Appellat autem Craſſum & Antonium omni dignitate principes, hoc eſt primarios, vel inter primos. Nam apud Ciceronem princeps, pro primo frequentiſsimè reperitur: vt in Verrem actione quarta: Sicilia princeps ſe ad amicitiam Populi Ro. applicuit, & prima omnium prouincia eſt appellata. De Diuin. 2. Eudoxus Platonis auditor, in Aſtrologia iudicio doctiſſimorum hominum facile princeps. in Ver. 7. vt quiſque in fuga, poſtremus

ſtremus

ſtremus in periculo, princeps erat: quin aliquando tanquam additum ad nomen, & epitheton ponitur, quod adiectiuum Grammatici uocant: vt pro Dom. ſua; Qui in mea ſalute principem ſemper locum authoritatemque tenuiſtis. Quem autem nos Præſidem Senatus vocamus, Cicero principem publici conſilij, ſolet appellare. vt primo de Orat. eloquentiſsimus Athenis Pericles, idemque in ea ciuitate plurimos annos, princeps conſilij publici fuit: dicitur etiam Senatus princeps & auctor publici conſilij. NON QVO ILLA. Ratio, quare nolit ordinē præceptorum repetere, quæ cum anthypophora coniungitur. Græci dicendi artifices, vt Iſocrates, cuius artem ſuo tempore extitiſſe Quintilianus auctor eſt, & Ariſtoteles, qui pluribus libris artem Rhetoricæ complexus eſt. Theophraſtus quoque Ariſtotelis diſcipulus, de Rhetorica diligenter ſcripſit. Fecit deinde velut propriam Hermagoras viam, quam plurimi ſunt ſecuti, cui maximè par atque æmulus videtur Athenæus fuiſſe. Multa poſt Apollonius Molon, quem Cicero libenter audire ſolebat, & vehementer admirabatur, nonnullos etiam alios Græcos ſcriptores commemorat Quintilianus. Cap. 1. tertij libri. SED CVM ILLA PATEANT. Græcorum præcepta, ſuo tempore vulgata fuiſſe oſtendit, atque ab omnibus ferè cognita. Sed in libro de Inuent. 2. ſe Zeuſim pictorem imitatum fuiſſe ait: qui cum Crotoniatis Helenam pingere vellet, quinque formoſiſsimas puellas elegit, vt mutum in ſimulachrum, ex animali exemplo, veritatem transferret. Ita ſe, cum artem dicendi perſcriberet, omnibus vnum in locum coactis ſcriptoribus, quod quiſque commodiſsimè præcipere videbatur, excerpſiſſe, vt ex varijs ingenijs excellentiſsima quæque libaret. NEQVE EA INTERPRETATIONE MEA. Videtur hoc loco duas interpretandi cauſas ponere Cicero: quarum prima eſt, vt quod interpretari volumus, ornatius explicemus: altera, vt planius exprimamus. Quod ſi una tantum adſit laudari poteſt interpretatio. Libentius enim ea leguntur, quibus vel maius in dicendo ornamentum adhibetur, vel clarius, & apertius exprimuntur. Quod ſi neque exornatio, neque claritas interpretationi adiungitur, intemperantis eſt hominis, & abutentis ocio, ac literis, velle aliquid interpretari. Hoc eſt, quod ait Cicero, nolo Græcorum ſcripta de ratione dicendi interpretari, quoniam ea neque ornatiora, neque planiora poſſum efficere. DABIS HANC VENIAM. quaſi rem indignam, aut abſurdam facturus, à fratre veniam petit. Semper enim Græci doctrina, atque ingenio cæteris anteſterunt, atque Athenienſes præcipuè, quoniam apud eos tenue cœlum erat: ut ipſe docet Cicero. Ideo in Oratore ait; Athenienſium ſemper fuit prudens, ſyncerumque iudicium. Neque dubitandum eſt, quin in omni doctrinarum genere

Græci Romanis ſuperiores fuerint, quis enim ex Romanis Platoni, aut Ariſtoteli, aut Xenophonti ſimilis? Poteſt fortaſſe Cicero Demoſtheni, Virgilius Homero, Salluſtius Thucididi, Liuius Herodoto, comparari: ſed ſi verum quærimus, in multis rebus à Græcis noſtri ſuperantur, atque etiam vt pares ſint, quod non facilè conceſſerim. in hoc certè Græci ſuperiores ſunt, quoniam princeps, & auctores diſciplinarum fuerunt. Non igitur ſine cauſa ueniam petit Cicero, cum Romanos Græcis anteponere ſtatuerit; quamuis non ingenio, non doctrina, ſed auctoritate tantum anteponat, quod concedi facile poteſt. Poterant enim Romanorum plurimi, Græcis auctoritate præſtare, quamuis doctrina longè eſſent inferiores: plurimum enim diſtat à doctrina auctoritas. Eſt enim doctrina in rerum cognitione poſita: auctoritas verò in actionibus maximè conſiſtit. Qui enim virtute, atque dignitatibus excellunt, ij maxima ſunt auctoritate prædití, etiam ſi magnam doctrinam non ſint aſſecuti. Spectatur autem autoritas in animo prepipuè conſtanti, atque firmo, qui non facilè de ſententia moueatur, quales plerique Romanorum principes fuere. Qui verò modo hoc, modo illud ſequitur, neque in eodem propoſito perſeuerat, ſed leniter & facile mouetur, auctoritatem in ſe nullam habere poteſt, quo uitio maximè Græcorum natio laborat, ut leues ſint, atque inconſtantes. Inconſtantia uero (quod ait Cicero) leuatur auctoritas.

Cum igitur vehementiùs inueheretur in cauſam principum Coſ. Philippus, Druſique tribunatus, pro ſenatus auctoritate ſuſceptus, infringi iam, ac debilitari videretur, dici memini, ludorum Romanorum diebus L. Craſſum, quaſi colligendi ſui cauſa, ſe in Tuſculanum contuliſſe. veniſſe eodem, ſocer eius qui fuerat, Q. Mucius dicebatur, & M. Antonius, homo & conſiliorum in republ. ſocius, & ſumma cum Craſſo familiaritate coniunctus. Exierant autem cum ipſo Craſſo adoleſcentes & Druſi maximè familiares, & in quibus magnam tum ſpem maiores natu dignitatis ſuæ collocarent. C. Cotta, qui tum tribuna-

tum plebis petebat,& P. Sulpicius, qui deinceps eum magiſtratum petiturus putabatur.

CVM IGITVR VEHEMENTIVS. Cum ſibi ptopoſuerit,ea literis mandare,quæ quondam eloquentiſsimi viri, & omni dignitate principes,de omni ratione dicendi diſputarunt,non alio modo videtur ea melius explicare poſſe, quàm ſi ipſos inter ſe diſputantes introducat. Itaque totam hanc diſputationem, quam trium dierum ait fuiſſe, tribus libris per Dialogum mandat. Hoc enim diſputandi genere, quo & Plaio,& Socratici omnes delectati ſunt, Cicero frequenter vtitur, vt in Part. in Tuſcul. de Finibus de Nat. Deorum, de Diuinit.Nam ita facilius in vtramque partem diſputari poteſt,quæ fuit Academicorum conſuetudo, vt omni de re propoſita, in vtramque partem diſputarent. Tradunt autem Zenonem Eleatem primum fuiſſe,qui Dialogum excogitarit, & ſcripſerit, ſicut auctor eſt Diogenes Laertius in Platonis uita. Ariſt. in primo de Poetis Alexamenum Styreum, ſiue Teium Dialogorum auctorem facit,ſicut etiã Phauorinus in commentarijs tradit, Plato verò genus hoc ſcribendi inchoatum atque rude expoliuit, & perfecit. Quæritur autem in Dialogis perſonarum dignitas, temporis atque loci opportunitas, quas res his in libris diligentiſsimè Cicero ſeruauit. Cum enim Romanos homines inducere decreuiſſet, quorum auctoritatem Græcis anteponebat, non ueteres aliquos in dicendo rudes, atque inexercitatos,neque viuentes adhuc, & æquales ſuos, de quibus ſine aliqua ſuſpicione vel gratiæ, vel inuidiæ liberè loqui non poterat, Sed L. Craſſum,& M.Antonium diſertos homines,qui iam diem ſuum obierunt, & quorum morte iam inuidia ceſſarat; addit etiam ad Platonis imitationem,vt ipſe ad Atticum ſcribens fatetur, Q. Sceuolam iam ſeniorem,& egregium Iuriſperitum, quo plus ſit auctoritatis in diſputatione. quin etiam duos adoleſcentes, C. Cottam,& P. Sulpitum eloquẽtiæ ſtudijs deditos adiungit,ne fruſtra tales uiri, de arte dicendi diſputationem ſuſcipiſſe videantur. Tempus opportunum ludorum Romanorum captat, quibus omnes à negocijs ceſſabant,& cauſæ forenſes,ipſaque Reſpub. uiris illis ocium tribuebat. Quin etiam loci ratio habita eſt,non enim in vrbe, quæ plerumque tumultuoſa eſt, & ſemper negocijs implicata, Sed in tranquillo, atque amœno agro Tuſculano diſputationem hanc habitam ait fuiſſe. CVM IGITVR. Quo tempore hæc acciderit diſputatio oſtendit, vt veriſimilior eſſe videatur. L. Philippus conſul Senatui aduerſabatur,qui, quòd ait Florus,cum impotentiam equeſtris ordinis, in iudicijs exercendis, ferre nollet, omni vi niti cæpit, ut ad ſe iudicia transferrentur: ſuſtinente

Gul. Bud. in dictione prehẽſio ſenatoris aperit paucis hunc locũ. fo.219.

cau-

cauſam eius L. Druſo Tribuno pleb. qui vt uires ſibi acquireret, perniciosa ſpe largitionis plebem concitauit. Socios, & Italicos populos ſpe ciuitatis Romanæ ſolicitauit, iisque adiuuantibus per vim legibus Agrarijs, frumētarijsque latis, legem quoque iudicialem tulit, vt æqua parte iudicia penes Senatum, & equeſtrem ordinem eſſent. Cum dein de promiſſa ſocijs ciuitas pręſtari non poſſet, irati Italici defectionem cæperunt agitare. Propter quæ L. Druſus etiam Senatui inuiſus factus, velut belli ſocialis auctor, incertum à quo domi occiſus eſt. Eadem ferè Appianus, L. Philippus vniuerſo Senatui fuit infenſus, & præcipue L. Craſſo; quemadmodum initio tertij declarabitur. LVDORVM ROMANORVM. tempore Tarquinij Priſci, ſcribit Liuius, primum circo qui poſtea maximus dictus fuit, locus deſignatus eſt, & loca diuiſa patribus, equitibusque, ubi ſpectacula ſibi quiſque facerent, quæ loca fori ſunt appellati. Ludicrū fuit, equi, pugileſque ex Hetruria maximè acciti. Solennes deinde annui manſere ludi Romani Magniquæ varij appellati, de quibus in Verrem, act. 2. meminit Cicero, oſtenditque quindecim dies continuos fieri ſolitos, quibus diebus nihil in curia, nihil in foro agebatur. Hos eoſdem ludos in Procmij prima parte tertij libri, ſcenicos appellat: Cum ait, Craſſum Romā redijſſe extremo ſcenicorum ludorum die. Dicti ſunt etiam Circenſes, quòd in loco qui Circus dicebatur, agi ſolerent. Hi pręcipui ſemper habiti ſunt Ioui, Iunoni, & Mineruæ celebres, ſicut Alexander tradit. Varia autem illis diebus edebantur ſpectacula, vt Comediæ, Tragediæ, Venationes, dimicationes, cęteraque id genus, quod aperte declarat Cicero libro Epiſt. 7. epiſtola prima ad Marium. Cauſas autem adducit, quare in Tuſculanum tales uiri conceſſerint, Craſſus ut ſe ipſum colligeret, & à diuturnis occupationibus animum relaxaret, atque recrearet. Sceuola, quia Craſsi ſocer erat, eius enim filiam in matrimonio Craſſus habebat: Antonius, quia ſumma cum Craſſo familiaritate coniunctus erat, & idem ambo de Rep. ſentiebant. Adoleſcentes autem illi duo Cotta, & Sulpitius, quia optimatium partes ſequebantur, & Druſi familiares erant, qui Senatus dignitatem tuebatur. De Craſſo & Antonio plurima Cicero tradit in Bruto, qualeſque oratores, & quàm magni fuerint, oſtendit, & facilè cęteris omnibus Romanis anteponit. Cottam autem Antonij imitatorem fuiſſe dicit. Sulpitium Craſsi: ſed à Cotta uim abfuiſſe Antonij, a Sulpitio Craſsi leporem. Cotta dicebat purè ac ſolutè, & vt ad infirmitatem laterum perſcienter, contentionem omnem remiſerat. Sulpitius maximè omnium grandis, & vt ita dicam, Tragicus orator fuit.

Hi primo die, de temporibus illis, deque vniuerſa rep. quam ob cauſam venerant, multùm inter ſe vſque ad extremum tempus diei collocuti ſunt.

Quo quidem in ſermone, multa diuinitus à tribus illis conſularibus Cotta deplorata, & commemorata narrabat, vt nihil incidiſſet poſtea ciuitati mali, quod non impendere, illi tantò antè uidiſſent.

Eo autem omni ſermone confecto, tantam in Craſſo humanitatem fuiſſe, vt, cùm lauti accubuiſſent, tolleretur omnis illa ſuperioris triſtitia ſermonis: atque eſſet in homine iucunditas, & tantus in iocando lepos, vt dies inter eos curiæ fuiſſe videretur, conuiuium Tuſculani.

HI PRIMO DIE. Perſonarum decorum ſeruat, & paulatim Dialogi captat occaſionem. Neque enim primo die conueniebat conſularibus viris, alia collocutio, quàm de Repub. quæ præſertim eo tempore, maximè erat perturbata, atque ea de cauſa, vt ſe colligerent, & præpararent ad eam ſubleuandam & de ea conſilium inter ſe caperent, in Tuſculanum ſeceſſerant. Itaque de hac re, vſq; ad extremum tẽpus dei collocuti ſunt. QVO QVIDEM. maximã in eis hominibus fuiſſe prudentiam oſtendit, qui non tantum præſentia intelligere, ſed etiam futura longe proſpicere poſſent. Hoc autem efficit exercitatio & doctrina, vt præuidere multa poſſimus, quemadmodum I. de Diuinat. Q. Cicero docet. Alij (inquit) in Repub. exercitati, vt de Athenienſi Solone accipimus, orientem Tyrannidem multò ante proſpiciunt, quos prudentes poſſumus dicere, id eſt prouidentes, diuinos nullo modo poſſumus. ſic Thales Mileſius omnem oleam antequam florere cœpiſſet in agro Mileſio, coemiſſe dicitur, animaduerterat enim quadam ſcientia, olearum vbertatem fore. Anaximander Phyſicus Lacedęmonios admonuit, vt vrbem & tecta linquerent, armatique in agro excubarent, quòd terræmotus inſtaret, tùm cum & vrbs tota corruit, & in monte Taygeto, extrema montis, quaſi puppis auulſa eſt. Pherecides Pythagoræ magiſter, cum vidiſſet exhauſtam aquam de iugi puteo, terræmotum dixit inſtare. Sed hæ prædicationes,

nes à doctrina prouenerunt. Quòd autē Craſſus, Antonius & Sceuola Reip. calamitates præuiderint, id à prudētia potius, quā à doctrina factū eſt. CVM LAVTI ACCVBVISSENT. Erat enim apud veteres ea conſuetudo, vt ante cœnā quotidie ſe lauarent hora verò balnei hyeme nona, æſtate octaua erat, nocte aūt, aut ante aurorā, balnea nulli patebant. Sed apud antiquos Romanos, cū pauca eſſent balnea, rarò lauabantur, brachia tantum, & crura labore fatigati, ſolebant abluere: toti tantum in Nundinis lauabantur. Deinde verò, cum multa, & publica, & priuata balnea cōſtructa fuiſſent, quotidiè lauabant. Legimus enim Agrippam, vt populo ſe gratum faceret, centum ſeptuaginta balnea, ſeu lacus potius, in prouinciarum formam, Romæ gratuita præbuiſſe. Nero etiam, & Veſpaſianus, & Domitianus magnis ſumptibus extruxerunt: in publicis balneis ſolebant quadrantem pro mercede ſinguli dare, præter paruulos pueros, vnde Iuuenalis ait:

Nec pueri credunt, niſi qui nondum ære lauantur.

Antonius Philoſopus, vt plebis gratiam aucuparetur, balneum ſine mercede exhibuit. Commodus Imperator, adeo balneis deditus fuit, vt ſepties, aut octies, ſingulis diebus lauaret. Gordiamus ſanè, & Galienus, æſtate quinquies, hyeme verò bis lauare ſolebant. Legimus apud Chartaginienſes diſtincta fuiſſe balnea patriciorum, & plebeiorum, vt in quibus patricij lauarent, ad ea plebei non accederent. Pindarus in Nemeis oda IIII corpus hominis calidis balneis maximè recreari tradit. Plato de Legibus VI, γεροντικὰ λουτρὰ ideſt ſenilia vocat. quæ calida ſunt, quoniam ſenibus apta videntur. Si quis autem robuſtus & valens calidis balneis vſus fuiſſet, tanquam mollis, & luxu diffluens notabatur. Nam Homerus Odyſſæ libro VIII inter vitæ voluptariæ delicias, etiam λουτρὰ θερμὰ connumerat. Hinc fit, vt lauti homines aliquando voluptarij, & delicijs dediti vocentur, vt ad Trebatium; Valde iá lautus es, qui grauere ad me ſcribere. in Ver. II. cū iſte, atque iſtius amici homines lauti, & vrbani ſermones huiuſcemodi diſsipaſſent. Sic lautū patrimoniū & copioſum pro Flacco dixit. Lautā ciuitatem, & nobilē Haleſinā in Verr. & in Legibus villam lautius ędificatā. TANTVS IN IOCANDO LEPOS. Hoc enim præter cæteras laudes Craſſo tribuit; quod mirificam in iocando gratiam, & venuſtatem haberet, celebrantur eius quædam facetè dicta: Cum enim quidam cum rogaſſet, an eſſet illi moleſtus futurus, ſi mane ante lucem ad eum veniret, non eris (inquit) moleſtus, tum ille, iubebis igitur te ſuſcitari? Craſſus, at tu certe (inquit) negaras te moleſtum futurū. Cum L. Ælius Lamia homo maximè deformis Craſſum odio ſe interpellaret, audiamus (inquit Craſſus,) pulchellum puerum: huic

huic dicto cum eſſet arriſum, ingenium (inquit Aelius) ipſe mihi fin gere potui, formam non potui. Tum Craſſus, audiamus igitur, inquit, diſertum, multo arriſum eſt vehementius. Cum ei Cn. Domitius Cen ſor collega exprobraret, quòd ob Murenam in viuario mortuam lachrymaſſet, at tu (inquit) cum vxores tres extuleris, nullam emiſiſti lachrymam. Quin multa alia facetè dicta, & in ſecundo de Oratore, & in Bruto illi Cicero attribuit. Tãtus igitur, inquit, in Craſſo lepos fuit, vt dies quidem in quo multa de Rep. diſſeruerant, Curię fuiſſe videretur, in qua frequens Senatus de rebus ad Remp. pertinentibus tractare ſolet. Eſt enim curia locus, vbi Senatus habetur, & de adminiſtranda Rep. conſilium capitur, ſicuti forum vbi iudicia exercentur. Sed conuiuium nullam haberet ſermonis triſtitiam, quæ iam tota Craſsi lepore ſublata fuerat: Sed tale eſſet, quale in Tuſculano loco æmœniſſimo, & ad animi recreationem accommodato eſſe debebat.

Poſtero autem die, cùm illi maiores natu ſatis quieſſent, in ambulationem ventum eſſe dicebat. tum Scæuolam duobus ſpatijs, tribùsue factis, dixiſſe, Cur non imitamur, Craſſe, Socratem illum, qui eſt in Phædro Platonis? Nam mè hæc tua platanus admonuit: quæ non minus ad opacandum hunc locum patulis eſt diffuſa ramis, quàm illa, cuius vmbram ſecutus eſt Socrates: quæ mihi videtur non tam ipſa æquula, quæ deſcribitur, quàm Plàtonis oratione creuiſſe: ſed, quod ille duriſsimis pedibus fecit: vt ſe abijceret in herbam, atque ita illa, quę philoſophi diuinitus ferunt eſſe dicta, loqueretur, id meis pedibus certè concedi eſt æquius.

POSTERO AVTEM Nimirum hic eſt literarum fructus, vel maximus, vt animum à triſticia ſæpè ad hilaritatem reuocent, tres illi conſulares pridiè multò de Rep. deplorauerant, futuras calamitates prædixerant, deinde Craſsi humanitate recreati, lætè conuiuium tranſegerant. Poſtridie verò de literarum ſtudijs ita verba facere cæperunt, vt omnem, quam de Repub. conceperant triſticiam, ex animo penitus reijcerent. Meritò igitur pro Archia poeta dixit Cicero, hæc

ſtudia adoleſcentiam alunt, Senectutem oblectant, ſecundas res ornant, aduerſis perfugium ac ſolatium præbent, delectant domi, non impediunt foris, pernoctant nobiſcum, peregrinantur, ruſticantur. Quamuis igitur hi viri ruſticarentur, tamen ſecum eruditionem, atque literas habebant, quibus ſeſe oblectare poterant; Itaque poſtquam maiores illi natu ſatis quieuiſſent, è lecto ſurgentes in ambulationem venerunt, maiores autem natu, longiore quiete, ſomnoque indigent, propter frigidam corporis conſtitutionem. Naſcitur enim (vt in Sympoſiacis Plutarchus docet) ſomnus ex refrigeratione, quæ longè maior eſt in ſenectute, & pueritia, quàm in iuuentute. Quo fit, vt ſenes & pueri, longè plus quàm iuuenes dormiant. ſimul etiam quia deficientibus in ſenectute uiribus, maiori opus eſt quiete. Somnus autem maxima eſt & animi, & corporis requies. Vnde Seneca in Hercule furente ita clamat. Tuque ò domitor Somne malorum, requies animi, pars humanæ melior vitæ. Sic apud Ouid. X I. Metamor. Iris ſomnum alloquitur.

Somne quies rerum, placidiſſime ſomne deorum
Pax animi, quem cura fugit, qui corpora duris
Feſſa miniſterijs mulces, reparaſque labori.

Quoniam autem in ſomno quieſcunt omnia membra, ideo quies ſæpiſsimè pro ſomno ponitur, & quieſcere pro dormire: quemadmodum hoc loco. Et quia matutina exercitatio, valetudini multum conducit, ideo venerunt in ambulationem: verum Sceuola iam ſenior, cum bis aut ter ambulationis ſpacium confeciſſet, ſeſſum ire voluit: Senectus enim eius uires imminuerat, ut ambulandi laborem, non facile tolerare poſſet. Habebant autem veteres illi Romani, loca tantum ambulationibus dedicata, vt pro Dom. ibi enim poſtis eſt, vbi aditus templi eſt, & valuæ ambulationis: & ad Q. Fratrem, nihil ei reſtabat, præter balnearia, & ambulationem, & auiarium ad Att. I I I I. noſtram ambulationem velim cum poteris inuiſas. CVR NON IMITAMVR Apud Platonem in eo dialogo, qui Phędrus inſcribitur. Socrates apud Iliſſum fluuium, ſub alta quadam Platano ſedens de arbore, multa diſputat. Platanus vmbræ tantum gratia, non ſolum apud græcos, ſed etiam apud latinos in honore fuit. Plinius libro X I I. cap. 1. quis non iure miretur arborem vmbræ gratia tantùm, ex alieno petitam orbe. Platonus ea eſt. Et non ita multo poſt, Tantumque poſtea honoris increuit, vt mero infuſo enutriantur, compertum id maximè prodeſſe radicibus, docuimuſque etiam arbores vina potare. Themiſtocles Athenienſium Imperator, ſe Platano ſimilem eſſe prædicabat, ad quam decurrerent ij, quos imber infeſtaret, mox verò ſerenitate reſtituta velleretur ab eiſdem, quos à pluuia defenderat.

rat. Tradit Ælianus libro primo de Varia Hiſtoria, Xerſem Perſarum regem, in Lydia Platani cuiuſdam ingentis amore captum fuiſſe, diemque vnum integrum apud eam conſediſſe, quin etiam monilia, atque ornamenta maximè precioſa illi ſuſpendiſſe, ramoſque torquibus & armillis decoraſſe. Meledonum præterea ibi reliquiſſe, qui non aliter atque amicam ſuam illam cuſtodiret. Sub hac arbore ſolebant antiqui conuiuia celebrare, qua de cauſa vocat eam Genialem Ouidius Metamor. X. & Virg. Georgicorum IIII.

Iamque miniſtrantem Platanum potantibus vmbram

Dictam volunt Platanum, à πλάτος, quod latitudinem ſignificat, quia latè ramos ſpargit, quod oſtendit hoc loco Cicero, cum ait, patulis eſt diffuſa ramis. QVAE MIHI VIDETVR magis (inquit) Platanus illa Platonis oratione creuit, quam Iliſsi fluminis aqua. Sata eſt enim ingenio, ſicuti primo de legibus ait. Q. Cicero de quercu Mariana, nullius agricolæ cultu ſtirps tam diuturna, quàm Poetę verſu ſeminari poteſt. creſcunt enim arbores humore, ſed ea dicuntur etiam creſcere, quæ fama celebrantur. DVRISSIMIS PEDIBVS Sic enim Phædrus ait Socrati: Nam tu Socrates, ſemper es nudo pede. Pedes igitur duriſsimos habebat Socrates, quia numquam, uel rariſsime calceos induebat; itaque iam callum obduxerant. Mirum eſt quod de Socrate ſcribit A. Gellius cap. 1. ſecundi libri, ſtare ſolitus (inquit) Socrates dicitur, pertinaci ſtatu perdius atque pernox, à ſummo lucis ortu, ad ſolem alterum orientem, inconniuens, immobilis ijſdem in veſtigijs, & ore atque oculis eundem in locum directis, cogitabundus, tanquam quodam receſſu mentis atque animi facto à corpore, πολλάκις inquit Phauorinus ἐξ ἡλίου εἰς ἥλιον ἑστήκει ἀτρεμέστερος τῶν πρέμνων. DIVINITVS FERVNT De amore enim illo cœleſti diſputauit in Phædro Socrates, ac de diuina pulchitudine; docetque propter ſapientiæ ſtudium, omnia contemnenda, & magnam eſſe ſapientiam ſeipſum conſiderare. Furorem ait eſſe duplicem, humanũ, atque diuinum. Diuinum in quatuor, vaticinium, myſterium, poeſim, atque amorem. Animum duabus alis ad cęlum ferri, intellectu, & voluntate. Sed intellectum ad veritatem, voluntatem ad bonum trahi. Ex quibus alis ſi altera deficiat, præceps animus ad inferiora delabitur. Rationem tanquam aurigam eſſe, quæ geminos equos regat, appetitum rationis capacem & appetitum expertem rationis. Denique ſola animi pulchritudine, quæ ſapientia eſt, contentus eſt Socrates. Sed eam non tam humano ſtudio, quàm diuino numere comparari exiſtimat, hæc atque eiuſmodi quædam alia ſunt, quę Philoſophi diuinitus à Socrate ferunt eſſe dicta.

Tum Craſſum, Immò verò commodius etiam: puluinosq; popoſciſſe, & omneis in ijs ſedibus, quæ erant ſub platano, conſediſſe dicebat.

Ibi vt ex priſtino ſermone relaxarentur animi omnium, ſolebat Cotta narrare, Craſſum ſermonem quendam de ſtudio dicendi intuliſſe. Qui cùm ita eſſet exorſus: Non ſibi cohortandum Sulpitium & Cottam, ſed magis vtrumque collaudandum videri, quòd tantam iam eſſent facultatem adepti, vt non æqualibus ſuis ſolùm anteponerentur, ſed cum maioribus natu compararentur.

TVM CRASSVM. Craſſus approbata ſoceri ſententia, puluinos popoſcit, vt commodius omnes ſub Platano conſiderent. Sunt autem puluini, quaſi lectuli quidam exigui lanæ, uel tomenti, vel plumæ pleni, quo utimur in ſedendo: ut ad Petum Epiſt. 9. Sella tibi erit in cudo, tanquàm hypodidaſcalo proxima, eam puluinus ſequetur. Iuuenalis Satyra 3. pro ſede poſuit; exeat (inquit) ſi pudor eſt, & de puluino ſurgat equeſtri, cuius res legi non ſufficit. Cicero in Verrem. 7. pro lecto poſuit. Nam, vt mos fuit, Bithyniæ regibus, lectica octophoro ferebatur, in qua puluinus erat perlucidus, Melitenſi roſa fartus. Apud Plinium & Collumelam, Puluinus etiam areolam in hortis ſignificat, hoc eſt terram elatam inter duos ſulcos, quæ porca à porrigendo in agris appellatur. Puluinar autem eſt, quod dormituri capiti ſupponimus, & Deorum puluinar erat, vel lectica Deorum, vt ait Acron, vel tabularium in quo ſtabant numina, vt eminentiora viderentur. IBI VT. Craſſus vt animos pridiani ſermonis etiam triſtitia contractos relaxaret, eos à Reipub. cognitione, ad aliquem iucundum ſermonem reuocandos cenſuit. Itaque de ſtudio dicendi, verba facere cœpit. Animus enim triſtitia contrahi videtur, læticia verò laxari. Vnde ſolemus etiam dicere contrahere frõtem, hoc eſt triſtem eſſe, & frontem exporrigere, lætari, hilarem eſſe. NON SIBI COHORTANDVM. Hæc oratio Craſsi demonſtratiua eſt, qua laudes extollit eloquentiæ, cum eam cæteris omnibus ſtudijs anteponat: ſed adiunctam exhortationem habet: quoniam ea tantum de cauſa, videtur eloquentiam laudare, vt ad eam amplectendam Cottam & Sulpitium inflammet. Hoc autem exhortandi

genus,

genus, quod παραινετικὸν à Græcis dicitur, affectibus ferè conſtat, quos nobis natura dedit tanquam ſtimulos ad uirtutem. Excitantur autem animi, decem potiſsimum rationibus; ut non inſcitè docet Eraſmus. Laude, ſpe, metu, odio, amore, miſeratione, æmulatione, expectatione, exemplis, obſecratione. Sed omnium laus eſt potentiſsima, quæ bipartito diſtribuitur. Nam & rem ipſam laudamus, & homines. Perſonarum collaudatio in exhortando plurimum valet, honos enim alit artes, omneſque accenduntur ad ſtudia gloria. Quin ita ſunt homines à natura conformati, ut uix quiſquam tàm demiſſo ſit animo, quin audiendis ſuis laudibus erigatur, & excitetur. Hac de de cauſa ſtatim initio Craſſus miris laudibus Cottam & Sulpitium effert, qui tantum iam in eloquentia profecerint, ut non tantum æquales ſuperauerint, ſed cum maioribus natu comparari poſsint. Simul etiam utitur occupatione Rhetorica, quando ait non ſibi cohortandos, quos tunc maximè cohortatur, ſed potius laudandos. Magna ſunt enim laude digni, quicunque rebus in egregijs excellere contendunt. VT NON ÆQVALIBVS. Pulchrum eſt ab eorum nemine, qui ſunt eiuſdē ætatis ſuperari, ſed longè pulchrius eſt, æqualibus antecellere, pulcherrimum verò cum maioribus etiam natu cōparari. Quod igitur pulcherrimum eſt, oſtendit Craſſus, Cottam & Sulpitium iam acquiſiuiſſe. Æquales ij dicuntur, qui eiuſdem ſunt ætatis, nam coętaneus, quo nonnulli utuntur; apud Ciceronem non reperitur; licet Portius Latro in declamatione contra Catilinam dixerit, M. ſiquidem Catoni, aut Scipioni coętaneo ſuo. Cicero ſemel tantum Coæuum pro æquali, dixit in Vatinium: hunc tu morem ignorabas, nunquam epulum videras, nunquam puer, aut adoleſcens inter coæuos fueras. Eſt autem hoc naturale, ut omnes æqualium conſuetudine delectentur. adeo ut etiam prouerbio Græco dicatur ἧλιξ ἥλικα τέρπει Cicero de Seneѕt. Pares autem cum paribus (ut eſt in vetere prouerbio) facillimè congregantur. Nam prima familiaritatis conciliatio, proficiſcitur ab ætatis æqualitate, quam Græci ὁμηλικίαν vocant. morum etiam ſimilitudo maximè conciliat amicitiam. Vnde Homerus;

ὡς αἰεὶ τὸν ὁμοῖον ἄγει θεὸς ὡς τὸν ὁμοῖον,

Refert Plutarchus etiam huiuſmodi Senarios:

Seni Senilis lingua iucundiſſima eſt,
Pueroque puer, & mulier apta fœminæ.

Sed quemadmodum amor eſt inter æquales, ita plerumque eſt etiam inuidia; quoniam alter alterum præcedere contendit, quæ quidem contentio, in rebus honeſtis maximè laudatur. atque ideo Craſſus magnæ laudi tribuit Cottæ, & Sulpitio, quod ęqualibus ſuis anteponatur.

Neque

Neque verò mihi quidquam, inquit, præſtabilius videtur, quàm poſſe dicendo tenere hominum cœtus, menteis allicere, voluntates impellere quò velit: vnde autem velit, deducere.

NEQVE VERO MIHI. vt acriores ad eloquentiam ſtimulos duobus illis adoleſcentibus addat, ipſam dicendi facultatem multis laudibus extollit. Nam quæcunque laudabilia ſunt, etiam expetenda uidentur. Expetuntur autem, quæ vel honeſta ſnnt, vel utilia vel iucunda, vt virtutes, opes, ocium. Quod ſi qua res eiuſmodi reperitur, quæ ſimul & honeſta, & vtilis, & iucunda ſit. tum verò maximè omnium ea debet expeti, qualem eſſe eloquentiam apertè Craſſus hoc loco declarat. Honeſtum eſt enim, & pulchrum cæteris excellere, maximam de ſe cunctis admirationem excitare, dictis animos audientium regere, in libero populo florere, atque dominari, Vtile ſe, ſuaque defendere poſſe, opem ferre ſupplicibus, excitare afflictos, dare ſalutem, liberare periculis. iucundum eſt orationem ornatam, & perpolitam habere, ſapientibus ſententijs, grauibusque uerbis refertam.

Sed duplicem eloquentiam ſtatuere Craſſus uidetur, publicam, & priuatam.

Publicam, qua vtimur in populari concione, in Senatu in iudicijs. Priuatam, qua utimur in quotidiano ſermone, & familiari collocutione. Publicam primo commendat, ad eum uſque ad locum: Age verò ne ſemper, exinde priuatam laudat. Septem igitur potiſsimum locis eloquentiæ publicæ laudes perſequitur, quorum primum à fine deducit. Nam finis eſt in omni re potentiſsimus, & optimus; qui (ut docet Ariſtoteles.) boni atque honeſti rationem obtinet. Eſt enim finis cuius gratia reliqua omnia fiunt. Nam alicuius finis gratia ſemper agit (ait Ariſtoteles) qui intellectum habet. Et quamuis in ordine rerum finis ultimus ſit, tamen vi poteſtateque primus eſt, Siquidem propter finem aguntur omnia. Cur enim Imperator delectum militum habet, exercitum parat, equitum, ac peditum acies inſtruit, bellicas machinas, & tormenta ſecum adducit; denique ſignis collatis præliatur? non alia ſanè de cauſa, niſi ut uictoriam conſequatur. Eſt igitur uictoria finis artis imperatoriæ, propter quam cætera omnia præparantur. Sed quantò finis alicuius rei pulchior eſt, tantò etiã res ipſa præſtabilior eſt. Quinam igitur finis eſt eloquentiæ? bene dicere, & perſuadere dictione. Quid autem præſtabilius (ait Cicero) quàm poſſe dicendo tenere hominum cætus, mentes allicere. Hoc enim aptè, diſtinctè, atque ornatè dicendo, facile conſequi poſſumus,

mus, ut attentè atque intelligenter audiamur, vt nobis audientium gratiam, & beneuolentiam aucupemur, vt eorum mentes alliciamus: at verò vt argumentorum, rationumque firmitate fit, vt voluntates auditorum impellamus, quo volumus, Vnde autem volumus deducamus. Tangit hoc loco Craſſus omnes orationis partes, quarum duæ ad motum animi valent, exordium & concluſio. Sunt enim audientium animi oratonis principio conciliandi, atque allicien di, in peroratione verò concitandi, atque inflammandi, atque ita afficiendi, vt nobis maximè faueant. Hoc eſt quod ait Craſſus, tenere hominum cętus, quod exordio fit; mentes allicere, quod maxime fit in peroratione. Duæ ſunt etiam orationis partes, quæ ad fidem faciendam pertinent. Confirmatio, & refutatio, ſeu reprehenſio. Confirmatio eſt, per quam argumentando noſtræ cauſæ fidem & authoritatem, & firmamentum adiungit oratio. Reprehenſio eſt, per quam argumentando aduerſariorum concluſio diluitur, atque infirmatur, aut eleuatur. Vtramque igitur partem tangit Craſſus, ac primò confirmationem, cum ait; voluntates impellere, quo velit, deinde reprehenſione, cum ait; vnde autem velit, deducere. Siquis igitur finem eloquentiæ conſideret, vimque bene dicendi, nihil eſſe præſtabilius iudicabit.

Hæc vna res in omni libero populo, maximeque in pacatis, tranquilliſque ciuitatibus, præcipue ſemper floruit, ſemperque dominata eſt.

Quid enim eſt aut tam admirabile, quàm ex infinita multitudine hominum exſiſtere vnum, qui id, quod omnibus natura ſit datum, vel ſolus, vel cum paucis facere poſsit? aut tam iucundum cognitu, atque auditu, quàm ſapientibus ſententijs, grauibuſque verbis ornata oratio, & perpolita? aut tam potens, tamque magnificum, quàm populi motus, iudicum religiones, ſenatus grauitatem, vnius oratione conuerti? Quid tam porrò regium, tàm liberale, tam munificum, quàm opem ferre ſupplicibus, excitare afflictos, dare ſalutem, liberare periculis, retinere homines

mines in ciuitate? Quid autem tam neceſſarium, quàm tenere ſemper arma, quibus vel tectus ipſe eſſe poſsis, vel prouocare improbos, vel te vlciſci laceſsitus? Age verò, ne ſemper forum, ſubſellia, roſtra, curiamque mediteris, quid eſſe poteſt in otio aut iucundius, aut magis proprium humanitatis, quàm ſermo facetus, ac nulla in re rudis? Hoc enim vno præſtamus vel maxime feris, quòd colloquimur inter nos, & quòd exprimere dicendo ſenſa poſſumus.

NEC VNA RES Secundus locus à conſequentibus ducitur. Nam ſi in omni libero populo, atque in pacatis ciuitatibus, eloquentia dominatur, conſequitur, vt eius maxima ſit laus, maxima gloria. Sed ad hanc eloquentiæ laudem, vt dominari poſsit, duas res oſtendit Craſſus eſſe neceſſarias. Prima vt ſit in libero populo, non autē in dominatu regio. Nam apud Tyrannos, atque etiam reges, rarisſimè locus eſt eloquentiæ, qui quod volunt, iubent, quibus voluntas atque libido pro ratione, atque oratione eſt: qui libentius adulatores, quàm oratores audiunt. At verò in Repub. libera, qui facundior eſt, & ſapientius, atque ornatius loquitur, is dignus habetur, cui Reip. gubernacula committantur; quemadmodum apud Athenienſes, & Romanos accidit, apud quos ſolos eloquentia maximè floruit, quoniam vtebantur ſtatu populari. Sed poſtquam C. Cæſar ſibi Tyrannidem acquiſiuit, & deinceps in ſeruitute, atque dominatu Reſp. perſeuerauit, ſtatim ſiluit eloquentia, & quodammodo peſſum iuit. Ergo tantum in libero populo floret, & dominatur eloquentia. Altera res eloquentiæ neceſſaria, eſt Reip. tranquillitas. Silent enim inter bellicos tumultus iudicia, ſilent oratores; & quod ait rectè Ennius,

Tollitur è medio ſapientia vi geritur res
Spernitur orator bonus, horridus miles amatur:
Non ex iure manu conſertum, ſed mage ferro
Rem repetunt, regnumque petunt, vadunt ſolida vi.

Sed cum ab externis bellis atque ſeditionibus tranquilla & pacata ciuitas eſt, tunc in ea maximè floret eloquentia. Hoc eſt, quod ait Cicero pro

ro pro l. Murena; Grauis etiam illa eſt, & plena dignitatis dicendi facultas, quæ ſæpe valuit in conſule deligendo, poſſe conſilio atque ratione, & Senatus, & populi, & eorum qui res iudicant, mentes permouere. Quæritur Conſul, qui dicendo nonunquam comprimat Tribunitios furores, qui concitatum populum, qui largitioni reſiſtat. QVID EST ENIM AVT Tertius locus ab effectu deducitur, effectus enim admirabilis alicuius rei, ſolet eam maximè commendare. Quid enim efficit eloquentia? vt cum omnibus loquelam natura dederit, vnus tantum inter alios excellat, vt penè ſolus loqui ſcire videatur. An non hoc eſt admirabile in eo, quod omnes ſciunt, tàm præclarè ſe gerere, vt cæteros omnes ſuperet? talis enim eſt orator, qualem depingit Virgilius his verſibus,

Tum pietate grauem ac meritis ſi forte virum quem
Conſpexere ſilent, arrectiſque auribus aſtant.
Ille regit dictis animos, & pectora mulcet.

AVT TAM IVCVNDVM Quartus locus à partitione ducitur. Omnis enim oratio, & rebus fit, & verbis. Sed imperita multitudo, neque res aptè eligere, ſententijſque complere, neque verba ſplendida atque elegantia ſcit inuenire. Orator autem & ſapientiſsimas ſententias, & grauia verba reperit, quæ res & cognitu iucundiſsima eſt, & auditu. Magnam enim animus voluptatem, ex rerum & verborum cognitione percipit: qui certè vnus eſt animi ſuauiſsimus paſtus: quin etiam aures politæ orationis dulcedine mirificè delectantur. Vtrumque igitur coniungit Craſſus, cognitionem & auditum: quorum vnum ad animum, alterum ad aures pertinet. Cognitio animi propria eſt, qui de rebus & ſententijs iudicat, oratio ſub aurium ſenſum cadit, quæ verborum aptam exornationem & modulationem requirunt. AVT TAM POTENS Quintus locus ducitur à diſtributione locorum, in quibus verſari ſolet orator: tres autem ſunt oratoris quaſi campi, in quibus vim atque robur eloquentiæ ſuæ poteſt explicare, Concio, iudicium, Senatus. Concionem habebant ad populum Romani oratores pro Roſtris. Is autem locus erat in foro ante curiam Hoſtiliam; ſicuti VIII libro Liuius ſcribit, in quo erat pulpitum ornatum, ex Roſtris nauium Antiatium. Liuij verba ſunt hæc: naues Antiatium partim in naualia Romæ ſubductæ, partim incenſæ; roſtriſque earum ſuggeſtum in foro extructum, adornari placuit, Roſtraque id templum appellatum. Pro Roſtris igitur oratores ad populum concionari ſolebant, populique motus & ſeditiones mitigare, & ſi quid opus eſſet, ſuadere uel diſſuadere, quemadmodum Cicero legem Agrariam diſſuaſit. Qui etiam eodem ex loco laudabant & vituperabant: quod ſatis indicat oratio

pro lege Man. in qua Pompeius laudatur, & ſecunda atque tertia oratio in Catilinam; quibus eum inſectatur Cicero. Verum in concione demonſtratiuum genus maximè pollet: quemadmodum Athenis in concione laudabantur, qui pro Repub. mortui fuiſſent; & etiam Romę pro Roſtris funebres orationes habebantur, iudicia uerò in foro tractabantur, nonnunquam etiam in curia, ſi publicę fuiſſent actiones, vt quę ex maleficio contrahebantur: ea verò ex accuſationibus, & defenſionibus conſtituuntur, vnde Iudiciale cauſarum genus eſt. Senatus in curia uel in templis cogebatur, cum de rebus ad Remp. ſpectantibus agendum eſſet; in qua ſinguli ordine ſentẽtias dicebant, & unuſquiſque ſententiam ſuam confirmare ſtudebat, aliorum autem ſententias infirmare. Vnde deliberatiuum genus cauſarum natum eſt, quod in ſuadendo ac diſſuadendo uerſatur. Res igitur quædam potens atque magnifica eſt, tantum eloquentia præſtare, vt in omni cauſarum genere verſari poſsit, & populi motus, iudicum, religiones, (Solebant enim iurati ad iudicandum venire) Senatus grauitatem oratione ſua conuertere. QVID TAM PORRO REGIVM. Sextus locus ab euentis ducitur: & cõmunem eloquentiæ continet vtilitatem: ut oratorem & alijs, & ſibi utilem eſſe poſſe oſtendat. Vtitur autem congerie, quo magis utilitatem amplificet. Eſt igitur (inquit) orator tanquam Rex quidam potentiſsimus, & liberalis, atque munificus, qui ſupplicibus ſuis opem ferat, qui afflictos excitet, qui det ſalutem, qui periculis liberet, qui retineat homines in ciuitate. Sunt enim hęc euenta mirabilia, atque eiuſmodi, ut maximam dignitatem & gloriam acquirere poſsint. Nulla enim alia re propius ad Deos, homines accedunt, quàm ſalutem hominibus dando. Veniunt ad oratorem rei ſupplices, eis opem fert, & moleſtijs liberat, quos uidet afflictos atque demiſſos eos excitat, atq; in ſpem fortunę melioris erigit. Animo enim (quod aiunt) ægroto, medicus eſt oratio. Si qui ſunt in carcere, quorum de uita agatur, aut alioqui rei capitalis rei, Salutem eis dare conatur, alius de fortunis ſuis periclitatur, eum orator liberat. Eſt qui timet exilium, & ueretur ne ſibi ſolum uertere neceſſe ſit, eum in ciuitate retinet orator. Hæc ſanè ſunt regia, hęc liberalia, hæc munifica. QVID AVTEM TAM. Septimus locus à ſimilitudine, qui propriam atque priuatam utilitatem continet. Eſt, inquit, eloquentia tanquam πανοπλία quædam hoc eſt armatura, quæ totum corpus tegat, & tanquam gladius, quo poſsimus aduerſarium pelbere. Quemadmodum igitur militi neceſſarium eſt, loricam & gladium habere, quibus ſe tueri & hoſtes ferire poſsit, ita ciuili homini neceſſaria eſt eloquentia, qua ſe defendere cum accuſatur, aut aliquo modo læditur, poſsit & improbos atque ſceleſtos homines accuſando inſectari. Sic Cato Cenſorius quater & quadragies accuſatus, eloquentia ſua ſemper

per

per ſe defendit. Sic Cicero Catilinam expulit, Antonium hoſtem à Senatu iudicandũ curauit. AGE VERO NE SEMPER. De publica Rethorica dixit, nunc etiam aliquid de priuata, duobus locis agit. quorum primus ab adiunctis deducitur, alter à comparatione. NE SEMPER FORVM. Forum proprie dicebatur locus, vbi iudicia Prætores exercent; à Prætoribus dati iudices: Vnde cauſæ forenſes. Ciceronis tempore, unum erat forum iudiciale, quod Romanum dicebatur, poſtea Iulium etiam, & Auguſtum additum eſt. Suetonius in Auguſt. fori extruendi cauſa, fuit hominum, iudiciorumque multitudo, quæ videbatur non ſufficientibus duobus, etiam tertio egere. Itaque feſtinantius, nec dum perfecta Martis æde publicatum eſt, cautumque ut ſeparatim in eo publica iudicia, & ſortitiones iudicum fierent. Hinc agere forũ Latini dicunt, pro eo quod eſt ius dicere. Epiſt. libro 3. Qui te forum Tharſi agere, ſtatuere, multa decernere, iudicare, dicerent. Hoc loco diſtinguit Craſſus forum à ſubſeblijs. Videtur enim forum accipere ꝓ cauſis ciuilibus, ſubſellia verò pro iudicijs publicis. Cauſæ ciuiles dicebantur, quæ inter ciues erant, & à centumuiris cognoſcebantur. Cum enim eſſent Romæ Tribus XXXV. ex unaquaque tribu, tres viri ad iudicandum eligebantur, qui centumuiri ſunt appellati. Et licet quinque amplius, quàm centum fuerint, tamen quo facilius nominarentur, centumuiri ſunt dicti. Hi ciuium controuerſias, ut uſucapionum, tutelarum, gentilitatum, agnationum, alluuionum, circumluuionum, nexorum, mancipiorum, parietum, luminum, ſtillicidiorum, teſtamentorum, ruptorum, aut ratorum, cęterarumque rerum innumerabilium iudicia tractabant. Solebant autem haſta in foro poſita iudicare, quæ centumuiralis haſta dicta eſt. Vt Val. Max. libro 7. notæ inſaniæ, Tuditanus teſtamento filium inſtituit hæredem, quod T. Longus ſanguine ei proximus haſtæ iudicio ſubuertere fruſtra conatus eſt: magis enim centumuiri, quid ſcriptũ eſſet in tabulis, quam quis eas ſcripſiſſet, conſiderandum exiſtimarunt. Subſellia proprie dicuntur eorum, qui in loco humili ſedent: nam Senatores, & Patricij in Sellis altioribus conſidebant, Equites autem & Plebeij in humilioribus. Vnde etiam homines imi ſubſellij, dicebantur viles & abiecti. Scribit Aſconius in Diuinationem Ciceronis, Subſellia eſſe Tribunorum, Triumuirorum, Quæſtorum & huiuſmodi minora iudicia exercentium, qui non in Sellis curulibus, nec Tribunalibus, ſed in ſubſellijs conſidebant. Idem Aſconius act. in Verr. 4. ait, ſubſellia etiam eorum fuiſſe, qui publicis iudicijs diſceptandis, operam dabant. Exercebantur autem hæc publica iudicia in foro Romano, ſub Diuo. quod oſtendit Quintilianus libro 10. cap. 5. cum ait; Quod accidiſſe Portio Latroni traditur, & cum ei ſummam in Scholis opinionem obtinenti, cauſa in foro eſſet oranda,

impenſè petiuerit, uti ſubſellia in Baſilicam transferrentur: Ita illi cę lum nouum fuit, vt omnis eius eloquentia contineri tecto ac parietibus uideretur. Tangit autem Craſſus quatuor loca, in quibus eloquentia publica ſeſe oſtentare conſueuerat, forum ubi cauſæ forenſes agebantur, ſubſellia, qui locus erat in foro, vbi iudicia publica tractabantur: Roſtra vbi conciones ad populum haberi ſolebant: Curiam ubi Senatores, & publici conſilij auctores, de rebus ad communem utilitatem ſpectantibus, conſilia capiebant. Atque in his quidem locis regnat eloquentia: verum non minorem iucunditatem, & gratiam habet in priuatis rebus. QVID ESSE POTEST. Primus locus ab adiunctis ducitur. Adiungitur enim oratori, ut remotō foro, ſubſellijs, roſtris, curia: tamen in familiari ſermone facetus ſit, ac nulla in re rudis appareat; quod ſine plurimarum rerum ſcientia, fieri nullo modo poteſt. quæ res iucundiſſima eſt, & maximè naturam attigit humanam. HOC ENIM VNO. Secundus locus à comparatione, Non ratio ſola (inquit) ea eſt, quæ nos à beluis ſeparat. Tantò igitur orator reliquis hominibus antecellit, quantò homines ipſi beluis præſtant. Feras appellat Craſſus omnes animantes, præter hominem, quoniam impetu quodam feruntur, ut eis appetitus ſuggerit, eaſdem paulo poſt beſtias uocat, ut nullam inter feras, & beſtias differentiam ſtatuere uideatur. In hanc ſententiam Quintilianus in ſecundo ſic ait; ipſa ratio, neque nos tàm iuuaret, neque tàm eſſet in nobis manifeſta, niſi quæ concepiſſemus mente, promere etiam loquendo poſſemus. Quod magis deeſſe cæteris animalibus, quàm intellectum & cogitationem quandam uidemus.

Quamobrem quis hoc non iure miretur, ſummeque in eo elaborandum eſſe arbitretur, vt, quo vno homines maximè beſtijs præſtent, in hoc hominibus ipſis antecellat?

Vt verò iam ad illa ſumma veniamus, quę vis alia potuit aut diſperſos homines vnum in locum congregare, aut à fera, agreſtique vita ad hunc humanum cultum, ciuilemque deducere, aut iam conſtituitis ciuitatib. leges, iudicia, iura deſcribere.

QVAMOBREM QVIS HOC. Epilogus per comparationem, in ea rę ſummè (inquit) elaborandum eſt, vt cæteris hominibus

bus antecellamus, qua ſola beſtijs homines præſtant. Quintilianus. Si nihil à Dijs oratione melius accepimus, quid tàm dignum, aut cultu, ac labore ducamus, aut in quo malimus præſtare hominibus, quàm quo ipſi homines cæteris animātibus præſtent. VT VERO IAM AD ILLA SVMMA. Laudes præſentes, atque utilitatem, & publicæ, & priuatæ eloquentiæ breuiter attigit: Nunc etiam præteritas explicat; quas ideo ſummas eſſe ſtatuit, quoniam per eas & cætus hominum, & ciuitates conſtitutæ ſunt, & leges atque iudicia lata. Hoc etiam primo de Inuent. libro Cicero tradit; fuiſſe quoddam tempus cum in Agris homines paſsim beſtiarum more vagabantur, & ſibi victu ferino uitam propagabant, nec uiribus animi quicquam, ſed pleraque uiribus corporis adminiſtrabant. Quo tempore quidam magnus uidelicet uir & ſapiens, diſperſos homines ratione quadam compulit in unum locum, atque ex feris, & immanibus mites reddidit, & manſuetos, quin urbibus conſtitutis eloquentia factum eſſe vult, ut leges ferrentur & fidem colere, & iuſtitiam retinere, homines diſcerēt. Sed libro Tuſcul. quinto, non eloquentiæ, ſed Philoſophiæ laudes iſtas attribuit, cū ſic exclamat; ò uitæ Philoſophia dux, ò uirtutis indagatrix, expultrixque uitiorum, quid, non modo nos, ſed ne omnino vita hominum ſine te eſſe potuiſſet. Tu urbes peperiſti, tu diſsipatos homines in ſocietatem uitæ conuocaſti: tu eos inter ſe primo domicilijs, deinde coniugijs, tum literarum & uocum communione iunxiſti, tu inuentrix legum, tu magiſtra morum & diſciplinæ fuiſti. Sed hanc laudem Orpheo Poetæ Virgilius attribuit, his quidem verſibus;

Threicius quondam vates fide creditur canora
Mouiſſe ſenſus acrium ferarum,
Atque amnes tenuiſſe vagos,
Et ſurda cantu concitaſſe ſaxa
Suauiſonosque modos teſtudinis arbores ſecutæ
Vmbram feruntur præbuiſſe vati
Sed placidis hominum dictis fera corda mitigauit
Doctaque vitam uoce temperauit.
Iuſtitiam docuit, cętu quoque congregauit vno
Moresque agreſteis expliuit Orpheus.

Eſt igitur inter Oratores, Philoſophos, & Poetas contentio de congregatis hominibus, & conditis legibus. Neque dubitandum eſt, quin ij qui fuerunt antiquiores, hanc laudem laturi ſint. Sed oratores ante Periclem, qui iam florentibus Athenis fuit, nulli memorantur: Philoſophi Pythagoræ tempore eſſe cęperunt. Poetarum origo creditur antiquiſsima. quippe cum etiam ante bellum Troianum nonnulli poetæ fuiſſe dicantur, quare debet hæc laus Poetis aſsignari. Verum quia ne-

que

quę ſine ſapientia, neque ſine dicendi facultate potuit hoc effici, ideo Philoſophi etiam & oratores, ſe in huius laudis partē inſinuant. Sed ſi veritatē quęrimus, nunquā omnino fuit tēpus, cū omne genus humanū diſperſum eſſet, ſed ab orbe condito ſemper cōcilia, cętuſque hominū fuerūt. Eſt enim homo (quod ait Ariſt.) animal natura ciuile, & congregabile, ciuitaſque omnis eſt à natura, vt non opus eloquentia fuerit, ad perſuadendum hominibus vt vna viuerent, & vrbes atque tecta conderent: quoniam hoc eos ipſa natura docuit. Tradit enim Ioſephus primo de Antiquitatibus Cain, qui fuit Adæ primi hominis filius, primum omnium vrbem cōdidiſſe, muriſque muniuiſſe, quam à nomine filij ſui Enochiam appellauit. Plinius tradit domos luteas à Doxio Gellij filio primo conſtructas, ſumpto ab hirundinum nidis exemplo, lateritias autem ab Euryalo, & Hyperbio fratribus Athenis, primo ſtructas, tegulas quibus teguntur domus à Cinira Agriopę filio, in Cypro Inſula. Muros Thraſon fecit primus. Turres vt ait Ariſt. Cyclopes inuenerunt, vt Theophraſtus, Phœnices. Virgilius in Bucolicis Palladi hoc attribuere videtur, cum ait;

Pallas quas condidit arces, Ipſa colat.

Sunt qui velint primam ciuitatem fuiſſe quam Cecrops ædificauit quæ ab ipſius nomine Cecropia dicta eſt, & poſtea fuit Arx Athenis Alij dicunt Argos Delaſgicum fuiſſe primum, Ægyptij multo ante apud ſe Dioſpolin fuiſſe contendunt, de qua meminit Strabo libr. XVII. Leges autem non oratorum ſunt inuenta; quemadmodum putat Craſſus hoc loco, Sed originem habent à Deo, quod ita de Legibus II. Cicero tradit. Hanc igitur video ſapientiſſimorum fuiſſe ſententiam, legem neque hominum ingenijs excogitatam, nec ſcitum aliquod eſſe populorum, ſed æternum quiddam, quod vniuerſum mūdum regeret, imperandi, prohibendique ſapientia. Poetæ tradunt fuiſſe primam Cererem, quę leges inuenerit. Ouid. Met. V.

Prima dedit leges, Cereris ſunt omnia munus.

Quod affirmat Diodorus Siculus in VI. & Plinius VII. Deinde fuere multi legiſlatores, vt Draco qui leges Athenienſibus dedit, Mercurius Ægyptijs, Minos Cretenſibus, Lycurgus Lacedæmonijs, Charondas Tyrijs, Phoroneus Argiuis, multique multis alijs, qui ſanè in oratorum numero non habentur.

Ac, ne plura, quæ ſunt penè innumerabilia, conſecter, comprehendam breui, ſic enim ſtatuto, perfecti oratoris moderatione, & ſapientia non

ſolùm

ſolùm ipſius dignitatem, ſed & priuatorum plurimorum, & vniuerſæ reipub. ſalutem maximè contineri.

Quamobrem pergite, vt facitis, adoleſcentes: atque in id ſtudium, in quo eſtis, incumbite, vt & vobis honori, & amicis vtilitati, & reipub. emolumento eſſe posſitis.

AC NE PLVRA Vtitur *ἀποδιώξει* vt citius concludat. Eſt autem cõcluſio per enumerationem, ſeu diſtributionem, qua ſententiam ſuam explicat. Tria ſunt, inquit, maxima, quæ perfecti oratoris moderationē, & ſapientia continentur, ipſius oratoris dignitas, & gloria quam benè dicendo conſequi poteſt. Priuatorum plurimorum ſalus, quos in iudicijs orator tuetur, atque defendit. Vniuerſæ etiam Reip. conſeruatio, quæ ſententijs prudenter dicendis, clauoque recto tenendo, perficitur. Atque hęc quidem eſt exornationis ipſius rei cõcluſio. Nam hactenus eloquentiam laudauit, nunc etiam exornationem concludit, adoleſcentibuſque ſuadet, vt in incepto ſtudio perſeuerẽt: quoniam ea ratione facile poterunt tria illa conſequi, quæ præſtat eloquentia; hoc eſt honorem ſibi ipſis, vtilitatem amicis, Reipub. emolumẽtum: quæ tria hominem in altiſsimo dignitatis gradu poſſunt collocare. Hæc ſunt, quæ Craſſus vt relaxarentur animi omnium, de ſtudio dicendi locutus fuiſſe dicitur: Cui Socer eius Scęuola diſputandi gratia, cum cætera omnia concedat, duabus in rebus contradicit. Neque enim verum eſſe cenſet, ab oratoribus ciuitates, aut ab initio conſtitutas, aut poſtea conſeruatas, neque oratorem putat extra forum, concionem, & curiam, aliquid dicendo poſſe, cum in omni genere ſermonis Craſſus eum perfectum ſtatuiſſet.

Tum Scæuola comiter, vt ſolebat, Cætera, inquit, aſſentior Craſſo, ne aut de C. Lælio, ſoceri mei, aut de huius generi, aut arte, aut gloria detraham: ſed illa duo, Craſſe, vereor vt tibi posſim concedere: Vnum, quòd ab oratoribus ciuitates & ab initio conſtitutas, & ſæpe conſeruatas eſſe dixiſti: alterum, quod, remoto foro, contione,

ne, iudicis, ſenatu, ſtatuti, oratorem in omni genere ſermonis, & humanitatis eſſe perfectum.

TVM SCEVOLA COMITER. Non decet eum qui diſputaturus eſt, contentionis eſſe cupidum, aut pertinacem in una ſententia, ſed comiter, & manſuetè contradicere, quod facere ſolitum Sceuolam oſtendit Cicero. Duplicem igitur ex Craſsi oratione quæſtionem proponit refellendam, docetque primo falſum eſſe, quòd oratores ciuitatum conditores fuerint, deinde quòd in omni genere ſermonis perfecti ſint. Exorditur autem faceta quadam oratione, quo facilius reprehenſionem ſuam emolliat. Poſſem, inquit multa refutare ſi uelim, ſed cætera omnia, Craſſo concedere ſtatui, ne uidear detrahendi ſtudio, duos mihi affines deprimere uelle. C. Lælium Socerum meum, & L. Craſſum generum. C. LÆLII SOCERI MEI. C. Lælius Scipionis Æmiliani ſocius & amicus, duos habuit generos eruditos & diſertos uiros: Hunc Q. Sceuolam, quem eloquentem inducit hoc loco Cicero, & C. Fannium, de quo in libro de amicitia meminit, & in Bruto de vtroque mentione facit his uerbis: Alter C. Fannius. M. F. C. Lælij gener, & moribus, & ipſo genere dicendi durior. Is ſoceri inſtituto; quem, quia cooptatus in Augurum Collegiũ non erat, non admodum diligebat, præſertim cum ille, & Q. Scæuolã ſibi minorem natu generum prætuliſſet, is tamen inſtituto Lælij Panetium audiuerat. Lælium autem eloquentem fuiſſe, teſtatur in Bruto Cicero. C. Lælius, inquit, & P. Africanus in primis eloquentes, quorũ extant orationes, ex quibus exiſtimari de ingenijs oratorum poteſt. Sunt qui putent à Cælio Terentium in Comœdijs componendis adiuuari ſolitum. Cor. Nepos autore certo comperiſſe ſe ait, C. Lælium quondam in Puteolano Calendis Martijs admonitum ab uxore temporius ut diſcumberet, petijſſe ab ea ne interpellaretur, ſerius tandem ingreſſum triclinium dixiſſe, non ſæpe in ſcribendo magis ſucceſsiſſe ſibi: deinde rogatum ut ſcripta illa proferret, pronunciaſſe uerſus, qui ſunt in Heautontimorumeno: Satis pol proteruè, me Syri promiſſa huc induxerunt. SED ILLA DVO. Proponit quæſtiones refellendas. SERMONIS ET HVMANITATIS. Humanitatem hoc loco pro omni ſcientia, quam homines acquirere poſſunt, accipit: quemadmodũ etiam pro Arch. Poeta dixit: Etenim omnes artes, quæ ad humanitatem pertinent, habent quoddam commune vinculum, & quaſi cognatione quadam, inter ſe continentur. A. Gellius libro 13. cap. 15. putat humanitatem idem apud nos ſignificare, quod apud Græcos παιδεία quam etiam eruditionem, inſtitutionemque in bonis artibus dicimus, quoniam ſcientia ex omnibus animantibus

mantibus vni homini data eſt; idcirco humanitas appellatur, atque exemplum ponit Varronis è libro rerum humanarum primo. cuius principium hoc eſt; Praxiteles qui propter artificium egregium, nemini eſt paulum modo humaniori, ignotus: humaniori dixit pro eruditiori, doctiorique. Sic ſecundo de Oratore; Neque communium literarum, & politioris humanitatis experti. Hinc ſtudia humanitatis dicuntur omnes artes liberales: ut pro L. Murena; & quoniam non eſt nobis hæc oratio habenda, aut cum imperita multitudine, aut cum aliquo conuentu agreſtium, audacius paulo de ſtudijs humanitatis, quæ & mihi, & vobis nota, & iudicanda ſunt, diſputabo. Hinc ſatis apparet, quàm imperitè faciant ij, qui humanitatem pro Grammatica tantum accipiant, & profeſſores humanitatis appellent, eos qui Grammaticam docent. Cum humanitas omnem ſcientiam ſignificet. Quod autē Gellius ait, nequaquam apud bonos auctores humanitatē inueniri pro dexteritate quadam, beneuolentiaque erga omnes homines promiſcua, quam φιλανθρωπίαν Grçci vocant. Decipitur omnino, quoniam in ea ſignificatione frequenter apud Ciceronem inuenitur. pro Sylla; peterem errato veniam L. Cçlij ex intimis veſtris cogitationibus, atq; ex humanitate communi. pro Flacco; Tamen ciuis ciuem à ciuibus communis humanitatis iure ac miſericordia deprecarer. pro Sylla rurſus dixit; Manſuetudo atque humanitas. ad Figulum ſcribens ait. obtinemus ipſius Cæſaris ſummam erga nos humanitatem. Sed apertiſſime III. de Legib. Cum ait; Quid enim eſt elegantia tua dignius, cuius & vita, & oratio conſecuta mihi videtur difficilimam illam societatem grauitatis, cum humanitate & paulo ſupra de Craſſo, tantam in Craſſo humanitatem fuiſſe. Gellij error.

Quis enim tibi hoc conceſſerit, aut initio genus hominum in montibus, ac ſiluis diſſipatum, non prudentium conſilijs compulſum potiùs, quàm diſertorum oratione delinitum, ſe oppidis, mœnibuſque ſæpſiſſe? aut verò reliquas vtilitates, aut inſtituendis, aut conſeruandis ciuitatibus, non à ſapientibus, & fortibus viris, ſed à diſertis, & ornatè dicentibus eſſe conſtitutas? An verò tibi Romulus ille, aut paſtores, & conuenas congregaſſe, aut Sabinorum connubia coniunxiſſe, aut finitimorum vim repreſſiſſe elo-

quentia videtur, non conſilio, & ſapientia ſingulari? Quid? in Numa Pompilio, quid? in Ser. Tullo, quid? in ceteris regibus, quorum multa ſunt eximia ad conſtituendam rempub. numquod eloquentiæ veſtigium apparet.

QVIS ENIM TIBI HOC. oſtendit primo, non eloquentia, ſed conſilio & prudentia conſtitutas fuiſſe ciuitates. Tota verò dubitatio ex eo pendet, quòd oratoris facultatem Sceuola à ſapientia, prudentiaque ſeparat. Craſſus autem oratorem neminem eſſe ſtatuit, niſi idem ſapiens, atque prudens fuerit. Itaque prudentium conſilijs oſtendit homines Sceuola compelli, diſertorum autem oratione deliniri. Quare facilius ſapientes; & fortes viros, & conſtituere, & conſeruare ciuitates, quàm diſertos, & ornatè dicentes potuiſſe QVIS ENIM TIBI HOC Hęc eſt propoſitio primæ quæſtionis, quę duplicem vim habet, hoc eſt refellendi, & confirmandi: refellit enim Craſsi opinionem, ſuam Confirmat. Non oratores, inquit, ſed ſapientes homines congregarunt; ciuitates conſtituerunt, leges, iudicia, iura deſcripſerunt. Hanc propoſitionem ſubiectis exemplis comprobat, eorum primò, qui quamuis non eſſent eloquentes, tamen & vrbes ędificarunt, & pręclaras leges tulerunt, & Reipub. ſuæ maximo fuerunt emolumento. Deinde eorum, qui ſua eloquentia plura detrimenta publicis rebus, quam adiumenta importarunt. AN VERO TIBI ROMVLVS Romulus vrbis Romanæ parens fuit, & eam Parilibus ædificare cępit. Quod oſtendit Cicero libro de Diuin. Secundo. L. quidem Tarrutius Firmanus, familiaris noſter, in primis chaldaicis rationibus eruditus, vrbis etiam noſtræ natalem diem repetebat, ab ijs Parilibus, quibus eam à Romulo conditam accepimus, Romamque in iugo cum eſſet Luna, nam eſſe dicebat, nec eius fata canere dubitabat. Congregauit igitur paſtores & conuenas, vt frequentaretur ciuitas. Aſylum enim conſtituit, hoc eſt, locum ſacrum, vnde non licebat quenquam per vim abducere. Qua ratione factum eſt, vt multi mortales, improbi, facinoroſique ad eum confugerent: atque ita in breui tempore magna conuenerit multitudo. Sed omnes aut paſtores erant aut fures, & prædones, & Sicarij: quod Satyra VIII Iuuenalis oſtendit, eos Romanos reprehendens, qui de nobilitate gloriabantur, & cęteros vt ignobiles contemnebant. ſic enim ait;

Et tamen vt longè repetas, longeq; reuoluas
Nomen ab infami gentem deducis Aſylo

Maiorum

Maiorum primus quiſquis fuit ille tuorum,
Aut paſtor fuit, aut illud quod dicere nolo.

Tradunt autem Herculis nepotes, poſtquam Hercules interijt, eorum iniurias timentes, quos anus afflixerat, primos Athenis Aſylum, hoc eſt templum miſericordiæ conſtituiſſe, vnde non liceret quenquam per vim abducere. Eodem modo Romulus Aſylum conuenis patefecit, & magno exercitu facto, cum videret coniugio deeſſe, per legatos à finitimis ciuitatibus petijt, quibus negatis, ludos conſualia ſimulauit, ad quos cum vtriuſque ſexus multitudo conueniſſet, dato ſuis ſigno, virgines raptæ ſunt: deinde cum ob raptas virgines finitima bella mouiſſent, primo Ceninenſes deuicit, interfecto rege illorum Acrone, poſtea cum Sabinis congreſſus, cum ab vtraque parte diu pugnatum eſſet, interuentu Sabinarum prælium diremptum eſt, & Sabini cum rege Tatio, ſunt in vrbem recepti: poſt hæc, & inſtitutis, & legibus optimè Romulus Romanam Remp. fundauit. Hæc, inquit, Sceuola, non eloquentia, ſed conſilio & ſapientia ſingulari facta ſunt. QVID IN NVMA Numa Pompilius, Sabinus genere fuit, curibus natus. Hic accitus à Romanis, poſt Romuli mortem Romam venit, & regnum accepit, ſacra plurima inſtituit, ædem Veſtæ fecit, virgines Veſtales legit, flamines tres Dialem, Martialem, Quirinalem, Salios Martis ſacerdotes XII inſtituit. quorum primus Præſul vocabatur. Pont. Max. creauit Portas Iano gemino ædificauit, Anno Ianuarum & Februariū addidit, leges plurimas & vtiliſſimas tulit. Ob hanc tantam iuſticiam, bellum ei nemo intulit, in his tamen tàm præclaris rebus, nullum eloquentiæ veſtigium apparet. Seruius Tullus captiuæ filius fuit, ſed gener à Tarquinio Eriſco aſſumptus, cum Rex occiſus fuiſſet, precario regnare cæpit, ſed recte imperium adminiſtrauit Hetruſcos ſæpe domuit, collem Quirinalem & Viminalem, & Exquilias vrbi addidit, Aggerem foſſaſque fecit, Annonam, menſuras, pondera, claſſes centuriaſque conſtituit.. Multa etiam eximia reliqui reges perfecerunt; vt Tullus Hoſtilius, Ancus Marcius, Tarquinius Priſcus, quæ ad conſtituendam optimè Remp. pertinent.

Quid? exactis regibus, (tametſi ipſam exactionem mente, non lingua, perfectam, L. Bruti eſſe cernimus) ſed deinceps omnia, nonne plena conſiliorum, inania verborum videmus?

Ego verò ſi velim & noſtræ ciuitatis exemplis vti, & aliarum, plura proferre poſsim detrimenta

 publi-

publicis rebus, quam adiumenta per homines eloquentiſsimos importata: ſed, vt reliqua prætermittam, omnium mihi videor, exceptis, Craſſe, vobis duobus, eloquentiſsimos audiſſe Ti. & C. Sempronios, quorum pater, homo prudens, & grauis, haudquaquam eloquens, & ſæpe alias, & maximè cenſor, ſaluti reipub. fuit. atque is non accurata quadam orationis copia, ſed nutu, atque verbo libertinos in vrbanas tribus tranſtulit. quod niſi feciſſet, remp. quam nunc vix tenemus, iam diu nullam haberemus.

QVID EXACTIS REGIBVS Poſtquam Lucretia ſtuprum per vim oblatum à Sex: Tarquinio, voluntaria morte luiſſet, L. Brutus populum concitauit, vt Tarquinio Regi portas vrbis clauderet, & cum Regno priuaret: quod non lingua, ſed mente factum fuiſſe dicit Sçeuola. quamuis in Bruto ſic dicat Cicero; Quis enim putet aut celeritatem ingenij, L. Bruto illi nobilitatis veſtræ Principi defuiſſe? qui de matre ſuauianda, ex Oraculo Apollinis tam acutè, arguteque coniecerit, qui ſummum prudentiam, ſimulatione ſtultitiæ texerit, qui potentiſsimum regem clariſsimi Regis filium expulerit: ciuitatemque perpetuo dominatu liberatam, magiſtratibus, iudicijſque deuinxerit, qui collegæ ſuo imperium abrogauerit, vt è ciuitate regalis nominis memoriam tolleret. Quod certè effici non potuiſſet, niſi eſſet oratione perſuaſum. Quin etiam putat eodem in loco Cicero M. Valerium dictatorem, diſertum fuiſſe, qui cum Plebs prope ripam Anienis, ad tertium milliarium conſediſſet, eumque montem, qui ſacer appellatus eſt, occupauiſſet, dicendo diſcordias ſedauit, eique ob eam rem honores ampliſsimi ſunt habiti, & primus ob eam ipſam cauſam Maximus eſt appellatus. & L. Val. Potitum qui plebem in patres concitatam, legibus & cõcionibus ſuis mitigauit, & Appiũ claudiũ cœcũ, qui Senatum iamiam inclinatum à Pyrri pace reuocauit, & C. Fabricium, qui ſit ad Pyrrhum de captiuis recuperandis miſſus orator, nonnulloſque alios commemorat, quos eloquentes fuiſſe exiſtimat. Sed tamen eorum nulli ſunt in oratorum numero habiti, cum interim in adminiſtranda Repub. præſtantiſsimi eſſent, plurimumque conſilio, & pru-

& prudentia valerent. Hoc eſt, quod ait Scęuola poſt exactionem regum, omnia plena conſiliorum, inania verborum fuerunt. EGO VERO SI VELIM. Maiora quædam aggreditur Scęuola, vt oſtendat tantum abeſſe, vt rebus publicis eloquentia proſit, vt etiam ſæpènumero maximè noceat, idque Tiberij, & Caij Gracchorum exemplis confirmare nititur, qui eloquentia ſua ſtatum Reip. perturbarunt. Fuerunt enim quidam vt ait Quintilianus, qui vehementer, in eloquentiam inuecti ſunt, dicentes eam eſſe, quæ pœnis eripiat celeſtos, cuius fraude damnentur interim boni, conſilia ducantur in peius nec ſeditiones modo, turbæque populares, ſed bella etiam inexpiabilia excitentur, cuius denique tùm maximè ſit vſus, cum pro falſis contra veritatem valet. Nam & Socrati obijciunt comici, docere eum quomodo peiorem cauſam, meliorem faciat, & Lyſiam & Gorgiam, ſimilia dicit polliceri Plato. Ideo Lacedæmoniorum ciuitate expulſam eloquentiam, & Athenis quoque, vbi actor mouere affectus vetabatur, velut reciſam orandi poteſtatem. Sed hac ratione nec duces erunt vtiles, nec magiſtratus, nec medicina, nec ipſa denique ſapientia. Nam & dux Flaminius, & Gracchi Saturnini Glaucię magiſtratus, & in medicis venena, & in ijs, qui Philoſophorum nomine malè vtuntur, grauiſsima nonnumquam flagitia deprehenſa ſunt: cibos aſpernemur, attulerunt ſæpe ualetudinis cauſas: nunquam tecta ſubeamus, ſuper habitantes aliquando procumbunt: non fabricetur militi gladius, poteſt uti eodem ferro latro. Quis neſcit ignes, aquas, ſine quibus nulla ſit uita, & ne terrenis immorer, Solem, Lunamq́ue præcipua ſiderum aliquando etiam nocere? non tamen eſt æquum id haberi malum, quo benè vti licet. Neque verò me (inquit) Lacedæmonij, aut Athenienſes magis mouerint, quàm populus Rom. apud quem ſumma ſemper oratoribus dignitas fuit. Denique non eſt eloquentia uituperanda, ſed ij qui uiribus eloquentiæ ſunt abuſi. Rectè enim Cornel. Gallus ait; Non res in uitium, ſed malefacta cadunt. Nihil igitur Tib. & C. exemplum ad eloquentiam impugnandam Scęuolam iuuerit, neque enim oratores, quia improbi, neque eloquentes, quia ſapientia caruerunt. Non igitur mirum, ſi Reip. ſtatum perturbarunt, hi filij fuerunt T. Sempronij Gracchi, & Corneliæ, quæ ſuperioris Africani filia fuit: eorum pater uir inſignis fuit, Nam Prætor Galliam domuit, Conſul Hiſpaniam, altero Conſulatu Sardiniam, tantumque captiuorum adduxit, vt longa venditione res in prouerbium veniret, Sardi uenales. Cenſor libertinos qui ruſticas tribus occuparant, in quatuor vrbanas diuiſit. Vrbs enim Romana in XXXV. tribus diſpertita erat, è quorum numero quatuor tantum vrbanę fuerant. Palatina, Eſquilina, Collina, Suburrana, à partibus urbis in quibus habitabant ſic appellatæ. In has (vt ait Plinius) transferri ignominiæ erat, reliquæ omnes

ruſticæ

ruſticæ dicebantur. eorum qui rura haberent, quæ laudatiſsimę & propriè ingenuorum erant, cum urbanæ libertinorum eſſent: ut auctor eſt Aſconius. Cum enim per uniuerſas tribus diſperſi libertini ſuffragia ferrent, eaque res ingenuorum poteſtatem imminueret, T. Sempronius Gracchus omnes libertinos in quatuor tribus vrbanas diuiſit, quæ res illi maximam dignitatem attulit. Reip. vero ſummum emolumentum. Nam humillimi quique libertini patribus ęquati, omnia iura confudiſſent. Hunc tamen T. Sempronium eloquentem fuiſſe, docet in Bruto Cicero, cum ait; Erat iiſdem temporibus T. Gracchns Publij filius, qui bis conſul, & cenſor fuit, cuius eſt oratio Græca apud Rhodios, quem ciuem cùm grauem, tùm etiam eloquentem conſtat fuiſſe.

At verò eius filij diſerti, & omnibus vel naturæ, vel doctrinæ præſidijs ad dicendum parati, cùm ciuitatem vel paterno conſilio, vel auitis armis floren tiſsimam accepiſſent, iſta præclara gubernatrice, vt ais, ciuitatum, eloquentia remp diſsipauerunt.

AT VERO EIVS FILII. Tiberius & Caius qui eloquentiſsimi fuerunt. Nam Tiberius Quæſtor Mancino in Hiſpania fœdus eius flagitioſum (ut ait Plinius) probauit, periculum deditionis eloquentiæ gratia effugit. Trib. plebis legem tulit, ne quis plus mille agri iugera haberet. Cum ab aduerſarijs premeretur, Capitolium petijt, manum ad caput referens, qua ſalutem ſuam populo commendabat: Hoc nobilitas ita accepit, quaſi diadema poſceretur, Segniterque ceſſante Mutio Conſule, Scipio Naſica ſequi ſe iuſsit, qui ſaluam Remp. uellent, Gracchum in Capitolium perſecutus, oppreſsit. Tiberij frater. Caius Trib. pleb. agrarias & frumentarias leges tulit; colonus etiam Capuam & Tarentum mittendos cenſuit. Triumuiros agris diuidendis, ſe, & Ful. Flaccum. C. Craſſum conſtituit, accerſitus in Senatum cum non ueniſſet, armata familia Auentinum occupauit, ubi ab Opimio uictus, dum à templo Dianæ deſilijt, talum intorſit, vbi in lucum Furinæ perueniſſet, uel ſua, uel Euphori ſerui manu interfectus eſt, caput à Septimuleio amico Gracchi, ad Opimiũ relatum, auro expenſo fertur propter auaritiam, infuſo, plumbo grauius effectum. AT VERO EIVS FILII. Magno ingenio fuiſſe Gracchum utrumque accepimus, cui acceſsit eruditio ſingularis. Nã eorum mater Cornelia Scipionis Africani ſuperioris filia, doctiſsima fuiſſe perhibetur De qua ſic ait Quintilianus; Nam Gracchorum eloquentiæ multum

con.

contuliſſe accepimus, Corneliam matrem, cuius doctiſsimus ſermo in poſteros quoque eſt epiſtolis traditus. Scribit Val. Max. in libro 4. cap. 4. Corneliam hanc Gracchorum matrem, cum Campana matrona apud illam hoſpita, ornamenta ſua pulcherrima ſeculi illius ei oſtenderet, traxiſſe eam ſermone, quouſque è Schola redirent liberi, deinde dixiſſe, hæc ornamenta mea ſunt. Putauit enim Cornelia, nullum maius ornamentum matronæ contingere poſſe, quàm ſi benè inſtitutos liberos habeat. Erat autem Cornelia adeo modeſta, & facilitate morum pręſtans, ut eam Tiberius Gracchus, magis quàm ſeipſum amaret. Cũ enim aliquando duobus anguibus domi ſuæ apprehenſis, mare ac fæmina, certior ab augure factus eſſet, mare dimiſſo vxori Corneliæ, fæmina uero, ipſi celerem obitum inſtare, ſalutarem cõiugi potius, quàm ſibi partem augurij ſecutus, marem necari, fœminam dimitti iuſsit. quam hiſtoriam primo de Diuin. Q. Cicero ſic exponit. Quid Tiberius Gracchus Publij filius, qui bis conſul & cenſor fuit, idemque & ſummus augur, & uir ſapiens, ciuiſque præſtans, non ne; ut C. Gracchus filius eius ſcriptum reliquit, duobus anguibus domi comprehenſis, aruſpices conuocauit, cui cum reſpondiſſent, ſi marem emiſiſſet, vxori breui tempore eſſe moriendum, ſi fœminam ipſi, æquius eſſe cẽſuit ſe maturam oppetere mortem, quam P. Africani filiam adoleſcentem, fœminam emiſit, ipſe paucis poſt diebus eſt mortuus. Huius igitur filij, cum ciuitatem florentiſsimam acepiſſent vel paterno conſilio qui cenſor Remp. ordinarat, Libertinos è tribubus ruſticis eduxerat & in vrbanas tranſtulerat, vel auitis armis, hoc eſt bellica virtute Scipionis aui materni, qui primo Carthaginienſes ex Hiſpania expulit, deinde in Africam tranſgreſſus Annibalem ab Italia reuocauit, cum quo ſigna conferens, eum caſtris exuit: tandem victis carthaginienſibus, leges impoſuit, qua victoria maximè ſeſe extulit Romana ciuitas quæ tunc maxime florebat: cum eam Gracchi pernicioſis legibus diſſipare conati ſunt. Hoc eſt, quod per ironiam ait Sceuola, iſta præclara gubernatrice (vt ais ciuitatum): hæc autẽ Ironiæ ſpecies μυκτηρισμὸς appellatur. Traduntur enim à Rhetoribus quinque potiſsimum Ironiæ ſpecies σαρκασμός, ἀστεϊσμός, ἀντίφρασις, παροιμία, μυκτηρισμὸς Sarcaſmos eſt hoſtilis, & amara quædam irriſio vt,

En agros, & quam bello Troiane petiſti.
Heſperiam metire iacens. & Aeneas in X.
Illic nunc metuende iace.

Aſtiſmos eſt faceta quædam irriſio, vt in Clodium integritas tua te purgauit (mihi crede) pudor eripuit, vita ante acta ſeruauit. Antiphraſis cum contrarium totum per amplificationem intelligi volumus vt Nouum crimen C. Cęſar, & ante hunc diem inauditum, propinquus

quus meus ad te Q. Tubero detulit, Q. Ligarium in Africa fuiſſe. Paræmia, hoc eſt prouerbium, vt in hominem leuem & imperitum, qui tamen ſapiens videri velit, tertius è cœlo cecidit Cato. vel Thales homo vel barba tenus ſapiens. Myctiriſmos eſt ſimulatus quidem, ſed non latens deriſus, vt;

Egregiam vero laudem, & ſpolia ampla refertis
Tuq; puerq; tuus, magnum & memorabile nomen.
Vna dolo diuum ſi fœmina victa duorum eſt.

Ita hoc loco Scæuola Craſſum irridens, præclaram ciuitatum gubernatricem eloquentiam appellat.

Quid? leges veteres, moresque maiorum: quid? auſpicia, quibus & ego & tu Craſſe, cum magna reip. ſalute præſumus, quid? religiones & cæremoniæ, quid? hæc iura ciuilia, quæ iampridem in noſtra familia ſine vlla eloquentiæ laude uerſantur, num aut inuenta ſunt, aut cognita, aut omnino ab oratorum genere tractata? Equidem & Ser. Galbam memoria teneo, diuinum hominem in dicendo, & M. Aemilium Porcinam & Cn. ipſum Carbonem, quem tu adoleſcentulus perculiſti, ignarum legem, hæſitantem in maiorum inſtitutis, rudem in iure ciuili: & hæc ætas noſtra, præter te, Craſſe, qui tuo magis ſtudio, quàm proprio munere aliquo diſertorum, ius à nobis ciuile didiciſti, quod interdum pudeat, iuris ignara eſt.

Quòd verò in extrema oratione, quaſi tuo iure, ſumſiſti, oratorem in omnis ſermonis diſputatione copioſiſsimè poſſe uerſari, id, niſi hic in tuo regno eſſemus, non tuliſſem, multisque præeſſem, qui aut interdicto tecum contenderent, aut te ex iure

manu

manu conſertum vocarent, quòd in alienas poſſe ſiones tam temere irruiſſes.

QVID LEGES. Vtitur congerie illarum rerum, quæ ciuitates conſeruare ſolent, ut eloquentiam excludat. leges ab initio populus Rom. nullas habuit, ut Pomponius Iuriſconſultus ſcribit: Nam omnia Regnum manu gubernabantur. Romulus tamen cum populum in triginta partes diuiſiſſet, quas curias appellauit, leges quaſdam curiatas ad populum tulit, & ſequentes reges aliquas leges tulerunt, quæ omnes conſcriptæ fuerunt in libro. Sex. Papirij quod ius ciuile Papirianum dictum eſt. Sed exactis Regibus omnes illæ leges abrogatæ fuerunt, & poſt annos viginti, publica auctoritate placuit, decem uiros eligere, qui leges à Græcis ciuitatibus peterent, quibus datum eſt ſummum imperium, illi, cum primo anno leges decem tabulis æneis pro Roſtris propoſuiſſent, ut ab omnibus aperte cognoſcerentur, ſequenti anno duas alias tabulas adiunxerunt. & ita ex accidenti appellatæ ſunt leges 12. tabularum, quarum ferendarum auctorem fuiſſe Decemuiris Hermodorum quendam Epheſium exulantem in Italia, quidam retulerunt. Hæ ſunt leges veteres, quas hoc loco Scęuola nominat. Morem autem maiorum, conſuetudinem uiuendi intelligimus, quam non ex ſcriptis legibus, ſed ex communi uſu capiebant. Nam diuturni mores, conſenſu utentium approbati, legis habent uigorem. Auſpicia quę ab auibus inſpiciendis dicta ſunt: ſicut auguria ab auium garritu. Tyreſiam Thebanum inueniſſe Plinius in 7. auctor eſt. Auguria verò idem ex auibus Caram, à quo Caria dicta eſt, ait reperiſſe, ex cæteris animalibus Orpheum. Sed artem augurandi quidam à Chaldeis ad Græcos, apud quos Amphiaraus Mopſus, Calcas ſummi augures fuerunt. à Græcis ad Hetruſcos, ab Hetruſcis ad Latinos ueniſſe uolunt. Auſpicia igitur ab Hetruſcis Romani habuerunt. quæ tam religioſe ſeruabant, ut nihil prorſus niſi auſpicato gererēt, atque in auſpicijs ſalutem Reipub. contineri ſtatuerent. Religionis autores Ægyptij traduntur, ſicut Herodotus 2. Strabo 17. tradunt. Nam hi primi Deis aras, & ſimulachra, & delubra ſtatuere, ſacrificiaque curarunt. Quidam volunt Mercurium primum inſtituiſſe, quibus ſacris Dij colerentur, at alij Menam regem, autor Diod. 1. Idē in 4. primos Æthiopes, Deos coluiſſe exiſtimat. Romanis religionum, & ſacrificiorum plurium auctor fuit Numa Pompilius. Cerimonias Romanis placuit omnē diuinū cultū appellare, à Ceritibus Hetruriæ populis. Nam hi olim capta urbe Romana à Senonibus Gallis, ſacra Romanorū à veſtalibus virginibus inuecta, perbenignè receperunt, atque uſque eò ſeruarunt, dùm patria à Camillo eſſet recuperata, quod

L Liuius

Liuius libro 5. declarat. Cuius beneficij memores Romani, poſtea om
nia, quæ ad religionem colendam pertinerent, cerimonias nuncupa-
runt: auctor eſt Val. Max. Ius ciuile fluxit à legibus 12. tabularum; ut
oſtendit Pomponius. Nam eodem penè tempore tria hæc iura nata
ſunt: leges 12. tabularum, ex his fluere cæpit ius ciuile: ex ijſdem le-
gis actiones compoſitę ſunt. EQVIDEM ET SER. GAL-
BAM. Ab arte ſua probat, oraterem iuris ciuilis auctorem non fuiſ-
ſe, quoniam multi fuerunt oratores clari nominis, qui iuris ciuilis im-
periti fuerunt. ut Ser. Galba, M. Æmilius Porcina. Gn. Carbo. Ser. Gal
bam appellat diuinum in dicendo, quoniam diſertiſsimus fuit. Hæc
autem conſuetudo fluxit à Lacedæmonijs, qui, quod ait Ariſtoteles,
cum aliquē maximè laudare uellent, dicere ſolebā θεῖος ἀνὴρ οὗτος ita di
cimus etiam Deum facere, hoc eſt vehementer laudare. hunc autem
Serg. Galbam in Bruto magnoperè commendat quod ei Cælius ceſ-
ſerit, & confeſſus fuerit, eum in dicendo fortiorem acrioremque eſſe.
Ait igitur Cicero, elegantiam in Lælio, uim in Galba fuiſſe. De hoc
Sergio Galba Val. Max. libro 8. cap. 1. ſic ſcribit, cum à Libone Trib.
Serg. Galba. pro Roſtris uehementer increparetur, quod Luſitano-
rum magnam manum interpoſita fide Prætor in Hiſpania interemiſ-
ſet. actionique Tribunitiæ M. Cato ultimæ ſenectutis oratione ſua,
quam in Originibus retulit, ſubſcriberet, reus pro ſe iam nihil recu-
ſans paruulos liberos ſuos, & Galli ſanguine coniunctū filiū flens com
mendare cæpit: eoque facto mitigata concione, qui omnium con-
ſenſu periturus erat, penè nullum triſte ſuffragium habuit: miſericor-
dia ergo illam quæſtionem non æquitas texit. M. Æmilium Porcinam
magnoperè commendat in Bruto Cicero. At uero, inquit, M. Æmilius
Lepidus, qui eſt Porcina dictus ijſdem temporibus ferè, quibus Gal-
ba, ſed paulo minor natu, & ſummus orator eſt habitus, & fuit (vt ap-
paret ex orationibus) ſcriptor ſanè bonus. Hoc in oratore latino pri-
mum mihi videtur & lenitas illa apparuiſſe Græcorum, & verborum
comprehenſio, etiam artifex (vt ita dicam) ſtylus. De Gn. Carbone
ſic ait; Craſſus accuſauit Gn. Carbonem eloquentiſſimum hominem,
admodum adoleſcens, ſummam ingenij non modo laudem, ſed etiā
admirationem eſt conſecutus. Hoc eſt, quod ait Sceuola, quem tu ado
leſcentulus perculiſti: eſt enim percellere idem quod euertere, & pro-
ſternere. Cicero pro Dom: deſinant, deſinant homines ijſdem machi
nis ſperare, me reſtitutum poſſe labefactari, quibus antea ſtantem per
culerunt. Tuſcul. ſecundo; ſi te dolor aliquis perculerit, exclamabis
vt mulier. Hi tres oratores licet eximij fuerint, tamen, inquit, erant
ignari legum, hæſitabant, & nullum vſum habebant in moribus, in de-
cretis, atque inſtitutis maiorum erant prorſus rudes in iure ciuili. ET
HÆC ÆTAS. Aliud argumentum ab oratoribus ætatis ſuæ, quos
omnes

omnes iuris ciuilis imperitos fuiſſe oſtendit, præter vnum Craſſum.
Is enim à Socero ſuo Q. ipſo Sceuola, ius ciuile didicerat, & nequis
exemplo Craſsi poſſet obijcere, ius ciuile ab oratore diſcendum eſſe,
ideò adiungit Sceuola, non hoc eſſe proprium munus diſertorum, ſed
ipſius Craſsi ſtudium. Poteſt enim aliquis & ſi artes diſtinctæ ſunt: ta-
men pluribus artibus incumbere. Quare ſi quis orator iuri ciuili dat
operam, non tamen ideo ſequitur, ut iuris ciuilis cognitio ſit oratori
neceſſaria. Quod ſi diſtinctæ ſunt leges, quibus maximè conſeruantur
ciuitates ab eloquentia; certe non erit uerum id, quod Craſſus dixe-
rat, ab oratoribus ciuitates conſeruari. Atque itam primam quæſtio
nem abſoluit Sceuola, poſt quam ſtatim ſecundam aggreditur: docet-
que multas eſſe liberales ſcientias, quæ nihil habebant cum oratore
commune. Sed mira comitate, & facetijs utitur, ne Craſſum offende
re uelle uideatur. Certè non tuliſſem, inquit, quod dixiſti, oratorem
in omni ſermonis diſputatione copioſiſſime poſſe uerſari, niſi eſſem in
tuo regno hoc eſt in agro Tuſculano. Facete ſumpſit à regibus me-
taphoram, quibus, eſt ſæpe pro ratione uoluntas. Eſſe in ſuo regno,
prouerbij ſpeciem habet, quoties aliquis uerſatur in ea re, in qua ex-
cellit: & quoniam Sceuola iuriſperitus erat, ideo verbis etiam iuris
vtitur, vt præeſſe, interdicto contendere, ex iure manum cõſertum uo-
care. Nam præeſſe dicuntur iuriſconſulti, qui ius alicui ſuggerunt: quo
uel ſe defendit, uel poſſeſſionem, aut dominium petat. Contendunt au
tem interdicto, qui iudicio prætoris ius ſuum perſequuntur. Interdi-
ctũ enim erat certa ſolemnitas, qua Prætor utebatur cum de poſſeſ-
ſione contenderetur, hodie nihil aliud eſt, quam actio in perſonam
ſunt autem interdicta, quæ uim prohibent: quemadmodum docet.
Ferr. Inſt. de interd. dicuntur interdicta, quaſi interim dicta: quemad-
modum ait Alciatus, in L. pecuniæ ff. de uerb. ſig. cum enim poſſeſſio-
nem reſpiciant, totam litem non perimunt, quin de dominio quæri
poſſit, quapropter & præiudicia quandoque appellantur. Interdicere
autem apud ueteres id ſignificat, quod interim dicere in Rhet. ad He-
ren. lib. 1 1. Verum pueriles horum opiniones, rectiſſimis rationibus
cum uoles refellemus in præſentia hoc interdicere non alienum fuit.
Sunt autem in Pandectis plurima interdicta Prætoria, quibus aliquid
uel iubetur, uel prohibetur, ut de aqua pluuia arcenda, de arboribus
cedendis, de itinere actuque priuato, de Migrando, de operis noui
nunciatione, Quorum bonorum, quorum legatorum, Quod ui aut
clam, de ui, & ui armata, uti poſſidetis, Recuperandæ poſſeſſionis, Re
tinendę poſſeſſionis, multaq; alia. Quo nam igitur interdicto conten-
derent, multi cum Craſſo certè, uel recuperandæ poſſeſſionis uel reti
nendę, quod ipſe Sceuola declarat, cum ait, quod in alienas poſſeſſio-
nes, tam temere irruiſſet Quidam hoc interdictum reſtitutorum uo-

cant, quo poſſeſſio recuperatur, ad quod cognoſcendum iudices dabantur, quos recuperatores vocabant: ex iure manu conſertum, uide Gellium libro XX. cap. IX. ſenſus eſt, qui te in iudicium uocarent, quaſi manu ex iure conſertum: litemque tibi vindiciarum intenderent, quod ea tibi vindicaſſes, quæ ad te nihil pertinerent. Nam ex iure manu conſertum vocamus, cum agitur de recuperanda proprietate, ſeu de rei uindicatione.

Agerent enim tecum lege primùm Pythagorei omnes, atque Democritici, cęterique in ſuo genere physici, vindicarentq; ornati homines in dicẽdo & graues, quibuſcum tibi iuſto ſacramento contendere non liceret.

Vrgerent præterea, philoſophorum greges: iam ab illo fonte, & capite Socrate, nihil te de bonis rebus in vita, nihil de malis, nihil de animi permotionibus, nihil de hominum moribus, nihil de ratione vitę didiciſſe, nihil omnino quæſiſſe, nihil ſcire conuincerent: &, cùm vniuerſi in te impetum feciſſent, tum ſingulæ familiæ, litem tibi intenderent.

AGERENT ENIM TECVM Diſtributio, Agere lege, eſt iure legibus conſtituto contendere: Docerent, inquit, Pythagorei, Democriticique nihil de rebus naturalibus oratorem intelligere. Pythagoras Samius, qui primus Philoſophus fuit appellatus, filius Demarati negociatoris locupletisſimi fuit. In Ægiptum primo, mox Babyloniam, diſcendi curſus ſiderum gratia, profectus eſt: inde regreſſus in Cretam ac Lacedæmonem peruenit, vt Lycurgi, & Minois leges agnoſceret: deinde in Italiam veniens Crotone conſedit, vbi populos luxuriæ deditos ad frugalem vitam reuocauit: cum autem multos annos Crotone vixiſſet, Melapontum deinde migrauit: ibique deceſſit, cuius tanta fuit admiratio, vt ex eius domo templum facerent, eumque pro Deo colerent, auctor Iuſtinus libro XX. Ouid. libro Met. XV. docet Pythagoram odio Tyrannidis exulem in Italia conſediſſe, cuius hæc ſunt carmina,

Vir

Vir fuit hic ortu Samius, ſed fugerat vna
Et Samon & dominos, alioq; Tyrannidis exul
Sponte erat, isq; licet cœli regione remotus
Mente Deos adijt, & quæ natura negabat
Viſibus humanis, oculis ea pectoris hauſit.

Huius diſcipuli Pythagorei dicti ſunt, & eius Philoſophia Italica. Dicebat Pythagoras, animas poſt mortem tranſire in alia corpora; ſeque in bello Troiano fuiſſe Euphorbum Ponthoi filium, qui fuit interfectus à Menelao, poſtea in Homero renatum, poſt quem cum iterum reuixiſſet, factus eſt Pythagoras: addit Acron, Pythagoram poſt mortem in Pauonem cõuerſum fuiſſe: poſtremo in Ennium poetam euaſiſſe, atque ideò Perſius appellat Ennium quintum pauone ex Pythagoreo. Democritus Abderites fuit Pythagoræ imitator, neque tamen auditor, qui peregrinationibus diſcendi gratia totam ferè ætatem conſumpſit. V. de Finibus, à Democrito propter diſcendi cupiditatem videmus vltimas terras eſſe peragratas. Hic ſemper ridere ſolitus hominum ſtultitiam dicitur. Iuuenalis,

Perpetuo riſu pulmonem agitare ſolebat
Democritus.

IVSTO SACRAMENTO Sacramentum erat actio pœnę cum vterque litigantiũ quandam pecuniæ ſummam apud Pontificem in ſacro loco deponeret: ea conditióne vt victus eam amitteret, victor ſuam auferret: victi pecunia ad ærarium deferebatur. Hæc erat pœna temere litigantium. Non igitur (inquit Sceuola) iuſto ſacramento poſſes cum Philoſophis Craſſe contendere, quia victus diſcederes. VRGERENT non tantum naturales Philoſophi, ſed etiã morales, qui à Socrate originem habuerunt, contra te (inquit) inſurgerent. Socrates primus de moribus verba facere cępit, cum priores Philoſophi tantum de natura & rebus occultis tractarent. Habebat autem in ore id frequentisſimè, quod I I I. libro Lactantius ait; Quæ ſupra nos nihil ad nos: quo deterrebat à curioſa rerum cęleſtium & naturalium ueſtigatione. Nam ſe id vnum ſcire, quod nihil ſciret, prædicabat, atque ideo ſapientisſimus omnium mortalium ab Appolline iudicatus fuit. cum enim eius familiaris Chærephon ad Pythiam acceſſiſſet, rogaturus quinam eſſet omnium ſapientisſimus, illa reſpondit, σοφὸς σοφοκλῆς σοφώτερος εὐριπίδης, ἀνδρῶν δὲ πάντων σωκράτης σοφώτατος. NIHIL TE DE BONIS Anaphora cum adiunctione, tangit autem breuiter eas quæſtiones, quæ in morali Philoſophia tractantur de finibus bonorum, & malorum, de animi perturbationibus, de virtutibus & uitijs, de officijs.

Inſta-

Inſtaret Academia, quæ, quidquid dixiſſes, id teipſum negare cogeret. Stoici verò noſtri diſputationum ſuarum, atque interrogationum laqueis te irretitum tenerent.

Peripatetici autem etiam hæc ipſa, quæ propria oratorum putas eſſe adiumenta, atque ornamenta dicendi, ab ſe peti vincerent oportere: ac non ſolùm meliora, ſed etiam multo plura Ariſtotelem, Theophraſtumque de his rebus, quàm omneis dicendi magiſtros ſcripſiſſe oſtenderent.

Miſſos facio mathematicos, grammaticos, muſicos, quorum artibus veſtra iuſta dicendi vis, ne minima quidem ſocietate coniungitur.

INSTARET ACADEMIA. Metonymia eſt, ideſt Philoſophi Academici, qui ſuis interrogationibus eò deducunt homines, vt id negent, quod anteà dixerant. Academia ab Academo qui Tyndaridis bello Sororem Helenam repoſcentibus à Theſeo raptam, eam Aphidnis occultari dixit. Ideo illi uiuo Tyndaridæ diuinos honores habuerunt, & Lacedæmonij Atticam inuadentes ab eius ſuburbano ſemper abſtinuerunt: Plut. in uita Theſei. Eum locum licet inſalubrem, ad docendum elegit Plato, cùm quia remotus erat ab urbe, tùm quia inſaluber, ne loci amœnitate laſciuirent animi. In eo Pallidis, & amoris ſimulachrum erat, quibus ſimul ſacrificabat: veteris academiæ princeps Plato, nouæ Carneades. Stoici, quorũ princeps Zeno ſic à porticu dicti, plurimum Dialecticis valebant. Appellat laqueos diſputationum ipſas argumentorum formulas, à uenatione ſumpta Metaphora, iu qua venatores omnes exitus ita ſolent obſepire, ut neceſſe ſit feram in aliquas inſidias, aut retia cadere. Quare eadem metaphora dixit Plato in Sophiſta difficile eſſe omnes laqueos effugere, quo fit ut quoties aliquis aſtutus, ab aſtutiore aliquo decipitur, prouerbio dici ſoleat, laqueus laqueum cępit. Qui autem ſuis dolis & fraudibus offenditur, dicitur ſuo ipſius laqueo capi. Aul. Gel. 1. c. 2. de quodam Stoico ſic ait; Atque interea vocabulis haud facile cognitis ſyllogiſmorum, captionumque Dialecticarum laqueis ſtrepebat, κυρτοῦν τὰς σκαζούσας θεωρίας aliosque id genus griphos, neminem poſſe dicens, niſi ſe diſſoluere. Hoc autem genus argumentationum, quæ nõ

faci-

facilè poſſunt explicari, uocat Quintilianus Ceratinas, & Crocodilitas; quemadmodum Politianus notauit. Miſcel. cap. 54. & 55. Ceratinæ dicuntur à cornibus. Lucianus in Dialogo Caſtoris & Pollucis cornua inter ſe producunt, & Crocodilos faciunt, & eiuſmodi perplexa docent interrogare, Diogenes Laertius libro 7. ſcribit, Zenonē Cyticum, inter cauilla cætera Dialecticorum numerare ſolitum Ceratinas, & utidas. Ad hoc genus argumentationis alluſit Martianus Capella libro 4. cum ait;

Perdita ne qua unquam cornua fronte ferant.

Crocodilites autem dicitur, ab huiuſmodi fabula; Mulier quædam cũ filio ſecundum Nili ripam ambulabat, ei Crocodilus filium abſtulit, & ſe redditurum dixit, ſi uerum mulier reſponderet: negauit illa fore ut redderetur, atque ob id ęquum aiebat reddi. De hoc genere meminit etiam Lucianus in Dialogo, cui Titulus eſt, Vitarum uenditiones. Eſt igitur Ceratina, & Crocodilites, ſophiſmatis parum explicabilis ſpecies; quo Dialectici ueteres & potiſsimum Stoici utebantur. Quod genus eleganter Quintilianus exquiſitas ambiguitates appellauit. Cicero generaliter argumentationes omnes, quibus aliquis Capitur, laqueos uocas. de Fato; ad Chryſippi laqueos reuertamur. Pro Cecinna aquitatem rei, verbi laqoco cæpi non oportet. pro Mil. cum illam beluam iudicij laqueos declinantem, iam irretitam tenerem Hinc etiam dicimus induere ſe in laqueos, hoc eſt ſe ipſum implicare, ita, ut non facilè deinde ſe defendere poſsit in Vert. 4. hic uidete in quot laqueos ſe induerit, quorum ex nullo ſe unquam expediret. Peripatetici, quorũ princeps Ariſtoteles, ſic appellati, quia diſputabant ambulantes in Lyceo, hos admiratus ſemper eſt Cicero, non tantùm propter Philoſophiam, ſed etiam propter eloquentiam. Nam Ariſtotelem dixit aureum flumen orationis fundere, Theophraſtum diuinitate loquēdi nomē inueniſſe. Iſti autē multa de arte Rhetorica ſcripſerunt. Adiumenta igitur artis præcepta intelligimus: ornamenta uerò uerborum, & ſententiarum figuras. MISSOS FACIO. Separata eſt, inquit, Mathematicorum, & Grammaticorum & Muſicorum ars, ab oratoria facultate. Sed omnino decipitur in hac parte Sceuola; quoniam omnes artes, quæ ad humanitatem pertinent, habent quoddam quaſi commune uinculum, & inter ſe cognatione quadam continentur, & cum omnibus ſcientijs dicendi uis aliqua ſocietate coniungitur.

Quamobrem iſta tanta, tamque multa profitenda, Craſſe, non cenſeo.

Satis id eſt magnum, quod potes prꝭſtare, vt in iudicijs ea cauſa, quamcumque tu dicis, melior & probabilior, eſſe videatur: vt in concionibus, & ſententijs, dicendis, ad perſuadendum tua plurimum valeat oratio: denique vt prudentibus diſertè, ſtultis etiam verè dicere videaris.

Hoc amplius ſi quid poteris, non id mihi videbitur orator, ſed Craſſus ſua quadam propria, non communi oratorum facultate poſſe.

MISSOS FACIO. Occupatio eſt. QVAMOBREM. Cõcluſio ſecundæ quæſtionis, in qua ſeiunctione utitur: ademptis enim oratori reliquis omnibus ſcientijs, Tria tantùm cauſarum genera relinquit, iudiciorum, concionum, ſententiæ dicendæ. TAM MVLTA PROFITENDA. palam prædicanda. Eſt enim profiteri, libenter, & apertè fateri; vt pro Cecina; Atque ita libenter confitetur, vt non ſolum fateri, ſed etiam profiteri uideatur. Profiteri etiam aliquando ſignificat denunciare, quãtum numerum olei, uini, frumenti, iugerum, uel aliarum rerum, quiſque habeat. in Verr. 5. edixerat, ut aratores iugera ſationum ſuarum profiterentur: fiebat etiam profeſſio in peragendo cenſu. Vlpianus; vitia priorum cenſuum, editis nouis profeſſionibus euaneſcunt: ita profitebantur apud Prætorem, qui ciues Romani fiebant; & profiteri merces dicuntur, qui uectigales eas faciunt, & publicanis eas oſtendunt. Vnde merces improfeſſæ, dicuntur à Martiano in L. interdum, de publicanis, quarum nomine negociatores vectigal non pependerunt. Eſt etiam profiteri idem quod publicè docere. vt Plinius in Epiſt. audiſti ne Valeriũ Licimanũ in Sicilia profiteri: de Amicitia. Quæ diſputari de amicitia poſſunt, ab eis cenſeo petatis, qui iſta profitentur. Sed hoc loco notandum eſt paſſiuum participium ab hoc verbo, quod rarũ eſt. SATIS EST ID MAGNVM Effectus eloquentiæ breuiter tangit. In iudicijs quærit orator oſtendere cauſam ſuam meliorem eſſe, in concionibus, & ſententijs, quæ dicit, perſuadere nititur. Eſt enim finis artis Rhetoricæ perſuadere dictione: quare ita definiebat eam Iſocrates, vt diceret eſſe πειθοῦς δημιουργὸν DENIQVE VT Diſtributio nõ enim idẽ apud prudentes, quod apud imperitos valet orator. Nam prudentes diſertè quidem iudicant ab oratore verba fieri, cauſaſque tractari, ſed

non continuò cenſent eos vera loqui: ſtulti autem atque imperiti, vera putant ea, quæcunque dicit orator. HOC AMPLIVS Non vltra ſe extendit orator ſed tamen fieri poteſt inquit vt aliquis etiam alias ſcientias præter oratoriam percipiat, quæ non ideo dicentur oratoris propriæ, vt Craſſus, quod de omni re loqueretur, quod multis ſcientijs eſſet inſtructus, non quatenus orator eas acquiſierat, ſed quatenus erat etiam aliarum ſcientiarum præter Rhetoricam ſtudioſus.

Tum ille, Non ſum, inquit, neſcius, Scæuola, iſta inter Græcos dici, & diſceptari ſolere. audiui enim ſummos homines, cùm quęſtor ex Macedonia veniſſem Athenas, florente Academia, vt temporibus illis ferebatur, quòd eam Carneades, & Clitomachus, & Aeſchines obtinebant. erat etiam Metrodorus, qui cum illis vnà ipſum illum Carneadem deligentius audierat, hominem omnium in dicendo, vt ferebant, acerrimum, & copioſiſsimum. vigebat auditor Panætij illius tui Mneſarchus, & Peripatetici Critolaus, & Diodorus. Multi erant præterea præclari in philoſophia, & nobiles, à quibus omnibus vna penè repelli voce oratorem à gubernaculis ciuitatum, excludi ab omni doctrina, rerumque maiorum ſcientia, ac tantùm in iudicia, & contiunculas, tanquam in aliquid piſtrinum, detrudi & compingi videbam.

TVM ILLE NON SVM Artificioſa Craſsi reſponſio, qua mirificè Sceuolæ rationes refellit, & quæ prius ipſe dixerat, iterum ingenioſè confirmat. Multos autem Philoſophos commemorat, qui cõtra oratoriam facultatem diſputare conſueuerant, ut Sceuolæ ſententiam non eſſe nouam oſtendat. CVM QVÆSTOR EX MACEDONIA. Imperatores enim in prouincijs quæſtores habebant, nobiliſsimos iuuenes; qui publicas pecunias curarent, & captiuam prædam cuſtodirent, & populi Romani vectigalia exigerent,

tabulaſque accepti, & expenſi conficerent. Hi verò quæſtores ſorte eligebantur, ne cum multi quæſturam peterent, aliqui repulſum paterentur. Cicero ad Q. Fratrem; Quæſtorem habes, non tuo iudicio delectum, ſed eum, quem Sors dedit. pro P. Seſtio; Quæſtor hic C. Antonij collegæ mei fuit ſorte, ſed ſocietate conſiliorum meus. Erant etiam Quæſtores, qui prouincias decreto Senatus ſortiebantur, qui et etiam iùs dicere, lictores habere, & bella gerere poterant: qualis for taſsè fuit L. Craſſus in Macedonia. Plura de Quæſtoribus, Alexander libro 2. cap. 2.

Carneades Cyreneus nouæ Academiæ princeps, ſumma differendi in utramq; partē facultate, ſumma memoria Philoſophus, Cryſippi maximè ſtudioſus: dicebat enī εἰ μὴ γὰρ ἦν Χρύσιππος, οὐκ ἂν ἦν ἐγώ, hoc eſt, ſi Chryſippus nō fuiſſet, non eſſem ego. Contra Zenonem diſputaturus helleboro ſe purgabat. Romam legatus miſſus ab Athenienſibus, eloquentia ſua mouit M. Catonem, vt Senatum admoneret, quam primum eum Roma ablegandum, qui facile quicquid uellet perſuadere poſſet.

Clitomachus Carneadis auditor fuit, patria Carthaginenſis, qui deinde Carneadi ſucceſsit.

Æſchines hic Mitylenæus fuit; quem oratorum flagellum dixerunt: ut Laertius tradit. Nam multi fuerunt Æſchines.

Metrodorus autem Carneadis auditor Philoſophus egregius fuit, atque etiā pictor. Nā L. Paulus deuicto Perſeo cū petijſſet ab Athniēſibus, vt, quam probatiſsimum Philoſophum mitterent ſibi ad erudiēdos liberos, itemque pictorem ad excolendum Triumphum, Athenienſes Metrodorum elegerunt, profeſsi eundum in utroque ſtudio præſtantiſsimum.

Mneſarchus Stoicus fuit. Oratorum inimicus, quos operarios appellabat, fuit Panætij illius auditor, qui Scipionem Africanum philoſophiam docuit.

Critolaus fuit Athenienſis Academicus, qui cum Carneade legatus Romam uenit, de quo Cic. Tuſcul. 5. meminit, & de eius libra. Diodorus Clitomachi auditor, qui ad honeſtatem adiungebat uacuitatē doloris, ut ait Cicero; hi dicebantur ῥητορομάστιγες, id eſt Rhetorum inſectatores. Iſti (inquit) omnes Philoſophi nolebant oratorem ad Remp. adminiſtrandam accedere; ſed tantùm in iudicijs & concionibus uerſari. VNA VOCE. Pro ſummo conſenſu paſsim legitur, ſicuti etiam vno ore Terentius; uno ore omnes omnia bona dicere, Cic. de Ami. Vna eſt enim amicitia in rebus humanis, de cuius vtilitate oēs uno ore cōſentiunt. Plato de Legibus 1. utrūq; cōiunxit, μιᾷ δὲ φωνῇ, καὶ ἐξ ἑνὸς στόματος πάντας συμφωνεῖν. IN ALIQVOD PISTRINVM. Metaphora à ſeruis nequioribus ſumpta, quos in piſtri-

piſtrinum detrudebant. 2. de Oratore; tibi mecum in eodem eſt piſtrino viuendum Craſſe.

Sed ego neque illis aſſentiebar, neque harum diſputatioum inuentori, & principi longè omnium in dicendo, grauisſimo, & eloquentisſimo, Platoni, cuius tum Athenis diligentiùs legi cum Carneade Gorgiam: quo in libro in hoc maximè admirabar Platonem, quòd mihi in oratoribus irridendis ipſe eſſet orator ſummus videbatur. Verbi enim controuerſiaîam diu torquet Græculos homines, contentionis cupidiores, quàm veritatis.

SED EGO NEQVE. Qemadmodum neque Philoſophis illis, neque Platoni contra oratores diſputanti aſſentiebatur Craſſus: ita oſtendit etiam Sceuolæ ſe aſſentiri nolle. Platonem more ſolito cęteris omnibus anteponit, cuius ſumma dicendi vis, prodigio declarata fuit: cum ei infanti apes mel in os ingeſſerunt, Res miranda Craſſo videtur, quod dum oratores irridet Plato, ſummus orator ipſe videatur: neque enim ſine ſumma eloquentia, quiſpiam acriter eloquentiam vituperare poteſt. Gorgias Rhetor Siculus Empedoclis diſcipulus fuit, & Iſocratis præceptor: adoleſcens enim Iſocrates, ſenem Gorgiam in Theſalia audiuit: huic tantus honos eſt habitus à Græcia, ſoli ut ex omnibus Delphis non inaurata ſtatua, ſed aurea ſtatueretur: hic centum & ſeptem compleuit annos, vt ait Cicero de Senectute. Quintilianus centum & nouem vixiſſe ſcribit, rogatus quare tamdiu vellet in vita manere, quia nihil, inquit, habeo, quod accuſem ſenectutem. Tradunt Gorgiam, cum aliquando legiſſet Platonis Dialogum illum, qui Gorgias ab ipſius nomine inſcribitur dixiſſe ὡς καλῶς οἶδε πλάτων ἰαμβίζειν. cum morti vicinus eſſet, amico præcunctanti quo pacto ſe haberet, Somnus, inquit, me incipit ſorori ſuæ commendare. Nam Homerus ſomni ſororem appellat mortem. VERBI CONTROVERSIA Græcos reprehendit, quod de nominibus ſoliciti, res ipſas non conſiderant; & quod contentionis gratia nō veritatis indagandæ, ſoleant diſputare. Hoc autem ſophiſtarum proprium eſt, qui verborum captiones aucupantur. ſed qui veritatis cupidi ſunt, illi relictis nominibus, rerum naturas atque definitiones ſcrutantur.

tantur. Docet enim apud Platonem Socrates, eos qui ſapientes fieri concupiſcunt, non oportere, multum de nominibus eſſe ſolicitos. Merito igitur Græculos homines Craſſus irridet, qui tanto tempore ſtatuere non potuerint, quemnam, oratorem appellandum eſſe cenſerent. NAM SI QVIS Etiam ſi tantum in ijs rebus verſetur orator, quas illis Scęuola tribuit, multarum tamen rerum ſcientiam eum habere oportet.

Nam ſiquis hunc ſtatuit eſſe oratorem, qui tantummodò in iure, aut in iudicijs poſſit, aut apud populum, aut in ſenatu copioſè loqui, tamen huic ipſi multa tribuat, & concedat neceſſe eſt. Neque enim ſine multa pertractatione omnium rerump. neque ſine legum, moris, iuris ſcientia, neque natura hominum incognita, ac moribus, in his ipſis rebus ſatis callidè verſari, & peritè poteſt.

Qui autem hæc cognouerit, ſine quibus ne illa quidem minima in cauſis quiſquam rectè tueri poteſt, quid huic abeſſe poterit de maximarum rerum ſcientia? Sin oratoris nihil uis eſſe, niſi compoſitè, ornatè, copioſè eloqui: quæro, idipſum qui poſsit eſſe qui ſine ea ſcientia, quam ei non concedit? dicendi enim uirtus, niſi ei, qui dicit, ea, quibus dicit, percepta ſint, exſtare non poteſt.

NAM SI QVIS HVNC Duas affert oratoris definitiones, quibus vtriuſque probare contendit multis ſcientijs illi opus eſſe: prima hæc eſt; Orator eſt, qui in iure, aut in iudicijs poteſt, aut ad populum aut in Senatu copioſe loqui, quæ ſi definitio bona eſt, neceſſe eſt, inquit Craſſus, vt omnium maximarum rerum ſcientiam orator acquirat, vt Iuris ciuilis, Philoſophiæ naturalis, & moralis, hiſtoriarum, conſuetudinum. Altera definitio eſt; orator eſt, qui compoſitè, orna-

te,

tè, copioſè poteſt eloqui. Quæ quidem definitio videtur etiam multo plura complecti, quam ſuperior complectatur. Neque enim ſine rerũ omnium cognitione, poteſt quis de omni re poſita compoſite, ornatè, & copioſè loqui quoniam ex rebus & verbis conſtat eloquentia. DICENDI ENIM VIRTVS Hæc ſententia omnino falſa eſt, quoniam poteſt aliquis de rebus quarum nullum vſum habeat diſputare copioſè. ſic Phormio ille Peripateticus Philoſophus, homo copioſus coram Hannibale aliquot horas de imperatoris officio, & de omni re militari locutus eſt: & cum cæteri, qui illum audierant vehementer eſſent delectati, quærebant ab Annibale, quidnam ille ipſe de illo Philoſopho iudicaret: hic Pœnus, liberè reſpondiſſe fertur, multos ſe deliros ſenes ſæpè uidiſſe, ſed qui magis quam Phormio deliraret, vidiſſe neminem. Quid quod ipſe ſibi contradicere Craſſus videtur? nam paulo inferius ait Aratum ignarum Aſtrologiæ, optimis verſibus de cœlo, ſtelliſque dixiſſe? & Nicandrum Colophonium hominem ab agro remotisſimum, poetica quadam facultate, non ruſtica ſcripſiſſe pręclarè. Eodem igitur modo poteſt orator de rebus quas non intelligit, copioſè probabiliterq; diſputare. VIRTS EXTARE Eminere, apparere. Notandum contra Vallam, qui extare ſemper ſine motu poni putat, exiſtere verò, cum motu, ita vt exiſtit, ſit idem quod prodit, vel exurgit, Extat verò quod ſuperſtat, vt de Diuin. I. ſummerſus equus voraginibus non exiſtit, & neque diu vlla vox extitiſſet, & in II. Anguem ab ara extitiſſe. De rebus quoq; mutis exiſtere dicimus, vt de Anni: Exiſtit hoc loco quęſtio ſubdifficilis, de extare,

Virgilius: & ſummis vix cornibus extant.

Quo fit, vt de libris qui demortui non ſunt, dicamus extare, vt extant pauciſſimi Varronis libri, plurimi non extant, hæç Valla ſed extare etiam cum motu legitur, ut hoc loco, dicendi uirtus extare, quod ſine motu fieri non poteſt: & primo de Diuin. ſine oculis non poteſt extare officium, & munus oculorum, & I. Epiſt. noſtrum officium extabit in conueniendis magiſtratibus.

Quamobrem ſi ornatè locutus eſt, ſicut fertur, & mihi videtur, phyſicus ille Democritus materies, illa, fuit phyſici, de qua dixit: ornatus verò ipſe verborum, oratoris putandus eſt.

QVAMOBREM. Materiam ab elocutione diſtinguit, quo facilius oſtendat, in omni ſcientia quicunque politè loquuntur, non ſuo,

ſed oratorum officio ſungi, ſed hæc ratio non vicisſim retrò commeat. neque enim ſi Philoſophi politam locutionem ab oratore ſumunt, ideò ſequitur, vt etiam orator ſcientiam ſumat à Philoſophis.

QVAMOBREM Diſtinctio, ſi Democritus, Plato, Ariſtoteles, compoſitè, ornatè, copioſè locuti ſunt, non id quatenus Philoſophi fecerunt. ſufficit enim Philoſopho, vt quomodo rem explicet, ſed quatenus artem oratoriam perceperunt. Itaque Democritus, inquit, ornatè locutus eſt, vt fertur, & mihi videtur. in hac enim parte maximè commendat hunc Philoſophum Timon, quòd elegantis ſermonis ſtudioſisſimus fuerit, & lepidos iocos ſectari ſolitus, cuius carmina Diogenis interpres ita conuertit;

Qualis erat prudens Democritus auctor amœni
Sermonis, lepidique ioci in primisque facetus.

Phyſicum autem ideò Craſſus vocat illum, quòd de naturalibus rebus plurima uerba fecerit, quamuis Diogenes Laertius ſcribat eum πένταθλον, hoc eſt quinque certaminum fuiſſe cognominatum, quoniã naturalia, moralia, mathematica, liberalium diſciplinarum rationes, artiumque omnium peritiam habebat: quantum autem rerum naturalium peritus eſſet Hippocrati declarauit, qui cum ad eum lac deferri iuſiſſet, ſtatim dixit Democritus: Et capellæ primi partus, & nigræ eſt Quin etiam puellam quandam Hippocratis comitem, primo die ita ſalutauit, Salue uirgo. poſtridie uerò Salue mulier; fuerat enim puella ea nocte uitiata. Tradunt quidam hunc Philoſophum, cum rerum naturæ ſtudioſisſimus eſſet, ut facilius in eis Philoſophari poſſet, oculis ſe priuaſſe. quoniam oculorum aciem cogitationi impedimento eſſet cenſebat. Aul. Gellius libro 10. cap. 17. ſcribit eum ita ſe excecaſſe: fulgentisſimum clypeum, ex ære contra Solis radios poſuit, in quem oculos fixos tamdiu tenuit, donec penitus cæcaretur. Dicebat fin bonorum εὐθυμίαν eſſe, hoc eſt mentis tranquillitatem, innumerabiles eſſe mundos cenſebat, modo naſcentes modo intereuntes, omnium rerum principium ſtatuebat atomos, & inane, dicere frequenter ſolebat λόγος ἔργου σκιή. oratio operis eſt umbra: ſignificans ab egregijs factis naſci laudes hominum eloquentium. Huius etiam illud celebratur, ambitioſam menſam eſſe fortunæ, parcam uirtutis: dicebat aliquando fore, vt mortui reuiuiſcerent, in quo Plinius eum irridet, & cum multarum rerum cauſas latere intelligeret, dicere ſolitus erat veritatem in fundo merſam eſſe.

Et, ſi Plato de rebus à ciuilibus controuerſiis remotiſsimis diuinitus eſt locutus, quod ego concedo.

Si itē Ariſtoteles, ſi Theophraſtus, ſi Carneades in rebus ijs, de quibus diſputauerunt, eloquentes, & in dicendo ſuaues, atque ornati fuerunt.

Sint hæ res, de quibus diſputant, in alijs quibuſdam ſtudijs: oratio quidē ipſa, propria eſt huius unius rationis de qua loquimur, & quærimus. Etenim videmus, ijſdem de rebus ieiunè quoſdam, & exiliter, ut eum, quem acutiſsimum fuerunt, Chryſippum, diſputauiſſe, neque ob eam rem philoſophię non ſatisfeciſſe, quòd non hubuerit hanc dicendi ex arte, alienam facultatem.

ET SI PLATO. fuit quidem habitus eloquens Plato, ſed tamen nunquā forum attigit. Quin eius Apologiam, quam pro Socrate ſcripſit, ſunt qui plurimum irrideant, vt ineptam, & Rhetoricæ artis expertem, inter quos eſt etiā Seneca, quamuis ait Cicero Iouē ſi loqui uelit, nō alio ſermone quā Platonico vſurū. Qđ hoc loco Craſſus cōfirmat, cum ait diuinitus locutum Platonum. Huic adiungit Ariſtotelē Theophaſtrum, & Carneadem, qui in dicendo ſuaues atque ornati fuerunt. Sed eum ornatum, inquit, eam dicendi ſuauitatem, non ab ipſa Philoſophia ſumpſerunt; ſed ab oratoria facultate. quod aliorum Philoſophorum exemplo probatur, qui quamuis ieiunè atque exiliter locuti ſunt: tamen acutisſimi, atque ingenioſisſimi ſunt habiti, & ſine eloquentia munus ſuū abundè præſtiterunt. ACVTISSIMVM CHRYSIPPVM ſic enim eſt habitus, adeo vt etiam Chryſippea argumenta dicantur valida & firma. Fuit hic Philoſophus Tharſeuſis. Cleanthis auditor. quamuis à præceptore multis in rebus diſſentiret. Sed poſtquam contra Cleanthem diſputarat, adeo ſolebat eum pœnitere, vt frequenter diceret, ἐγὼ δ᾽ ἐ τ᾽ ἄλλα μακάριος πέφυκ᾽ ἀνὴρ, πλὴν εἰς κλέανθην τοῦτο δ᾽ οὐκ εὐδαιμονῶ tantū in Dialectica valuit, vt dicerent plerique, ſi apud Deos vſus eſſet dialecticæ, non futuram aliam, quam Chryſippeā. ſcripſit libros ſeptingentos quinque. Sed tantum ſeipſum ſuſpiciebat, vt cum quidam ciuis ab eo petiſſet, cui filium commendaret,

ret,reſpondit,eum commenda mihi:nam ſi quenquam me excellentiorem exiſtimarem,apud eum ego Philoſophiæ, operam dare n. vnde de illo dictum eſt, οἶος πέπνυται λοιποὶ δὲ σκιαὶ quod Homericum carmen etiam cato maior de Scipione Aemiliano dixiſſe fertur. Cicero dixit Chryſippus, qui fulcire porticum Stoicorum putatur,nam illud etiam apud Græcos iactatum eſt εἰ μὴ γὰρ ἦν Χρύσιππος οὐκ ἂν ἦν στοά. Aiunt hunc Philoſophum riſu mortuum eſſe; cum enim aſinum vidiſſet ſicus edentem amniculæ dixit, vt ei vinum propinaret: quo dicto tantum ridere cępit,vt animam exhalaret.Quidam aiunt immo dico vino hauſto,fato conceſſiſſe, quod epigrammate quodam Diogenes teſtatur quod ita incipit,

Vertigo cæpit cum bibiſſet affatim Chryſippum.

Acumen igitur huius Philoſophi laudatur, ſed oratio fuit exilis & ſpinoſa,quæ tamen inquit Craſſus Philoſophiæ ſatisfecit.

Quid ergo intereſt? aut qui diſcernes eorum, quos nominaui, vbertatem in dicendo, & copiam, ab eorum exilitate,qui hac dicendi varietate,& elegantia non vtuntur? Vnum erit profectò, quod ij,qui bene dicunt, afferunt proprium, compoſitam orationem,& ornatam, & artificio quodam, & expolitione diſtinctam.

QVID ERGO INTEREST. Si ex Philoſophis alij politè & copioſè;alij exiliter & inane loquuntur, quæ nam erit inter eos differentia? niſi quod aliqui facultatem oratoriam aſſecuti ſunt, alij nequaquam. Poſſunt igitur eſſe Philoſophi, etiam ſi non eleganter & copioſè loquantur; quales ſunt hoc noſtro tempore ferè omnes,qui ſcholaſtici, atque etiam Ariſtotelici uocantur. Qui quamuis acutiſsimi ſint in diſputando, tamen ita barbarè loquuntur, ut nihil poſsit eſſe ſordidius,ita ſpinoſè,& exiliter,ut nihil abiecti⁹ eſſe poſsit. VNVM ERIT PROFECTO. Hæc appellatur ſubiectio, quando ſibi ipſi reſpondet orator. Eſt,inquit, oratio communis omnibus ſcientijs; ſed ea quæ compoſita eſt, & ornata, & artificio quodam, & expolitione diſtincta, propria eſt oratoris. qua qui utuntur non ſua ſed oratorum facultate utuntur.

Hæc autem oratio, ſi res non ſubeſt ab oratore percepta, & cognita: aut nulla ſit neceſſe eſt, aut omnium irriſione ludatur. Quid eſt enim tam furioſum, quam verborum vel optimorum, atque ornatiſsimorum ſonitus inanis, nulla ſubiecta ſententia nec ſcientia?

HÆC AVTEM ORATIO Hactenus elocutionem oſtendit oratoris eſſe propriam; nunc etiam res ipſas conatur oratori vendicare. Sed hoc ſanè procedere non videtur: neque enim ſtatim ſequitur, vt ſi Philoſophi multi oratoriè locuti ſunt, etiam oratores, Philoſophicè loqui posſint. Neceſſe quidem eſt orationi rem aliquam ſubeſſe, quam orator perceperit, & cognouerit; ſed res illa poteſt à Philoſophicis rationibus eſſe aliena. Neque tamẽ omnium irriſione ludetur, ſi communem quandam prudentiam & calliditatẽ præ ſe tulerit. Vident enim homines tantum ea, quæ ſunt inepta, fatua, rei de qua tractatur non conſentanea; qui verò aptè prudenter, appoſitè verba facit, quod ſine Philoſophiæ cognitione fieri poteſt, is ſanè tantum aberit, vt ludatur, vt etiam plurimis admirationi ſit futurus. Sit ergo verum, nihil eſſe tam furioſum, quàm ornatam orationem, nulla ſubiecta ſententia, nec ſcientia: ſed intelligatur tamen poſſe tractari eleganter, etiam illa quæ ſunt à Philoſophorum facultate ſeiuncta. TAM FVRIOSVM. Hoc dicit, quia plerunq; furioſi ea dicunt, quę non intelligunt, & plurima proferunt, quæ nullum ſenſum habere videantur qualis illa Virgilij Cumæa Sybilla.

Horrendas canit ambages, antroq; remugit
Obſcuris vera inuoluens.

Cicero III. Tuſcul. ponit differentiã inter inſaniã, & furorẽ: inſaniã, inquit, cẽſuerunt, id eſt, inconſtantiã ſanitate vacantẽ; poſſe tamen tueri mediocritatẽ officiorum, & vitę communem cultum, atq; vſitatum, furorem autem eſſe rati ſunt mentis ad omnia cæcitatem. Furioſum XII. tabulæ noluerunt eſſe dominum ſuarum rerum, tales fingunt Poetæ Oreſtem, Athamantem, Pentheum. Cic. in Piſonem: ego te nõ vecordem; non furioſum, non mente captum, non tragico illo Oreſte, aut Athamante dementiorem putem? Virgilius in IIII.

Eumenidum veluti demens videt agmina Pentheus,
Et ſolem geminum, aut duplices ſe oſtendere Thebas.

Talis fuit Piſander, quem ſcribit Cœlius eò dementiæ veniſſe, vt vehementer pertimeſceret, ne animæ ſuæ occureret, à qua viuus eſſet deſtitutus. Habent autem plerumque furioſi ſonitum quendam oris, non vocem, inanem, ſine ſenſu, quibus ſimiles eſſe videntur imperiti homines, dum de rebus parum cognitis verba faciunt.

Quidquid erit igitur quacùmq; ex arte quocũq; de genere, id orator, ſi tanquam clientis cauſam didicerit, dicet meliùs, & ornatiùs, quàm ille ipſe eius rei inuentor, atque artifex. Nam ſi quis erit, qui hoc dicat, eſſe quaſdam oratorum proprias ſententias, atque cauſas, & certarũ rerum forenſibus cancellis circumſcriptam ſcientiã: fatebor equidem in his magis aſſiduè verſari hanc noſtram dictionem.

Sed tamen in his ipſis rebus permulta ſunt, quæ iſti magiſtri, qui rhetorici vocantur, nec tradunt, nec tenent.

QVICQVID Concluſio primæ partis, qua probatur oratorem de omni re cognita poſſe copioſè & ornatè loqui. Quamuis, inquit, multa ſint quæ orator non perceperit, tamen quemadmodum à cliente cauſas quas acturus eſt diſcit, & eas deinde viribus oratoris tractat: ita quicquid vel à Philoſophis, vel ab alijs artificibus didicerit id melius, & oratius tractabit, quàm illi, à quibus didicerit. Eſt igitur orator tanquam egregius quidam pictor, qui rerum omnium formas exprimit, atque ita effingit, vt cum ipſa natura certare videantur. NAM SI QVIS ERIT Antipophora, non tantum in forenſibus cauſis verſatur orator, ſed etiam in alijs rebus. quamuis in foro multa requirantur, de quibus Rhetores nihil tractant. FORENSIBVS CANCELLIS Sunt Cancelli vel ferrei, vel lignei, quædam opera ſubtili materia in tranſuerſum compacta, ad retis ſimilitudinem, quæ frequentia foramina habeant: quibus loca plurima in foro iudiciali munita erant. Vnde noſtro etiam tempore cancellos vocamus, vbi res iudiciales tractantur. Dicuntur etiam penè eadem ſignificatione Clathri, hoc eſt ligna, quibus tranſuerſis aliquid munimus: Horat in Arte,

Obiectos caneæ valuit ſi frangere Clathros.

Vnde

Vnde Clathratæ feneſtræ Claſthris munitæ, vulgo ferratas vocant. Coll. Feneſtræ clathris muniantur, ne poſſint noxia irrepere animalia, dicimus cancellos circumdare, pro eo, quod eſt coercere, atque refrænare: in Verr. V. ſatis ne vobis prætori improbo circumdati cancelli videntur in ſua prouincia: & pro Quintio dixit: & me facilè ueſtra exiſtimatione reuocabitis, ſi extra hos cancellos egredi conabor, quos mihi ipſe circumdedi. Hinc Iuriſconſulti dicunt cancellare, pro delere: ut cancellare teſtamentum, & cancellarij dicuntur ſcribę, quod in cancellis ſedeant, quæ uocabula parum latina ſunt. Plinius dixit cancellatam eſſe cutem elephantorum, & in 7. cap. 20. militem quendam Magni Pompei, rectos & tranſuerſos cancellatim toto corpore habuiſſe neruos.

Quis enim neſcit, maximam vim exiſtere oratoris in hominum mentibus vel ad iram, aut ad odium, aut dolorem incitandis, vel ab hiſce iiſdē permotionibus ad lenitatem, miſericordiamque reuocandis?

Quæ niſi qui naturas hominum, vimq́ue omnem humanitatis, cauſasq́ue eas, quibus mentes aut incitantur, aut reflectuntur, penitus perſpexerit, dicendo quod volet, proficere non poterit.

Atqui totus hic locus, philoſophorum putatur proprius, neque orator, me auctore, vmquam repugnabit: ſed, quum illis cognitionem rerum conceſſerit, quòd in ea ſolùm illi uoluerint elaborate: tractationem orationis, quæ ſine illa ſcientia nulla eſt, ſibi aſſumet. Hoc enim eſt proprium oratoris, quod ſepe iam dixi, oratio grauis, & ornata, & hominum ſenſibus, ac mentibus accommodata.

QVIS ENIM NESCIT Probat multa eſſe oratori neceſſaria, de quibus Rhetores nihil docent; ut de animi permotionibus, quæ tractatio Philoſophorū propria eſt; cum tamen in eis vis oratoris ma-

ximè uerſetur. Cum enim tria ſint, quæ efficere debet orator, docere, delectare, permouere. Docere, inquit Cicero de Opt. gen. orat. debitum eſt, delectare honorarium, permouere neceſſarium. Qui ergo mentes audientium, non permouet, orator eſſe nullo modo poteſt: cũ præſertim duæ ſint orationis præcipuæ partes, permouendorum tantum animorum gratia comparatæ, principium & peroratio. Quamobrem ratio atque cognitio permotionum animi, debet oratori cognita eſſe & perſpecta. Hoc autem fieri non poteſt, niſi quis naturas hominum, & cauſas, quibus mentes incitantur, aut reflectuntur cognouerit. AT QVI TOTVS Si cognitio permotionum eſt oratori neceſſaria, & totus hic locus Philoſophorum eſt proprius, ergo ſequitur ut oratorem Philoſophiæ peritum eſſe, neceſſe ſit, quod probare Craſſus inſtituerat. Ipſa igitur rerum cognitio Philoſophorum ſit; tractatio uero atque explicatio oratori tribuatur.

Quibus de rebus Ariſtotelem, & Theophraſtum ſcripſiſſe fateor.

Sed vide, ne hoc, Scæuola, totum ſit à me. nam ego quę ſunt oratori cum illis communia, non mutuor ab illis: iſti, quę de his rebus diſputant, oratorum eſſe concedunt.

Itaque cęteros libros, artis iſti ſuæ nomine, hos rhetoricos & inſcribunt, & appellant. Etenim cùm illi in diſcendo inciderint loci (quod perſępe euenit) vt de dijs immortalibus, de pietate, de concordia, de amicitia, de communi ciuium, de hominum, de gentium iure, de æquitate, de temperantia, de magnitudine animi, de omni virtutis genere ſit dicendum, clamabunt, credo, omnia gymnaſia, atque omnes philoſophorum ſcholæ, ſua hæc eſſe omnia propria, nihil omnino ad oratorem pertinere. Quibus ego, vt de his rebus omnibus in angulis, cõſumendi otij cauſa, differant, cũ conceſſero, illud tamen oratori tribuam, & da

bo, ut

bo, vt eadem, de quibus illi tenui quoſam, & exiguo ſermone diſputant, hic cum omni grauitate & iucunditate explicet.

Hæc ego cum ipſis philoſophis tum Athenis diſſerebam. Cogebat enim me M.Marcellus hic noſter, qui nunc ædilis curulis eſt: profectò, niſi ludos nunc faceret, huic noſtro ſermoni intereſſet ac iã tum erat adoleſcentulus his ſtudijs mirificè deditus.

QVIBVS DE REBVS. Scripſit quidem Ariſtoteles de Rhetorica, ſed non tanquam Philoſophus, quod ipſa inſcriptione librorum declaratur, qui Rhetorici dicuntur. ETENIM CVM ILLI. Loci communes in quibus frequentiſsimè uerſatur orator, ſubtilius quidem à Philoſophis tractantur, ſed plenius & copioſius ab oratoribus. M. MARCELLVS HIC NOSTER. Hic eſt ille Marcellus, pro quo ex ſtat adhuc oratio illa luculentiſsima Ciceronis ad Cæſarem, cuius eloquentiam in libro de Clar. Orat. Brutus prædicat, & Ciceroni ſimilem facit. Nam & didicit, inquit, & omiſsis cæteris ſtudijs id vnum egit, ſeſeque quotidianis cõmentationibus acerrime exercuit: Itaque & lectis vtitur verbis, & frequentibus, & ſplendore uocis, dignitate motus, fit ſpecioſum & illuſtre, quod dicitur, omniaque ſic ſuppetunt, vt ei nullam deeſſe virtutem oratoris putem. Fuit auditor Cratippi Peripatetici, quem Cicero valdè amabat, in conſulatu ſuo Cæſari ualde fuit inimicus, in ciuili bello partes Pompeianas ſecutus, tandem cum Cæſar occupaſſet Remp. precibus amicorum ei Cæſar pepercit: Sed cum domum reuerti cogitaret, à P.Magio Chilone familiari ſuo pugione percuſſus eſt: & duo vulnera accepit, vnum in Stomacho, alterum in capite, ſecundum aurem, quibus ex vulneribus mortuus eſt. extat epiſtola Ser. Sulp. libro Epiſt. 4. ad Ciceronem, qua mors huius declaratur. QVI NVNC ÆDILIVS CVR. EST. de Ædilibus vide Alexandrum ab Alex. libro 4. cap. 4.

Iam verò de legibus inſtituendis, de bello, de pace, de ſocijs, de vectigalibus, de iure ciuium generatim in ordines, ætateſque deſcripto, dicant vel

Græci,

Græci,ſi uolunt,Lycurgum,aut Solonem (quanquam illos quidem cenſemus in numero eloquentium reponendos) ſciſſe melius, quàm Hyperidem,aut Demoſthenem, perfectos iam homines in dicendo, & perpolitos : vel noſtros decemuiros : qui 12. tabulas perſcripſerunt,quos neceſſe eſt fuiſſe prudenteis, anteponant in hoc genere & Ser. Galbæ, & ſocero tuo C. Lælio, quos conſtat dicendi gloria præſtitiſſe.

Numquam enim negabo, eſſe quaſdam arteis proprias,eorum, qui in his cognoſcendis, atque tractandis ſtudium ſuum omne poſuerunt : ſed oratorem plenum, atque perfectum eſſe eum dicam, qui de omnibus rebus poſsit uarie, copioſeque dicere. Etenim ſæpe in ijs cauſis, quas omneis proprias eſſe oratorum confitentur,eſt aliquid, quod non ex vſu forenſi, quem ſolum oratoribus conceditis, ſed ex obſecuriore aliqua ſcientia ſit promendum,& aſſumendum.

Quæro enim, num poſsit aut contra imperatorem, aut pro imperatore dici,ſine rei militaris vſu, aut ſæpe etiam ſine regionum terreſtrium, aut maritimarum ſcientia : num apud populum de legibus iubendis,aut uetandis,num in ſenatu de omni reip. genere dici ſine ſumma rerum ciuilium cognitione, & prudentia : num admoueri poſsit oratio ad ſenſus animorum, atque motus vel inflãmandos, vel etiam extinguendos, (quod vnũ in oratore dominatur) ſine diligentiſsima peruestigatione earum omnium rationum, quæ de na

turis

turis humani generis, ac moribus à philoſophis explicantur.

IAM VERO. Legiſlatores cum oratoribus comparans, probat melius, & ornatius ab oratoribus dici. Lycurgus Homeri tempore fuiſſe dicitur. Huius uitam copioſè Plutarchus deſcribit. Iuſt. lib. 3. multa de Lycurgo uerba facit, eiusque legibus. Spartanis enim leges inſtituit, non inuentione earum, magis quàm exemplo clarior. Si quidem nihil lege vlla in alios ſanxit, cuius non ipſe primus in ſe documenta daret: auri argentique vſum velut omnium ſcelerum materiam ſuſtulit, fundos omuium ęqualiter inter omnes diuiſit, conuiuari omnes publicè iuſsit: ſtatuit virgines ſine dote nubere, ſeniores à iunioribus honorari maximè uoluit. Et ne duræ leges uiderentur, Apollinem delphicum, earum ſibi auctorem finxit. deinde ut ęternitatem legibus ſuis daret, iureiurando obligat ciuitatem, nihil eos de eius legibus mutaturos, priuſquam reuerteretur, & ſimulat ſe ad oraculum Delphicum proficiſci: proficiſcitur autem Cretam, ibique perpetuum exilium egit, abijcique in mare oſſa ſua moriens iuſsit, ne relatis Lacedæmona, ſolutos ſe Spartani religione iuriſiurandi, in diſſoluendis legibus arbitrarentur. Solon Salaminius, inter ſeptem Græciæ ſapientes numeratur. Huius etiam uitam copioſè Plut. ſcribit. abrogatis pleriſque Draconis legibus, quæ propter ſeueritatem ſanguine ſcriptæ dicebantur, leges ipſe plurimas & utiliſsimas tulit, quæ numerantur à Plutarcho. Hic orientem Piſiſtrati Tyrannidem præuidit, & cum illi reſiſteret, interrogatus à Piſiſtrato, qua re fretus illi aduerſaretur. Senectute, inquit: à Crœſo rogatus, an quem vidiſſet ſe beatiorem? Telum Athenienſem nominauit, qui pro petria pugnans nuper obierat, & addidit neminem beatum poſſe dici, niſi poſtquam è uita exceſſerit. Rogatus, quare nullam legem in parricidas tuliſſet, quia neminem vnquam talem futurum ſpero. Hic vt libro 5. cap. 3. Val. Max. ait, ſenectutem Cypri profugus exegit, neque ei in patria de qua optimè meruerat humari contigit. Fuit autem diſcendi cupidiſsimus, adeò ut diceret *γηράσκω δ' ἀεὶ πολλὰ διδασκόμενος*. Cũ in extremis laboraret, & amici, qui ad eum uiſendum acceſſerant, neſcio quid inter ſe diſputarent, caput erexit: interrogatuſque qua propter id feciſſet reſpondit, ut cum iſtud, quicquid eſt, de quo diſputatis percepero, moriar. Fuerunt hi duo legiſlatores eloquentes, ſed nihil ad Hyperidem, & Demoſthenem. Hyperides, ait Volateranus, Athenienſis unus, è decem oratoribus primis, æmulus quandoque Demoſthenis, accuſatuſque ab eo peculatus, deinde ambo damnati, iuſſu Antipatri, Hyperides aufugit in Æginam, ibique ab Archia Tyrio ſatellite captus, & ad Antipa-

patrum

patrum ductus, lingua prius exciſa necatur: auctor Plutarchus in Demoſth. Attribuitur Hyperidi acumen, ſicuti uis Demoſtheni, iucunditas Iſocrati, Lyſiæ ſubtilitas, Æſchini ſonitus, Platoni copia. Fuit Hyperides Platonis auditor, ualebat plurimum in dicendo ex tempore: cum Demoſthenes numquam niſi præmeditatus loqueretur. Itaque cum Demoſthenes aliquando uellet eũ reprehendere, exclamauit Hyperides, ὁ Δημοσθένης ἐμὲ βόλεται διορθοῦν, ὁ ὗς τὴν ἀθηνᾶν, at cõtra reſpõdit Demoſthenes, αὐτὴ μὲν τοι πέρυσιν ἡ ἀθηνᾶ μοι χένουσα ἑαλώθη de Decẽuiris Liuius libro I I I. anno trecenteſimo, altero quàm condita Roma erat, iterũ mutatur forma ciuitatis ab conſulibus, ad Decemuiros, quẽ admodum ab regibus ante ad conſules uenerat, & paulo poſt; Iam uenerant legati cum Atticis legibus, eo intentius inſtabant Tribuni, ut tandem ſcribendarum legum initium fieret. placet creari decimuiros ſine prouocatione, & ne quis eo anno alius magiſtratus eſſet, hæ ſunt les X I I. tabularum, & decemuirales appellatæ, & Decemuiratus ipſum officium decemuirorum appellatus eſt. Cicero cõtra Rullum; ut ij decemuiratum habeant, quos plebs deſignauerit. ORATOREM PLENVM ATQVE PERFECTVM. Qualis fortaſſe nemo fuit; non enim quærit Craſſus quis fuerit, ſed quid ſit illud, quo nihil poſſit eſſe præſtantius. Poſitum ſit igitur, inquit, in oratore Cicero ſine Philoſophia non poſſe effici quem quærimus eloquentem. Cũ autem Piloſophia rerum omniũ diuinarum, atque humanarũ ſcientia ſit, & oratoris ſit propria grauis Oratio & ornata, ſequitur, ut orator de omnibus rebus poſſit uariè copioſeque dicere EX OBSCVRIORE ALIQVA SCIENTIA Obſcuriores ſcientias appellat eas, quæ ſunt ab uſu forenſi remotæ. Quoniam, ut ſuperius dixit, dicendi omnis ratio in medio poſita, communi quodam in uſu, atque hominum more, & ſermone uerſatur: reliquę, omnes uidentur obſcuriores eſſe ſcientiæ, ut ars militaris, Coſmographia, Iuriſprudentia, quarum ſcientiarum exempla ſubiungit. CONTRA IMPERATOREM Imperatores dicti ſunt, qui Senatus, uel populi Rom. iuſſu, uel ductabant exercitum, uel prouincias adminiſtrabant, & ſinguli duos legatos habebant, quamuis in Tyrannidem poſtea conuerſus ſit hic magiſtratus. Nomen Imperatoris, olim prætoribus magnæ laudis titulus fuit, atque hoc ueluti inſigni munere milites ductores ſuos, re bene geſta honeſtabant, iſque præcipuus honos habebatur, neque quemque imperatoris nomine dignum eſſe cenſebant niſi qui iuſta uictoria potitus eſſet. Ita Cicero ad Cœlium ſcribens, Epiſt. libro I I. interea cum meis copijs omnibus uexari Amanienſes hoſtes ſempiternos, multi occiſi, capti, reliqui diſſipati, caſtella munita improuiſo aduentu capta, & incenſa, ita uictoria iuſta imperator appellatus, apud Illum & in eodem libro in alia epiſt. accedit

etiam

etiam moleſta hæc pompa lictorum, nomenque imperij, quo appellor. Legimus M. Craſſo magnæ inuidiæ fuiſſe, quod cum vrbem Zenodotium trans Euphratem imbelli certamine, & incruento marte viciſſet, imperatoris nomen ſibi arrogauit. Pompeius autem cum in Aphrica Domitium ſuperaſſet, & ex viginti trillibus hoſtium, vix tria milia effugiſſent, toto conſpirante exercitu fuit Imperator ſalutatus: & tamen is nunquam in epiſtolis, aut chirographis ſuis, id nomen vſurpauit. Poſtea C. Cæſar cum Remp. occupaſſet, prænomen Imperatoris ſibi arrogauit, atque ita deinceps omnes, qui Romæ rerum potiti ſunt. NVM APVD POPVLVM Vt pro lege Man. de lege Agraria, vt Fabius Maximus admodum ſenex ſuaſor legis Cinciæ, de donis & muneribus fuit. Cicero de Senect. Cato L X X V. annos natus, legem Voconiam magna voce & bonis lateribus ſuaſit, quam Q. Voconius Aricinus tulit, ne quis hæredem mulierem faceret, & ne liceret mulieribus vltra quadrantem legare. DE NATVRIS. in libro ſecundo de Anima, & II. Rhetoricorum Ariſtoteles.

Atq; haud ſcio an minus hoc uobis ſim probaturus, equidē nō dubitabo, quod ſentio, dicere. phyſica iſta ipſa, quæ paullo antè, & mathematica, & cęterarum artium propria propoſuiſti, ſcientiæ ſunt eorum, qui illa profitentur. illuſtrare autem oratione ſi quis iſtas ipſas arteis velit, ad oratoris ei confugiendum eſt facultatem. Neque enim, ſi Philonem illum archiectum, qui Athenienſibus armamentarium fecit, conſtat perdiſertè populo rationem operis ſui reddidiſſe, exiſtimandum eſt architecti potius artificio diſertum, quàm oratoris, fuiſſe. Nec, ſi huic M. Antonio pro Hermodoro fuiſſet de naualium opere dicendum, nō cùm ab illo cauſam didiciſſet, ipſe ornatè de alieno artificio, copioſeque dixiſſet. Neque verò Aſclepiades is, quo nos medico, amicoque vſi ſumus, tum, cùm eloquentia vicebat, cæteros medicos, in eo ipſo, quod ornatè dicebat, me-

dicinę facultate vtebatur, non eloquentiæ.

ATQVE HAVD SCIO. Simpliciter id affirmat, quod poſuerat ſuperius, omnes ſcientias facultate oratoris illuſtrari. PHYSICA. Philoſophia naturalis tres in partes diuiſa eſt, in Phyſica, Mathematica, & Metaphiſica. Phiſica tantum ea, quę ſub ſenſum cadunt, quæ dicuntur αἰσθητα, conſiderant, formaſque rerum corporatarum, quatenus materiæ inhærent, earumque principia atque cauſas. Mathematica verò res partim coniunctas materiæ, partim abſtractas inueſtigat, & quamuis formas abſtractas à materia conſiderent, tamen de illis ſolum formis curam habent, quæ ſine materia eſſe non poſſunt, quę διανοητα dicuntur à Platonicis. Hę ſunt quantitates rerum ſiuè continuæ, ſiue diſcretæ. Metaphiſica diuinarum tantum rerum ſcientia eſt; quæ etiam Theologia nuncupatur, & prima Philoſophia. Hæc ſcientia res omni materia carentes, & ſempiternas conſiderat, atque ipſum poteſtatis intellectum perficit. Has ſcientias oratoris (inquit) facultas illuſtrare maximè poteſt. NEQVE ENIM SI. Exemplis probat poſſe oratorem de omni re propoſita copioſè dicere. de hoc Philone Val. Max. libro octauo, cap. 13. ita ſcribit: gloriatur Athenæ armamentario ſuo, nec ſine cauſa, eſt enim illud opus, & impenſa, & elegantia uiſendum; cuius Architectum Philonem ita facundè rationem inſtitutionis ſuæ in theatro reddidiſſe conſtat, vt diſertiſſimus populus, non minorē laudem eloquentię eius, quàm arti tribueret. Plinius libro 7. tradit, armamentarium hoc mille capax nauium fuiſſe. NEC SI HVIC M. ANTONIO, melius de Architectura tractaręt orator, quàm architectus ipſe, multi fuerunt Hermodori, fuit vnus Philoſophus Siculus Platonis auditor, cui Suidas ait uitio datum fuiſſe, quòd Philoſophiam venalem habuerit. Collegit enim ea, quæ à Platone audierat, & ea deinde in Sicilia venditauit. Fuit alter, Hermodorus Epheſius, qui cum eſſet uir probus & temperatus, eū Epheſii è ciuitate eiecerunt dicentes; nemo vnus excellat è nobis, ſin quis extiterit apud alios ſit. Qua de cauſa ait Strabo fuiſſe dignos omnes Epheſios, qui ſtrangularentur. Tertius fuit hic, de quo Craſſus loquitur; Romanorum naualium architectus. NEQVE VERO ASCLEPIADES. Hic fuit medicus Pruſienſis, de quo multa Plinius libro 7. cap. 37. ideo fuit eloquens, quoniam antequam Medicus fieret Rhetoricam diu profeſſus eſt. (ut ait Volateranus) ſed cū decoxiſſet, medicinā amplexus eſt.

Atque illud eſt probabilius, neque tamen verum, quod Socrates dicere ſolebat, omneis in eo, quod ſcirent, ſatis eſſe eloquenteis. Illud verius:

ne-

neque quemquã in eo diſertum eſſe poſſe, quod neſciat, neque, ſi id optimè ſciat, ignarusq́ue ſit faciendæ, ac poliendæ orationis, diſertè idipſum poſſe, de quo ſciat, dicere.

ATQVE ILLVD. Socratis ſententiam refellit, qui ſpretis oratoribus, dicebat omnes in eo, quod ſcirent, ſatis eſſe eloquentes. NEQVE SI ID OPTIME SCIAT. Id enim uerum eſt, quod primo Tuſcul. ait Cicero, fieri poteſt vt rectè quis ſentiat, & id quod ſentit politè eloqui non poſsit. DISERTE. Minus eſt quàm eloquenter, vnde M. Antonius dicere ſolebat diſertos ſe vidiſſe multos, eloquentem neminem.

Quamobrem ſi quis vniuerſam, & propriam oratoris vim definire, complectiq́ue vult, is orator erit, mea ſententia, hoc tam graui dignus nomine, qui, quæcumque res inciderit, quæ ſit dictione explicanda, prudenter, & compoſitè, & ornatè, & memoriter dicat, cum quadam etiam actionis dignitate.

Sin cuipiam nimis infinitum videtur, quòd ita propoſui, quacumque de re, licet hinc, quantum cuique videbitur, circumcidat, atque amputet: tamen illud tenebo, ſi quę ceteris in artibus, aut ſtudijs ſita ſunt, orator ignoret, tantumque ea teneat, quæ ſint in diſceptationibus, aut in vſu forenſi: tamen his de rebus ipſis, ſi ſit ei dicendũ, cũ cognouerit ab ijs qui tenent, quę ſint in quaque re: multò oratorem meliùs, quàm ipſos illos, quorum eę ſunt artes, eſſe dicturum.

Ita ſi de re militari dicendum huic erit Sulpicio, quæret à C. Mario, affini noſtro, & cùm acceperit, ita pronuntiabit, vt ipſi C. Mario pene hic

meliùs quàm ipſe ille ſcire videatur. Sin de iure ciuili: tecum communicabit, teque hominem prudentisſimum, & peritisſimum, in ijs ipſis rebus, quas ab te didicerit, dicendi arte ſuperabit. Sin quæ res inciderit, in qua de natura, de vitijs hominum, de cupiditatibus, de modo, de continentia, de dolore, de morte dicendum ſit: forſitan, ſi ei ſit viſum (& ſi hæc quidem noſſe debet orator) cum Sex. Pompeio, erudit homine in philoſohia, communicabit. Hoc profectò efficiet, quamcumque rem à quoq; cognouerit, de ea multo dicat ornatiùs, quàm ille ipſe, vnde cognorit.

QVAMOBREM. Oratoris definitionem inducit ab enumeratione partium. AC MARIO. Vocat affinem ſuum Marium propter Iuliam Marij vxorem. Fuit Marius belli experientisſimus, ſed literarum imperitus, itaque apud Saluſtium ipſe de ſe ita loquitur, Non ſunt compoſita uerba mea, parui id facio, ipſa ſe uirtus ſatis oſtẽdit; illis artificio opus eſt, vt turpia facta oratione tegant; neque literas Græcas didici, parum placebat eas diſcere, quippe, quæ ad uirtutem doctoribus nihil profuerunt. Spernebat igitur literas græcas, quo nomine reprehendit eum Plut. qui uitam eius copioſè ſcribit. Hic milites ſuos uarijs laboribus exercebat: & vt Iul. Frontinus libro Stratag. 4. ſcribit recidendorum impedimentorum gratia, quibus maximè exercitus oneratur, vaſa cibaria militum in faſciculos aptata furcis impoſuit, ſub quibus, & habile onus, & facilis requies eſſet. vnde & in prouerbium tractum eſt: Muli Mariani, nimirum ob laborum tolerantiam, quod Homerus ἡμιόνους ταλαεργοὺς identidẽ uocat. Plinius de uiris illuſtribus breuiter huius vitam perſtringit. PRVDENTISSIMVM. Nam iuriſconſultis prudentia attribuitur, vnde iuriſprudentes, & iuriſprudentia. DE NATVRA hoc eſt, ſi ſit ei loquendum de Philoſophia.

Sed ſi me audierit, quoniam philoſophia in treis parteis eſt diſtributa, in naturæ obſcuritatem, in diſ-

ſerendi ſubtilitatem, in uitam, atque mores: duo illa relinquamus, idque largiamur inertię noſtrę: tertium verò, quod ſemper oratoris fuit, niſi tenebimus, nihil oratori, in quo magnus eſſe poſsit, relinquemus. Quare hic locus de vita & moribus, totus eſt oratori perdiſcendus.

Cętera ſi non didicerit, tamen poterit, ſiquando uolet, ornare dicendo, cùm erunt ad eum delata, & tradita.

PHILOSOPHIA IN TRES PARTES. hæc Platonis diſtributio fuit, ſicuti in Academicis habemus, idem eſt, ac ſi diceret in Phyſica, Logica, & Ethica. DVO ILLA. Mirum quod Craſſus Logicam relinquere velit, de qua arte Cicero de Claris orat. ita ait; à Diodoro cum in alijs rebus, tum ſtudioſiſsime in Dialectica exercebar, quæ quaſi contracta, & aſtricta eloquentia putanda eſt. Sine qua etiam tu Brute iudicaſti te illam iuſtam eloquentiam, quam Dialecticam dilatatam eſſe putant, conſequi non poſſe. Zeno Rhetoricam palmæ, Dialecticam pugno ſimilem eſſe dicebat, quòd latius loquerentur Rhetores, Dialectici autem compreſsius, Autor ad Herennium, non modo non prodeſſe, ſed etiam obeſſe Dialecticam eloquentiæ putat. Sed longè aliter Quintilianus ſentit, qui neceſſariam oratori putat eſſe Dialecticam. INERTIÆ NOSTRÆ. Vnde Quintil. Inertia, inquit, factum eſt, ut artes eſſe plures uiderentur. TERTIVM VERO. Id oratori tribuitur, vt de uita & moribus copioſè diſputare ſciat. Nam in Iudiciali genere de Iuſtitia, & æquitate tractat, in Deliberatiuo de utilitate, & honeſtate, in Demonſtratiuo de virtutibus & uitijs. TOTVS EST ORATORI PERDISCENDVS. Ergo ſequitur, ut totam penè Academicorũ Philoſophiam diſcere oratorem oporteat. Nam hi Philoſophi in explicandis moribus, qui & ad vitam priuatam, & ad rem familiarem tuendam, & ad Reipub. adminiſtrationem pertinent, maximè fuerunt occupati: quem locum etiam Peripatetici & Stoici diligentiſsimè pertractarunt.

Etenim ſi conſtat inter dictos, hominem ignarum, aſtrologiæ, ornatiſsimis, atque optimis verſibus,

Ara-

Aratum, de cælo, ſtelliſque dixiſſe: ſi de rebus ruſticis hominem ab agro remotisſimum, Nicandrum Colophonium poetica quadam facultate, non ruſtica, ſcripſiſſe præclarè: quid eſt, cur, non orator de rebus ijs eloquentisſimè dicat, quas ad certam cauſam, tempuſque cognorit? Eſt enim finitimus oratori poeta, numeris adſtrictior paullo, verborum autem licentia liberior, multis verò ornandi generibus ſocius, ac pene par: in hoc quidem certè propriè idem, nullis vt terminis circumſcribat, aut definiat ius ſuum, quò minus ei liceat eadem illa facultate, & copia vagari, quà velit.

Namque illud quare, Scæuola, negaſti te fuiſſe laturum, niſi in meo regno eſſes, quòd in omni genere ſermonis, in omni parte humanitatis dixerim oratorem perfectum eſſe debere? Numquã, mehercule hoc dicerem, ſi eum, quem fingo, me ipſum eſſe arbitrarer. ſed, vt ſolebat. C. Lucilius ſæpe dicere, homo tibi ſubiratus, mihi propter eam ipſam cauſam minùs, quàm volebat, familiaris, ſed tamen & doctus, & perurbanus: ſic ſentio, neminem eſſe in oratorum numero habendum, qui non ſit omnibus ijs artibus, quæ ſunt libero dignæ, perpolitus: quibus ipſis, ſi in dicendo non vtimur, tamen apparet, atque exſtat, vtrum ſimus earum rudes, an dedicerimus: vt, qui pila ludunt, non vtuntur in ipſa luſione artificio proprio palæſtræ, ſed indicat ipſe motus, didicerintne palæſtram, an neſciant: & qui aliquid fin

gunt,

gunt,etſi tum pictura nihil vtuntur, tamen, vtrū, ſciant pingere, an neſciant,non obſcurum eſt:ſic in orationibus hiſce ipſis iudiciorum,contionum ſenatus, etiam ſi propriæ cęteræ non adhibentur artes,tamen facilè declaratur,vtrum is, qui dicat,tantummodò in hoc declamatorio ſit opere iactatus,an ad dicendum omnibus ingenuis artibus inſtructus,acceſſerit.

ETENIM SI CONSTAT Argumentum à comparationē, de Arato, & Nicandro vide Poetarum hiſtoriam L. Greg. Gyraldi. EST ENIM FINITIMVS Ratio cur oratorem Poetæ compararit. Quantum autem eloquentiæ proſit poetarum lectio, vide Quintilianum libro X. cap. I. NVLLIS VT TERMINIS Omnes enim ſcientias amplectuntur Poetę,iam ab illo fonte,atque capite Homero, quem Plut. oſtendit ſcientiarum omnium fuiſſe periti ſſimum: de quo ſic Ouidius;

Aſpicie Mæonidem à quo ceu fonte perenni
Vatum pierijs ora rigantur aquis.

Quid an non in Virgilio noſtro tanquam ſtellæ quædam fulgentiſſimæ relucent,ſcientiarum omnium ornamenta maxima? VAGARI QVA VELIT. Hoc eſt quod ait Horatius,

Nil intentatum noſtri liquere poetæ.
Nec minimum meruere decus veſtigia Græca
Auſi deſerere,& celebrare domeſtica facta.

NAMQVE ILLVD QVARE Reuertitur ad id,quod primo dixerat,omnes ſcientias oratori prodeſſe, quamuis eis in dicendo non ſemper vtatur: arrogantiæ ſuſpicionem à ſe remouet,& ſe perfecti oratoris id eam exprimere oſtendit. C. LVCIVS Vtitur Lucilli Poetæ autoritate, ad id probandum, quod intendit. De hoc Poeta vide L. Greg. Gyraldum libro 4. QVÆ SVNT LIBERO HOMINE Vnde etiam liberales ſcientiæ dicuntur, quæ quamuis ſeptem tantum à quibuſdam numerentur; tamen longe plures ſunt. nam & rei militaris ſcientia, & rei ciuilis & nonnullæ aliæ liberales habentur. Quintil. in eadem eſt ſententia: nam oratorem per omnes ſcientias educit, vſque ad cœleſtium etiam rerum cognitionem, & ad extremum exemplis vtitur Periclis, Sulpitij Galli, Dionis Syracuſani. VT QVI PILA. Similitudine probat artes liberales in dicēdo

do apparere, de ludo pilæ vide Alexandrum ab Alexandro, libro III. cap. XXI. & Polid. Verg. libro II. cap. XIII. & Cęlium libro XX. cap. XIIII. De paleſtra nonnulla Cęlius libro XIII. cap. XVII. eam inuenit Theſeus, vel vt alij volunt Phorbas, vide Cælium libro XIII. cap. XXX. QVI ALIQVID FINGVNT Plaſtas intelligit, quos latinè figulos interpretari poſſumus, de quorum arte, vide Polyd. Verg. libro 2. cap. 25. & eundem de pictura eodem libro, cap. 24. SIC IN ORATORIBVS. Satis, inquit, uideri poteſt, an ſcientias didicerint. DECLAMATORIO OPERE. V. de Finib. ad fluctum aiunt declamare ſolitū Demoſtenem.

Tum ridens Scæuola, Non luctabor, inquit, tecum, Craſſe, ampliùs. id enim ipſum, quod contra me locutus es, artificio quodam es conſecutus, ut & mihi, quæ ego vellem, non eſſe oratoris, concederes: & ea ipſa neſcio quomodo rurſus detorqueres, atq; oratori propria traderes. Hæc cùm ego prætor Rhodum veniſſem, & cum ſummo illo doctore iſtius diſciplinæ Apollonio, ea, quæ à Panętio acceperam, contuliſſem: irriſit ille quidem, vt ſolebat, philoſophiam: atque contemſit, multaque non tam grauiter dixit, quàm facetè. tua autem fuit oratio eiuſmodi, non ut vllam artem, doctrinàmue contemneres, ſed ut omneis, comites ac miniſtras oratoris eſſe diceres. quas ego, ſi quis ſit vnus complexus omneis, idemque ſi ad eas facultates iſtam ornatiſsimæ orationis adiunxerit, non poſſum dicere, eum nō egregium quendam hominem, atque admirandum fore. ſed is, ſi quis eſſet, aut ſi etiam unquam fuiſſet, aut verò ſi eſſe poſſet, tu eſſes vnus profectò, qui & meo iudicio, & omnium, vix vllam cęteris oratoribus (pace horum dixerim) laudem reliquiſti.

TVM RIDENS SCEVOLA. Ita genero ſuo reſpõdet Scæuola, vt illum laudet, neque tamen ea concedat eſſe uera, quæ dixerit. NON LVCTABOR. Non contendam. à lucta, quæ πάλη dicitur, qui erat vnus è quinque ludis. Plancus, cum A. Pollio pararet in eum orationes, quæ poſt mortem Planci recitarentur, dixit, cum mortuis non niſi laruas luctari. Vnde prouerbium cum Laruis luctari, de ijs, qui mortuis maledicunt, quos in Politia Plato ſimiles eſſe dicit catellis lapides mordentibus, vt ait Ariſt oteles in Rhet. HÆC CVM EGO. Craſſum cum Apollonio comparans grauiorem facit. PRÆTOR. Prætores Romę vrbis initio non fuerunt, anno CCCXC. ab vrbe condita, cum Conſules auocarentur bellis finitimis (vt ait Pomponius de Origine Iuris) neque eſſet qui in ciuitate ius reddere poſſet, factum eſt, ut prætor quoque crearetur, qui vrbanus appellatus eſt: quod in vrbe ius redderet. Poſt aliquot deinde annos, non ſufficiente eo prætore, quòd multa turba etiam peregrinorum in ciuitatem veniret, creatus eſt, & alius Prætor, qui Peregrinus appellatus eſt, eo quòd plerumque inter peregrinos ius dicebat. Capta deinde Sardinia, mox Sicilia, item Hiſpania, deinde Narbonenſi prouincia, totidem prætores, quot prouinciæ in ditionem venerant, creati ſunt, partim qui Vrbanis rebus, partim qui prouincialibus præeſſent. Poſtea Cor. Sylla quatuor prætores adiunxit; & Iulius Cæſar duos; Auguſtus quatuor; Claudius duos. Itaque decem & octo Prætores tandem in vrbe fuerunt. Verum ætate Q. Sceuolæ, ſex tantum erant: primus Prætor Romæ fuit Sp. Furius Marci filius ex patribus, deinde numero ampliato, etiam ex plebe prætores creari cæperunt, & exercitus atque prouinciæ Prætoribus non aliter atque conſulibus dabantur. Sex tamen lictores tantum, cum ſecuribus & faſcibus Prætores habebant: cum conſules duodecim haberent. Communiter poſtea magiſtratus omnis, cui pareret exercitus, Prætor dictus eſt, ſi tamen eam poteſtatem à populo Rom. accepiſſet. Hinc prætorium dicebatur imperatoris tabernaculum, & prætoria cohors, quæ cuſtodiæ gratia imperatori ſemper aderat. *Teſto*. Inſula eſt Lyciæ, quam Plinius Cycladum primam facit, in qua ciuitas eſt, quæ Rhodos eodem nomine, quo inſula dicitur: Olim & armis, & literis clariſsima. Soli ſacra eſt inſula, quoniam, ut Solinus ait, nunquam ita nubilum eſt cælum, ut in Sole Rhodos non ſit: in eam urbem ſtudiorum gratia Romani frequentes veniebant. APOLLONIO. Fuit hic Alabandenſis; eſt autem Alabanda oppidum minoris Aſiæ; Molonis filius, vnde Apollonius Molonis dictus, dicendi magiſter præſtantiſsimus, quem etiam Cicero audiuit. Huius eſt celebre dictum illud; Lacryma nihil citius areſcit. TVA AVTEM FVIT ORATIO. Altera pars contentionis. QVAS EGO

SI QVIS. talis eſſet, ut dicunt mortalis quidam Deus: vt Quint. 1. cap. 10. SED IS SI QVIS. Argumentum à conſequentibus. Tu es perfectus orator, neque tamen omnes ſcientias didiciſti, ergo non ſunt omnes oratori neceſſariæ.

Verùm ſi tibi ipſi nihil deeſt, quod in forenſibus rebus, ciuilibuſque, verſetur, quin ſcias, neque eam tamen ſcientiam, quam adiungis oratori, complexus es: videamus, ne plus ei tribuas, quàm res, & veritas ipſa concedat.

Hic craſſus, Memento, inquit, me non de mea, ſed de oratorios facultate dixiſſe. Quid enim nos, aut didicimus, aut ſcire potuimus? qui antè ad agendum, quàm ad cognoſcendum venimus. quos in foro, quos in ambitione, quos in rep. quos in amicorum negotijs res ipſa antè confecit, quàm poſſemus aliquid de rebus tantis ſuſpicari. Quòd ſi tibi tantum in nobis videtur eſſe, quibus etiam ſi ingenium, vt tu putas, non maximè defuit, doctrina certe, & otium, & hercule etiam ſtudium illud dicendi acerrimum defuit: quid cenſes, ſi ad alicuius ingenium vel maius illa, quæ ego non attigi, acceſſerint? qualem illum, & quantum oratorem futurum?

VERVM SI Vtitur hypothetico Syllogiſmo, cuius antecedens, facile negari poteſt. QVAM RES ET VERITAS Idem eſt res & verum: quæ dicuntur à Dialecticis tranſcendentia. HIC CRASSVS Rurſus à ſe Sceuolam Craſſus ad ideam perfecti oratoris auertit: ſuam autem facultatem extenuat. QVID ENIM NOS Probat ſe multa diſcere non potuiſſe, quia fuerit ab adoleſcentia multum occupatus. ANTE AD AGENDVM Hoc contra rerum naturam eſſe videtur prius eſt enim intelligere, quàm agere.

re. Ideo dicebat Ariſt. hominem ad intelligendum, & agendum eſſe natum; ideoque ſcientiam rebus omnibus præſtare volunt, quia ſine illa nihil recte fieri poteſt. Ita præcipiunt etiam ſapientes, vt priuſquã aliquid aggrediamur, illud diligentisſime cognoſcamus. Aſſiduus tamen vſus vni rei deditus, & artem, & rationem ſæpe vincit. QVOS IN FORO Anaphora. Quatuor autem tangit, quibus ſe occupatũm fuiſſe oſtendat. forum in quo publicæ cauſæ tractabantur, ambitionem, qua vſus in petendis magiſtratibus fuerat. Rempub. cuius adminiſtrationem ſuſceperat, Amicorum negocia, quos in iudicijs defenderat. QVOD SI TIBI TANTVM Scęuolæ argumẽtum inuertit à comparatione minori. Si parua ſcientiarum cognitio tantum ad eloquentiam valet, quantum tandem ſumma ſcientia valebit. QVIBVS ETIAM SI non negat ſibi adeſſe ingenium. Hoc enim omnibus eſt natura inſitum vt ingenioſi videri velint, vnde Martialis;

Qui velit ingenio cedere, rarus erit.

Tangit autem ea, quæ perfecto ſunt oratori neceſſaria, hæc ſunt numero quatuor; ingenium, doctrina, otium, ſtudium acerrimum. QVID CENSES Si aliquis maiore ingenio præditus, doctrinam ocium, & ſtudium acerrimum habuerit. MAIVS INGENIVM Putant Platonici tribus de cauſis alium alij ingenio præſtare, Deo, Dęmone, Fato. Plato in Theæteto & in Phędro tradit eos ingenio pollere, qui furore quodam concitari ſoleant. Quod probat Demo. & Ariſtoteles ingenioſos melancholicos eſſe ait, ſed naturalem melancholiam, intelligit, non aduſtam. Heraclitus lux ſicca, anima ſapientisſima. Cælius libro 17. cap. 5.

Tum Antonius, Probas mihi inquit, iſta, Craſſe, quæ dicis: nec dubito, quin multo locupletior in dicendo futurus ſit, ſi quis omnium rerum, atque artium rationem, naturamque comprehenderit. Sed primùm id difficile factu eſt, præſertim in hac noſtra vita, noſtriſque occupationibus: deinde illud etiam verendum eſt, ne abſtrahamur ab hac exercitatione, & conſuetudine dicendi populari, & forenſi.

ANTONIVS. Craſſi ferè ſententiam Antonius ſequitur. niſi quod inter diſertum, & eloquentem differentiam ponit. Opponit etiam difficultatem, & locutionis diſsimilitudinem. Difficultatem propter occupationes, quibus ab adoleſcentia ſtatim Romani iuuenes implicabantur, vt non facilè diſciplinis operam dare poſſent: locutionis diſsimilitudinem, quia aliter loquantur oratores, aliter Philoſophi, vt periculum ſit, ne ſi iuuenes declamandi conſuetudinem, & exercitationem relinquant, vt Philoſophiæ dent operam eorum quodammodo eneruetur oratio.

Aliud enim mihi quoddam genus orationis eſſe videtur eorum hominum, de quibus paullo antè dixiſti, quamuis illi ornatè, & grauiter aut natura rerum, aut de humanis rebus loquantur. Nitidum quoddam genus eſt verborum, & lætum: ſed paleſtræ magis, & olei, quàm huius ciuilis turbæ, ac fori. Namque egomet, qui ſerò, ac leuiter Græcas literas attigiſſem, tamen cùm pro conſule in ciliciam proficiſcens Athenas veniſſem, complureis tum ibi dies ſum propter nauigandi difficultatem commoratus: ſed, cùm quotidie mecum haberem homines doctisſimos, eos ferè ipſos, qui abs te modò ſunt nominati, cumq; hoc, neſcio quomodo, apud eos increbuiſſet, me in cauſis maioribus, ſicuti te, ſolere verſari, pro ſe quiſq; vt poterat, de officio & ratione oratoris diſputabat.

ALIVD ENIM MIHI. *Sic in oratore.* Quanquam enim & Philoſophi quidam ornatè locuti ſunt, ſi quidem & Theophraſtus diuinitate loquendi nomen inuenit, & Ariſtoteles Iſocratem ipſum laceſsiuit, & Xenophontis voce muſas quaſi locutas ferunt, & longe omnium, quicunque ſcripſerunt aut locuti ſunt, extitit dicendi copia, & grauitate princeps Plato. tamen horum oratio neque neruos, neque aculeos oratorios, ac forenſes habet. SED PALESTRÆ MAGIS.

CIS, ET OLEI Talia dicuntur, quæ non ad ſerium negociũ, ſed potius ad luſum & delectationem adhibentur. Nam in Paleſtra nudi, & oleo perfuſi luctabantur, vngebantur autem, vt difficilior eſſet apprehenſio, & elapſus facilior. Primo de legibus de Antipatro ſic ait; habuit vires agreſtes ille quidem atque horridas, ſine nitore, atque paleſtra: quod hic oleum vocat, ibi nitorem dicit, & de Claris orat: quod nitidius eſt, vnctius appellat. Iam erat, inquit, vnctior quædam, ſplendidiorque conſuetudo loquendi: & in Oratore ad Brutum, Paleſtram pro venuſtate poſuit, quaſi quãdam paleſtram, & extrema lineamenta orationi attulit. NAMQVE EGO. Refert ſententias Philoſophorum, quos ipſe audierat de oratoris facultate. CVM PROCONSVL. De Proconſ. vide Alexandrum libro 2. capit. 27. SED CVM QVOTIDIE. Notanda Antonij diligentia, qui nullum tempus vacuum à literis prætermittebat & de arte ſua multum diſputare volebat.

Horum alij, ſicut iſte ipſe Mneſarchus, hos, quos nos oratores vocaremus, nihil eſſe dicebat, niſi quoſdam operarios, lingua celeri, & exercitata: oratorem autem, niſi qui ſapiens eſſet, eſſe neminem: atque ipſam eloquentiam, quòd ex bene dicendi ſcientia conſtaret, vnam quandam eſſe virtutem, & qui vnam virtutem haberet, omneis habere, eaſque ipſas eſſe inter ſe æqualeis, & pareis. ita, qui eſſet eloquens, eum virtutes omneis habere, atque eſſe ſapientem:

Sed hæc erat ſpinoſa quædam, & exilis oratio, longeque à noſtris ſenſibus abhorrebat.

Carneades verò multo vberius iiſdem de rebus loquebatur, non quò aperiret ſententiam ſuam (hic enim mos erat patrius Academiæ, aduerſari ſemper omibus in diſputando) ſed tum maximè tamen hoc ſignificabat, eos, qui rhetores nominarentur, & qui dicendi præcepta traderent, nihil planè tenere, neque poſſe quemquam facul-

tatem,

tatem aſſequi dicendi, niſi qui philoſophorum inuenta didiciſſet.

Diſputabant cõtrà diſerti homines, Athenienſes, in rep. cauſiſque verſati, in quibus erat etiam is, qui nuper Romæ fuit, Menedemus, hoſpes meus: qui cùm diceret eſſe quandam prudentiam, quæ verſaretur in perſpiciendis rationibus conſtituendarum, & regendarum rerumpubl. excitabatur homo promtus ab homine abundanti doctrina, & quadam incredibili varietate rerum, & copia.

HORVM ALII. Mneſarchus erat Stoicus, ideo non mirum eſt, ſi Stoicè diſputabat. QVOSDAM OPERARIOS. Operarij dicuntur qui non ſcientiam, ſed tantum operam ſuam in faciendo adhibent. Nam Architectus, ex arte quid ſit faciendum, præſcribit, operarij verò faciunt ex præſcripto. Sic in Bruto, nam illud nihil curo, quod congeſsiſti operarios omnes: ut mihi uideantur mori uoluiſſe nonnulli, ut à te in oratorum numerum referrentur. Huiuſmodi oratores, qui Philoſophiæ cognitione carent, uocat etiam vocales in Bruto: Addamus huc etiam, ne quem vocalem præterijſſe videamur, C. Coſconium Calidianum. VNAM QVANDAM ESSE VIRTVTEM. an Rhetorice ſit uirtus, uide Quintil. libro 2. cap. 20. EASQVE IPSAS. Sicuti peccata paria eſſe Stoici dicebant, ita etiam uirtutes. SPINOSA QVÆDAM. Aſpera, inculta. Vide prouerbium ſpinæ. ſic in Lucullo dixit: cum ſit enim campus, in quo exultare poſſit oratio, cur eam tantas in anguſtias, & Stoicorum dumeta compellimus, 3. de Finib. Stoicorum autem non ignoras, quam ſit ſubtile, vel ſpinoſum potius diſſerendi genus. Tuſcul. 1. hæc enim ſpinoſiora prius, vt confitear me cogunt, quàm vt aſſentiar. NON QVO APERIRET hoc enim acceptum à Socrate diligenter, & veteres, & noui Academici tenuerunt. MOS PATRIVS quem à patribus, hoc eſt à maioribus ſuis acceperunt. Hæc dicebatur ἐποχὴ ideſt aſſenſionis retentio. Tulſcul. 2. Itaque mihi ſemper Peripateticorum, Academiæque conſuetudo de omnibus rebus in contrarias partes diſſerendi, non ob eam cauſam ſolum placuit, quod aliter non poſſet, quid in vnaquaque re veriſimile eſſet inueniri: ſed etiam quod ea eſſet maxima dicendi exercitatio. MENEDEMVS Tres Menedemi memorantur. Primus ex

Eretria ciuitate, Phędri diſcipulus, vnde Eretriaci Philoſophi, qui cū initio ludibrio eſſet, poſtea tanta fuit in admiratione, vt ei ciuitatis gubernacula traderentur, alter fuit Cynicus è Lampaſco, qui ſumpto habitu furiæ, dicebat ſe exploratorem ex inferis veniſſe, vt Dęmonibus hominum peccata nunciaret. Tertius fuit hic hoſpes Antonij. QVANDAM PRVDENTIAM. Hic aperte prudentia pro ſcientia ponitur, contra Calcagnini ſententiam. EXCITABATVR. Tria laudat in Carneade, Doctrinam, veritatem, Copiam.

Omneis enim parteis illius ipſius prudentiæ, petendas eſſe à philoſophia docebat, neque ea, quæ ſtatuerentur in repub. de dijs immortalibus, de diſciplina iuuentutis, de iuſtitia, de patientia, de temperantia, de modo rerum omnium cęteraq; ſine quibus ciuitates aut eſſe, aut bene moratæ eſſe non poſſent, vſquam in eorum libris inueniri.

OMNES ENIM PARTES. Concedit Carneades eſſe quandam prudentiam conſtituendæ, & regendæ Reipubl. ſed omnes eius partes non ab oratore, ſed à Philoſopho petendas. DE DIIS. Hæc prima cura eſſe debet. Vide Cælium libro 2. cap. 1. Virgilius; In primis venerare deos. DE DISCIPLINA. Qui Remp. adminiſtrant, in primis curare debent, ut iuuenes erudiantur. ita Socrates in Apologia; Nam in primis iuuenum cura ſuſcipienda eſt, ut quàm optimi uiri fiant; quemadmodum bonum agricolam primum teneriores plantas curare decet, ac deinceps alijs prouidere. Eſt enim iuuentus tanquam ſeminarium Reipub. ideo Lycurgus ſumma diligentia iuuentutem erudiendam ſtatuit. DE IVSTITIA. Iuſticiam legalem intelligit, de qua Ariſtoteles Ethicorum libro 5. quæ virtutes omnes in ſe complectitur. hæc virtus in deos religio dicitur, in cognatos pietas, in amicos gratia, in hoſtes vindicatio, in ſuperiores obſeruantia, in ſermone veritas. conſtat autem vniuerſa iuſticia, vel natura, vel lege, vel conſuetudine. DE PATIENTIA. Quæ virtus eſt in moleſtijs tolerandis, καρτερία dicitur: cui contrarium eſt vitium mollitudo. μαλακία, differt à temperantia, quæ ſedatas habet cupiditates, & à continentia, quæ pugnat cum cupiditatibus, & eas ſuperat, nam tantum aduerſis reſiſtit. DE TEMPERANTIA.

 Quæ

Quæ uirtutis domiciliũ eſſe dicitur, & prudentiæ conſeruatrix. Vnde Gręcè *σωφροσύνη* dicitur, quaſi *σώζουσα τὴν φρόνησιν*. Vt Ethicorũ 6. docet Ariſtoteles. DE MODO RERVM. Modeſtia uirtus eſt, in qua decorum ſpectatur inter nimium & parum. omnis enim exuperantia uitioſa, ſicut etiam omnis defectus. CIVITATES AVTEM ESSE. Nam in legibus eſt ciuitatum ſalus: vt ait Ariſt. Leges autem quæ facienda ſunt imperant, prohibentque contraria.

Quòd ſi tantam uim rerum maximarum arte ſua rhetorici illi doctores complecterentur: quærebat, cur de procemijs, & de epilogis, & de huiuſmodi nugis (ſit enim appellabat) referti eſſent eorum libri: de ciuitatibus inſtituendis, de ſcribendis legibus, de æquitate, de iuſtitia, de fide, de frangendis cupiditatibus, de conformandis hominum moribus, litera in eorum libris nulla inueniretur.

QVOD SI TANTVM VIM. Argumentum ab adiunctis. Rhetores de procemijs, & epilogis multa dicunt, nihil de moribus hominum, non igitur maximas res arte ſua comprehenderunt. DE PROOEMIIS. Duas orationis partes tangit, in quibus Rhetorici ueteres maximè laborabant, procemium, & epilogum quos hac etiã de cauſa primo Rhetoricorum reprehendit Ariſt. quod relicto Enthymemate quod eſt corpus, & quaſi fundamentum fidei faciendæ tantum ea traderent, quæ ad mouendos animos pertinerent. Nam hæ duæ partes: Exordium, & Peroratio, tantum ad mouendos animos comparatæ ſunt. Et in ciuitatibus benè inſtitutis oratores affectus mouere vetebantur. vt Athenis in Areopago. vbi cum orator aliquis verba facturus eſſet, præco ſic ei præcipiebat; *ἄνευ προοιμίων, καὶ πάθων*, ideſt, ſine proemijs, & epilogis. Hæc igitur cauſa eſt, cur Carneades procemia, & epilogos appellaret nugas. quia ſolent à ſapientibus viris, & à Philoſophis improbari. licet oratores in his duabus partibus maximam eſſe uim cenſeant, atque in eis præcipuè orationem dominari. Cicero in epilogis ſeu perorationibus admirabilis fuiſſe dicitur. DE CIVITATIBVS INSTITVENDIS. Hæc omnia pertinent ad ciuilem ſciẽtiam, cuius magna

gna quædam atque ampla pars eſt artificioſa eloquentia, ut in primo de inuentione ait Cicero. Inſtituunt ciuitates potiſsimum legiſlatores qui leges ſcribunt, & æquitatem, iuſticiam, fidem ſeruare docent. Fides iuſticiæ fundamentum eſt. Æquitas iuſticiæ, quaſi correctio quædam: vt Ethicorum 5. docet Ariſt. DE FRANGENDIS CVPIDITATIBVS. Proprie dixit, nam cupiditates contra rationem inſurgunt; quæ niſi frangantur, ipſam rectè uiuendi rationem impediunt. neq; magna virtus eſſe poteſt niſi in eo, qui fractas, aut domitas cupiditates habet. quo fit; ut iuuenis virtute præditus eſſe non poſſit, quia trahitur à cupiditatibus, nihil autem differt ætate iuuenis ſit aliquis, an moribus. nam multi ſenes ſunt, qui iuueniliter à cupiditatibus trahuntur. CONFORMANDIS HOMINIBVS MORIBVS. Boni mores animum perficiunt, & informant: eſt igitur animus ſine virtute, res quædam informis, & imperfecta. nihil eſt enim aliud uirtus niſi in ſe perfecta, & ad ſummum perducta natura. LITERA NELLA. μειώσις ideſt diminutio nihil penitus dixerunt. in eorum libris, nulla de his rebus mentio fit.

Ipſa verò præcepta ſic illudere ſolebat, vt oſtenderet, non modò eos illius experteis eſſe prudentię, quam ſibi aſciſcerent, ſed ne hanc quidem ipſam dicendi rationem, ac viam noſſe. Caput enim eſſe arbitrabatur oratoris, vt & ipſis, apud quos ageret, talis, qualem ſe ipſe optaret, videtur. id fieri vitę dignitate, de qua nihil rhetorici iſti doctores in præceptis ſuis reliquiſſent: & vti eorum, qui audirent, ſic afficerentur animi, vt eos affici vellet orator: quod item fieri nullo modo poſſe, niſi cognoſceret is, qui diceret, quot modis hominum mentes, & quibus rebus, & quo genere orationis in quamque partem mouerentur.

IPSA VERO PRÆCEPTA. Carneades non modo ciuilem ſcientiam Rhetoribus adimebat, ſed etiam ipſius artis Rhetoricæ cognitionem. ILLIVS. PRVDENTIÆ. Ciuilem ſcientiam intelligit, quæ proprio nomine prudentia dicitur, quoniam in re-

bus agendis ſpectatur. RATIONEM AC VIAM. Methodum appellat Ariſtoteles; quę in tradendis artibus plurimum valet, vel potius neceſſaria eſt. CAPVT ENIM ESSE. Duo dicebat Carneades in oratore eſſe oportere, vt audientes in ſententiam ſum protrahat, & quicquid voluerit eis perſuadeat. primum eſt vitæ dignitas: facilius enim probis uiris creditur, quoniam in eis nulla eſt mendacij ſuſpicio. Altera eſt, animi commotionum intelligentia, quo ſciri poſsit, quo genere orationis animi moueantur. Sed neutrum horum à Rhetoribus traditur, ergo ne ipſam quidem dicendi rationem ac uiam noſcunt.

Hæc autem eſſe penitus in media philoſophia retruſa, atque abdita, quæ iſti rhetores ne primoribus quidem labris attigiſſent.

Ea Menedemus exemplis magis, quàm argumentis, conabatur refellere. memoriter enim multa ex orationibus Demoſthenis præclarè ſcripta pronuntians, docebat, illum in animis uel iudicum, vel populi, in omnem partem dicendo permouendis, non fuiſſe ignarum, quibus ea rebus conſequeretur, quæ negaret ille ſine philoſophia quéquam ſcire poſſe.

HÆC AVTEM ESSE. Concludit ſine Philoſophiæ cognitione, non poſſe oratorem conſtare. Nam hæc duo quæ ſunt oratori maxime neceſſaria, ſunt retruſa atque abdita, in media Philoſophia. Rhetores autem illa non deguſtarunt. PRIMORIBVS LABRIS. Prouerbium & Metaphora ab eis, ſumpta qui cibum, & potum leuiter deguſtant. Cicero pro M. Cælio, qui primoribus labijs deguſtaſſent genus hoc vitæ: & de Nat. Deorum 2. hunc cenſes primis (ut dicitur) labijs deguſtaſſe Phyſiologiam? Dicitur etiam ſummis labijs, & extremis digitis attingere; ſicuti à limine ſalutare. EA MENEDEMVS. Menedemus Rhetor argumentis contra Carneadem Philoſophum, contendere non poterat igitur exemplis conabatur eum refellere. Solent enim oratores frequentius exemplis, quàm argumentis vti: quoniam exempla notiora ſunt, & magis imperitos mouent, quam argumenta. Quare Demoſthenes reprehenſione non caruit, quod argumenta ſtudioſè ſectaretur. Cuius orationes

nes ideo Pitheus dixit lucernam olere. MEMORITER ENIM MVLTA. Notanda eſt Menedemi diligentia, qui Demoſthenis orationes memoriæ mandarat. VEL IVDICIVM. Cum forenſes cauſas ageret: in quibus tamen initio fuit ſæpe irriſus, & exibilatus, donec ab hiſtrione Satyro, pronunciandi atque agendi rationem didicit. VEL POPVLI. Cum in concione verba faceret, & ſententiam diceret. IN OMNEM PARTEM. Vel ad clementiam vel ad indignationem, uel ad amorem, vel ad odium.

Huic reſpondebat, non ſe negare, Demoſthenem ſummam prudentiam, ſummamque vim habuiſſe dicendi: ſed ſiue ille hoc ingenio potuiſſet, ſiue, id quod conſtaret, Platonis ſtudioſus audiendi fuiſſet: non quid ille potuiſſet, ſed, quid iſti docerent, eſſe quærendum.

HVIC. RESPONDEBAT. Carneades Menedemo concedebat omnia, quæ in Demoſthenis laudem diceret, & tamen ſuam ſententiam probabat. Duo verò ſunt quæ in Demoſthene commendat, ſummam prudentiam & ſummam vim. Prudentia pertinet ad cognitionem, & iudicium: vis ad varietatem & copiam rerum & verborum. Hæc autem duo referebat tum ad ingenium Demoſthenis tum ad ſtudium: nam ingenium per ſe plurimum valet in dicendo: ſed cũ etiam ſtudium adiungitur, tunc prçclarum illud, & diuinum ſolet exiſtere. Quod autem ait hoc loco Demoſthenem fuiſſe Platonis auditorem, idem affirmat in oratore ad Brutum, & primo de off. A. Gellius libro 3. ca. 13. ait Demoſthenem, cum eſſet adoleſcens, in Academiam venire, & Platonem audire ſolitum, & cum aliquando ad Platonem pergeret, videretque multos concurrentes, percunctatus cauſam, intellexit Calliſtratum, qui tunc optimus orator habebatur, orationem habiturum, itaque profectus etiam ipſe ad audientiam, Calliſtrati oratione ita commotus eſt, vt deinceps Calliſtratum ſectari cœperit, Academiam cum Platone reliquerit. NON QVID ILLE POTVISSET Neque enim ab vno ad omnes argumentari licet, vt Demoſthenes potuit in dicendo iudices, & populum permouere, ergo etiam reliqui Rhetores idem poterunt: non ideo firmum eſt argumentum, quia Rhetores alij, neque ſciunt, neque docent ea, quibus plurimum Demoſthenes valebat.

Sæpe etiam in eam partem ferebatur oratione, vt omnino diſputaret, nullam artem eſſe dicendi: idque cum argumentis docuerat, quòd ita nati eſſemus, vt & blādiri, & ſuppliciter inſinuare ijs, à quibus eſſet petendum, & aduerſarios minaciter terrere poſſemus, & rem geſtam exponere, & id, quod intenderemus, confirmare: & id, quod contrà diceretur, refellere, & ad extremum deprecari aliquid, & conqueri, quibus in rebus omnis oratorum verſaretur facultas: & quòd conſuetudo, exercitatioque, & intelligendi prudentiam acueret, & eloquendi celeritatem incitaret: tum etiam exemplorum copia nitebatur.

Nam primùm quaſi dedita opera neminem ſcriptorem artis, ne mediocriter quidem diſertum fuiſſe dicebat, cum repeteret vſque à Corace neſcio quo, & Tiſia, quos artis illius inuentores, & principes fuiſſe conſtaret: eloquentiſsimos autem homines, qui iſta nec didiciſſent, nec omnino ſciſſe curaſſent, innumerabileis quoſdam nominabat: in quibus etiam ſiue ille irridens, ſiue quòd ita pataret, atque ita audiſſet, me in illo numero, qui illa nō didiciſſem, & tamen (ut ipſe dicebat) poſſem aliquid in dicendo, proferebat.

Quorum ego illi alterum facilè aſſentiebar, nihil me didiciſſe: in altero autem me illudi ab eo, aut etiā ipſum errare arbitrabar.

SÆPE ETIAM IN EAM PARTEM FEREBATVR. cum oſtendiſſet Carneades ſine Philoſophiæ cognitione nullum oratorem eſſe poſſe; maius etiam quiddam aggreſſus eſt, vt doceret nullam

eſſe artem Rhetoricam: & hoc partim argumentis, partim exemplis probabat. Argumentis primo ab enumeratione partium ſumptis: cum enim (aiebat) omnis oratorum facultas in quinque rebus uerſetur, hoc eſt in conciliandis animis audientium, in exponenda re geſta, in confirmanda noſtra cauſa, in refellendis aduerſarijs, in deprecando, & conquerendo: hæc enim omnia habemus à natura. Nam in Exordio docet nos ipſa natura blandiri ſuppliciter iis, à quibus eſt petendum: & aduerſarios minaciter terrere: in Narratione docet rem geſtam exponere, in Confirmatione, docet probare, quod intendimus in Refutatione docet euertere quæ dixerunt aduerſarij, in Peroratione docet deprecari, & conqueri. Quod ſi his rebus conſuetudo, atque exercitatio adiungatur, etiam ſine vlla arte prudentia acuitur, & eloquendi celeritas incitatur. Hæc quidem habemus à natura ſed tantum inchoata, & rudia, quæ deinde arte perficiuntur. Nam initio Rhetoricorum ait Ariſt. omnes Rhetoricæ, & Dialecticæ eſſe aliquo modo participes: & tamen utriuſque facultatis artem eſſe. Quintilianus verò cenſet magnum oratorem, plus arti, quàm naturæ debere: cum tamen nullus orator magnus eſſe poſsit, niſi ab utraque adiuuetur: hoc eſt à natura & arte. Sicut in ſolo fæcundo, plus cultor, quam ipſa per ſe bonitas ſoli efficiet, & in egregijs ſtatuis, plus fuit in manibus, quã in marmore, nam natura materię, ars doctrinæ eſt; hæc fingit, illa fingitur. Nihil ars ſine materia; materiæ etiam ſine arte precium eſt. Ars ſumma, materia optima melior. TVM EXEMPLORVM COPIA. Poſt argumenta ſubiecit Carneades, multa exempla ſumpta ex hiſtorijs, quarum ſummam cognitionem habebat; quibus probaret nullam artem eſſe dicendi: quod nullus unquam artis ſcriptor diſertus fuerit, & plurimi ſine arte fuerint eloquentiſsimi: vt hoc ſit argumentum ab euentis. Nullus ſcriptor artis Rhetoricę, fuit vmquam diſertus, plurimi verò, qui nullam artem didicerunt, eloquẽtiſsimi fuerunt: ergo, vel nulla eſt ars dicendi, uel ſi eſt, nihil prodeſt. VSQVE A' CORACE. Quintilianus libro 3, cap. 1. ſic ait; Nã in primis, poſt eos, quos poetæ tradiderunt, mouiſſe aliqua circa Rhetoricem Empedocles dicitur. Artium autem ſcriptores antiquiſsimi Corax, & Tyſias Siculi, quos inſecutus eſt uir eiuſdem inſulæ Gorgias Leontinus, Empedoclis (ut traditur) diſcipulus. Cicero in Bruto. Itaque ait Ariſt. cum ſublatis in Sicilia Tirannis, res priuatæ longo interuallo iudicijs repeterentur, tum primum, quòd eſſet acuta illa gens, & controuerſa natura, artem & præcepta Siculos Coracem, & Tiſiam conſcripſiſſe in 3. de Orat. Quare Coracem iſtum ueſtrũ patiamur, nos quidem pullos ſuos excludere in nido, qui euolent clamatores odioſi, ac moleſti. nam poſt mortem Hieronis, Corax inſtituit mercede artem Rhetoricam docere; cum hoc, Tyſias adoleſcẽs,

pactus

pactus eſt mercedem ſe illi traditurum, cum artem didiciſſet: ſed cũ nihil tandem mercedis ſolueret, à Corace fuit in iudicium vocatus, ibi Tyſias petiuit, qui finis eſſet artis Rhetoricæ, cui Corax reſpondit, eſſe perſuadere dicendo. Age ergo (inquit Tyſias) ſi perſuaſero iudicibus, me nihil debere tibi, nihil reddam, quia cauſam vici, ſi verò non perſuaſero, nihil reddam, quia nondum artem didici. Cui ſtatim Corax, imo verò ſi perſuaſeris, reddes, quia artem didiciſti, ſi non perſuaſeris reddes, quia te iudices condemnabunt. Hæc cum iudices audiuiſſent, exclamarunt, κακῦ κόρακος, κακὸν ᾠόν idest, Mali corui malum ouum. eadem ferè Gellius libro 5. cap. 10. de protagora Sophiſta, & de eius diſcipulo Euathlo. ELOQVENTISSIMOS AVTEM HOMINES. Hoc minime verum eſt, ſed tantum probabile, quia plerique artem diſsimulant, ſicut etiam ipſe Antonius. ME IN ILLO NVMERO Modeſtiſsimè de ſe loquitur. Ponitur autem ſæpe numerus pro ſocietate, atque honore, vt Cicero II. Philip. quo numero fuiſti, qua exiſtimatione, quo gradu dignitatis? Vnde eſſe in aliquo numero dicimus, & in nullo eſſe numero 3. de Orat. Sine hac ſummus orator eſſe in numero nullo poteſt: de Claris Orat. Pompeius aliquem numerum obtinebat. QVORVM EGO ILLI Seiunctio eſt, ſiue diſtinctio, qua more Socratico negat, ſe quicquam didiciſſe, aut ſcire. ARTEM AVTEM NEGABAT Carneades, vt probaret nullam artem eſſe dicendi, argumentum duxit à definitione, quod omnium eſt firmiſsimum, quando vera eſt definitio. Ponit igitur hanc artis definitionem Carneades: ars eſt, quæ cognitis, penituſque perſpectis, & in vnum exitum ſpectantibus & nunquam fallentibus rebus, continetur: quæ vera eſt definitio, ſequitur, ut quæcumque ſunt dubia & incerta, nequaquam arte contineãtur. ſed quæcunque tractantur ab oratoribus, dubia ſunt & incerta ergo non eorum ars ulla eſt. Quod autem incerta ſint, quę tractantur ab oratoribus, duabus rationibus probatur. Prima quòd ab ijs dicũtur, qui non ea planè tenent. Secunda, quòd audiuntur ab eis, quibus non eſt ſcientia tradenda, ſed exigui temporis, aut falſa aut obſcura opinio.

Artem verò negabat eſſe vllam, niſi quę cognitis penituſque perſpectis, & in vnum exitum ſpectantibus, & numquam fallentibus rebus contineretur.

Hæc autem omnia, quæ tractarentur ab oratoribus, dubia eſſe, incerta: cùm & dicerentur ab ijs, qui

qui ea omnia non planè tenerent, & audirentur ab ijs, quibus non ſcientia eſſet tradenda, ſed exigui temporis aut falſa, aut certè, obſcura opinio.

ARTEM AVTEM Hæc definitio Carneadis, nequaquam omnibus artibus conuenit, Itaque repudianda eſt, Nam ſi vera eſſet, ſequeretur, vt eadem eſſet ars, & ſcientia propriè dicta. Verum hæc inter ſe differunt, vt Ethicorum VI. docet Ariſt. nam Scientia eorum eſt, quæ aliter ſe habere non poſſunt, & numquam fallunt. Ars autem eſt recta ratio rerum faciendarum. Quidam artem ἀπὸ τῆς ἀρετῆς id eſt à virtute dictam putant, quòd virtus ſit in faciendo, ſicuti reliquæ virtutes ſunt in agendo. Naſcitur autem ab experientia, ſicut ait Polus in Gorgia Platonis; nam experientia facit artem, in experientia caſum. ſed in eo differt, quod experientia ſingularium eſt, ars verò generalium. Diomedes Grammaticus artem, ita dēfinit: ars eſt vniuſcuiuſque rei ſcientia, vſu, vel traditione vel ratione percepta, tendens ad vſum aliquem vitæ neceſſarium. Cicero in Academicis ait, ars ex multis animi perceptionibus conſtat. Eſt igitur ars communè vocabulum ad ea omnia, quæ via quadam, & ratione fiunt. Sed ſunt aliquæ certiores artes, & Geometria, Arithmetica, aliquę minus certæ, vt Medicina, Rhetorica, quæ δυνάμεις dicuntur ab Ariſtotele; & à Cicerone facultates. Sunt etiam quæ liberales & ingenuæ dicuntur; quæ ad excolendum animum pertinent, aliæ, quæ vocantur ſordidæ. vt Cicero I. de Off. Opifices omnes in ſordida arte verſantur. Quamuis igitur Rhetorica non ſit tam certa, quàm ſunt Mathematicæ diſciplinæ, nihilo tamen minus ars dicenda eſt. OBSCVRA. OPINIO. Nam opinio nihil habet certi ſed vacillat ſic modo uera, modo falſa eſt, ideo differt à ſcientia quę ſtabilis, & ſemper vera eſt, aliud eſt ergo ſcire, aliud opinari.

Quid multa? ſic mihi tum perſuadere videbatur, neque artificium vllum eſſe dicendi, neque quemquam poſſe, niſi qui illa, quæ à doctiſsimis hominibus in philoſophia dicerentut, cognoſſet, aut callidè, aut copioſè dicere.

Quibus dicere Carneades ſolebat, ingenium tuum, Craſſe, vehementer admirans, me ſibi perfacilem

lem in audiendo, te perpugnacem in diſputando eſſe uiſum.

QVID MVLTA? Longioris ſermonis abruptio, vt ad concluſionem ueniat. Duo ſunt autem, quę Carneadem ſibi, ait Antonius, perſuaſiſſe. Primò nullum artificium eſſe dicendi, deinde neminem ſine Philoſophiæ cognitione poſſe callidè, aut copioſè dicere. Quorum alterum apertè falſum eſt, alterum non omnino verum. Falſum eſt enim, nullum artificium eſſe dicendi; cum Ariſtoteles initio primi libri Rhetoricorum, multis argumentis probet Rhetoricam eſſe artem, & Quintilianus libro 2. cap. 17. longè plura colligat argumenta, quibus tandem còncludit omnino eſſe artem, quod omnes paſſim etiam confitentur. Cum enim aliquis accuratius verba facit, eum aiunt artificioſè dicere. Neque omninò uerum eſt, ſine Philoſophia neminem poſſe callidè, aut copioſe dicere. Nam Demades Athenis fuit Rhetor inſignis, & nobilis orator, tàm uehemens in dicendo, ut ſępè Demoſtheni ipſi anteponeretur: & tamen non modo Philoſophię erat ignarus, ſed etiam expers omnis literaturę politioris, quippe qui piſcatoris filius à remo (ſicut aiunt) ad forum uenerit. Hyperidem etiā & Æſchinem callidos, & copióſos oratores Philoſophię ignaros fuiſſe, proditum eſt. QVIBVS DICERE. Carneades Antoniū cum Craſſo comparans, alterum in audiendo facilem alterum in diſputando pugnacem, eſſe dicebat. Nam Antonius libentisſimè audiebat, & quia ſcientiam & artem disſimulabat, ideo nihil Philoſophis contradicebat; neque ſine cauſa facilis erat in audiendo, quoniam hac potisſimum ratione plurima diſcuntur. Itaque Socrates Demonicum hortatur, ut tempus ſuum conterat, in libenter audiendo, & Ariſtoteles auditum eſſe doctrinarum ſenſum ait. Craſſus uerò qui doctisſimus erat, contra Philoſophos argutè copioſeque diſputabat. Itaque perpugnacem eum uocabat, non eum uituperans ſed eius ingenium admirans. Aliud eſt enim eſſe pugnacem, aliud pertinacem: nam pugnaces laudantur, quia ueritatem, quęrunt, neque aduerſario facilè cedunt, niſi cum ueritas apparet: Pertinaces uituperantur, quia etiam contra veritatem pugnant; ut ſententiam ſuam tueantur.

Tumque ego hac eadem opinione adductus, ſcripſi etiam illud quodam in libello, qui me imprudente, & inuito excidit, & peruenit in manus hominum, Diſertos me cognoſſe nōnullos, eloquētem adhuc neminem: quòd eum ſtatuebam diſertum,

qui poſſet ſatis acutè, atque dilucidè apud mediocreis homines, ex communi quadam hominum opinione dicere: eloquentem verò, qui mirabiliùs, & magnificentius augere poſset, atque ornare quæ vellet, omneisq́ue omnium rerum, quæ ad dicendum pertinerent, fonteis animo ac memoria contineret.

TVMQVE EGO. Antonius quamuis eſſet magnus orator, nullas tamen orationes ſuas ſcribebat. Et cũ aliquando interrogatus fuiſſet, cur ita faceret, reſpondit, ut ſi quid à me dictum alias fuerit, quod præſenti cauſæ noceat, id à me dictum fuiſſe, negare ſecure poſsim: Auctor eſt Val. Max. lib. 7. cap. 3. Scripſit tamen libellum quendam, quem ait hoc loco ſibi imprudenti, & inuito excidiſſe, & in hominum manus perueniſſe, quia non eum ideo ſcripſerat, ut in lucem emitteret. Dicebat igitur in eo libello M. Antonius ſe cognouiſſe multos diſertos homines, nullum autem eloquentem, quia magnam differentiam faciebat inter diſertum, & eloquentem. Nam diſertus ille dicitur, qui eſt acutus & dilucidus in dicendo, & ex communi hominum opinione copioſè apud mediocres homines verba facit, eloquens autem qui mirabiliter, & magnificè auget, atque ornat in dicendo quæcunque vult, & omnium rerum, quę ad dicendum pertinent, ſcientiã habet. Vt ergo quis diſertus dici poſsit, ſatis eſt, ut acutè, & dilucidè dicat: vt autem eloquens appelletur & magna dicendi ui, & plurimarũ rerum ſcientia opus eſt. FONTES. Metaphora qua frequenter vtitur Cicero: vt fontes pro ſcientijs ponat, & viri docti etiã fontes dicuntur. vnde prouerbium, Fontes ipſi ſitiunt, animo verò, ac memoria rerum fontes continentur. Sunt enim ſcientiæ, animi habitus in memoria, tanquam in ſubiecto quodam inhærentes. Vnde memoria rerum omnium theſaurus appellatur.

Id ſi eſt difficile nobis, qui antè, quàm ad diſcendum ingreſsi ſumus, obruimur ambitione, & foro: ſit tamen in re poſitum, atque natura.

Ego enim, quantum auguror coniectura, quantaq́; ingenia in noſtris hominibus eſſe uideo, non deſpero, fore aliquem aliquando, qui & ſtudio acrio

re, quàm nos ſumus, atque fuimus, & otio ac facultate diſcendi maiore, ac maturiore, & labore atque induſtria ſuperiore, cùm ſe ad audiendũ, ſcribendumque maiore opera dediderit, exſiſtat talis orator, qualem quærimus: qui iure non ſolùm diſertus: ſed etiam eloquens dici poſsit: qui tamen, mea ſentẽtià, aut hic eſt iam Craſſus, aut, ſi quis pari fuerit ingenio, pluraque, quàm hic, & audierit, & lectitarit, & ſcripſerit, paulum huic aliud poterit addere.

ID SI EST DIFFICILE. Anthyphora per diſtinctionẽ. Nam oratoria facultas alia eſt in homine, alia in re, atque natura. In homine enim nunquam tota, atque perfecta reperitur, præſertim ſi fuerit occupatus, vt Romani, qui ſtatim ab ineunte adoleſcentia, & ambitione in petendis magiſtratibus, & foro in agendis cauſis obruebantur, in re autem atque natura, eſt perfectæ eloquentiæ idæa. De qua in principio Oratoris ad Brutum multa verba facit Cicero. EGO ENIM QVANTVM AVGVROR. Videtur hæc Cicero ſub Antonij perſona de ſe dicere, qui re uera & Antonium & Craſſum longè ſuperauit. Ait igitur Antonius, ſe non diffidere, quin Romæ ſit aliquando futurus orator eloquens, qualem ipſe quærebat, quoniã magna in Romanis ingenia eſſe videbat. Verũ preter ingeniũ, tria docet eſſe neceſſaria, ut q̃s eloquẽtia cæteris antecellat. Primò, ut acriore ſtudio, quã cæteri utatur: Deinde ut ociũ ac diſcẽdi facultatẽ maiorem ac maturiorem habeat: Tum ut labore, & induſtria ſuperiore nitatur: Hæc ſi quis habuerit, tum oportet, ut in tribus rebus diu laboret, & ſe exerceat, nempè in audiendo, legendo, ſcribendo: nã hæc tria ſunt eloquentię, quaſi fundamenta ſine quibus nulla penè eſſe poteſt eloquentia. QVI TAMEN MEA. Craſſum meritò cæteris anteponit, ſed oſtendit tamen, non eſſe perfectè eloquentem, quia putat alium eloquentiorem fieri poſſe, nempe qui pari fuerit ingenio; neque enim ingenio quenquam Craſſo anteponit, ne eius animum offendat: in reliquis autem rebus, fieri poſſe oſtendit, ut aliquis Craſſum ſuperet, vt qui pari ingenio plura audierit, legerit, ſcripſerit. Quod ſine dubitatione Cicero fecit: qui multo plura, quàm Craſſus audiuit; ut in Bruto de ſe ipſe prædicat, & plura legit, & longe plura

ſcripſit.

ſcripſit; non igitur mirum, ſi etiam longe fuit eloquentior.

Hoc loco Sulpicius, Inſperanti mihi, inquit, & Cottæ, ſed ualde optanti utrique noſtrum, cecidit. ut in iſtum ſermonem, Craſſe, delaberemini: Nobis enim huc uenientibus iucundum ſatis fore videbatur, ſi cùm uos de rebus alijs loqueremini, tamen nos aliquid ex ſermone veſtro memoria dignum excipere poſſemus. vt verò penitus in eam ipſam totius huius uel ſtudij, vel artificij, uel facultatis diſputationem pene intimam peruenire tis vix optandum nobis videbatur.

HOC LOCO SVLPITIVS. Hactenus de tota oratoria facultate diſputatum eſt; & concluſum magnum quiddam, atq; admirabile eſſe eloquentiam. Sic enim excitantur audientes, cum de re magna, atq; admirabili verba fieri intelligunt. Itaq; Sulpitius adoleſcens, deinceps ſcire cupit vtrum ars ſit Rhetorica, & quomodo poſsit eam adipiſci. INSPERANTI MIHI. Magna, & inter ſpem, & cupiditatem differentia. Nam multa cupimus, quæ minimè ſperamus, vt cupimus eſſe principes, reges, eloquentes, neq; tamen ſperamus nos tales futuros, niſi fortè rerum earum facultas oſtendatur: nam tantum ea, quæ fieri haud difficulter poſſunt, ſperamus, plerumque verò etiam illa, quæ fieri non poſſunt, cupimus, Sulpitius igitur & Cotta, cupiebant quidem, vt L. Craſſus, & M. Antonius de eloquentia diſputarent: vt aliquid ab eis ediſcerent, ſed quia non ſoliti erant in eiuſmodi ſermonibus uerſari, ideo non ſperabant, ſed quę præter ſpem eueniunt, ſi bona fuerint, ea ſolent eſſe iucundiora. DELABEREMINI. Metaphora ſumpta ab iter facientibus in lubrico loco, qui ſæpè delabuntur. Hoc autem ſæpè etiam in malam partem capitur, vt in turpitudinem delabi. NOBIS ENIM. Notanda eſt adoleſcentium Romanorum diligentia, qui maiorum & doctiorum ſermonibus intereſſe uolebant, ut aliquid memoria dignū exciperent. Nam Val. Max. lib. 2. ſcribit Romæ ſeniores ita coli ſolitos ab adoleſcentibus, quaſi communes omnium patres eſſent, & ſolitos adoleſcẽtes patribus, id eſt Senatoribus, frequenter adeſſe, vt eos in Senatum deducerent, & affixos ualuis expectare, donec Senatus dimitteretur, vt eoſdem iterum domum reducerent, & parco ac modeſto ſermo-

ne, præſentibus ſenioribus vti. Maiores autem ſemper iuuenes ad egregia facta adhortabantur: inde oriebantur, ait idem Val. Max. Camilli, Scipiones, Fabricij, Marcelli, Fabij. Nihil enim efficacius eſt, ad excellenté virtuté acquirendam, quàm præſtantes viros imitari, eis adeſſe, eos audire, eorum præcepta memoriæ mandare, neque putare quicquam à ſe alienum eſſe, quod ad augendam doctriná, aliquo modo pertinere videatur. VEL STVDII. Benè decorum ſeruat, cum adoleſcentem Sulpitium nó definientem, ſed dubitantem facit, vtrú Rhetorica ſtudium ſit, an artificium, an facultas hoc eſt, vtrum ab exercitatione, an ab arte, an à natura proficiſcatur. PENE INTIMAM. Sunt enim aliquæ diſputationes, quæ rem leuiter attingunt, aliæ, quæ benè diſcutiunt, & naturam inueſtigant: quæ intimę dicuntur.

Ego enim, qui ab ineunte ætate incenſus eſſem ſtudio vtriuſque veſtrum, Craſſi verò etiam amore, cùm ab eo nuſquam diſcederem, verbum ex eo numquam elicere potui, de vi acratione dicendi, cùm & per meipſum egiſſem, & per Druſum ſæpe tentaſſem: quo in genere, tu Antoni, (verè loquar) nunquam mihi percontanti, aut quærenti aliquid, defuiſti, & perſępe me, quæ ſoleres in dicendo obſeruare, docuiſti.

Nunc, quoniam vterque veſtrùm patefecit earum rerum ipſarum aditum, quas quærimus, & quoniam princeps Craſſus eius ſermonis ordiendi fuit, date nobis hanc veniá, vt ea, quæ ſentitis de omni genere dicendi, ſubtiliter perſequamini, Quod quidem ſi erit à vobis impetratum, magnam habeo, Craſſe, huic palæſtræ, & Tuſculano tuo gratiam, & longè Academiæ illi, ac Lycio tuum hoc ſuburbanum gymnaſiú anteponam.

EGO ENIM Declarat quomodo ſibi inſperanti acciderit hæc diſputatio, quoniam alias nunquam adducere Craſſum potuerat, vt aliquid

aliquid de Rhetorica diſputaret. INCENSVS STVDIO Quia dignitatibus, & gloria florentes videbat, ideo ſtudio eorum incendebatur: & eos æmulabatur, qui magnus eſt ad virtutem ſtimulus. CVM AB EO NVSQVAM DISCEDEREM. Boni ſe adoleſcentis officio functum oſtendit. Nam Cicero primo de Off. ita inquit; Eſt igitur adoleſcentis, maiores natu vereri ex hiſque eligere optimos, & probatiſsimos, quorum conſilio, atque auctoritate nitatur. ET PER DRVSVM Erat enim Sulpitius Druſi maximè familiaris, vt ſupra dictum eſt. Sæpe autem per amicos impetramus id, quod per nos ipſos non poſſumus. QVO IN GENERE TV ANTONI. Facilitatem Antonij commendat, quam etiam ſupra Carneades commendauit. Nam hæc in principe viro, maxima virtus eſt, cum ſe comem & facilem rogantibus præbet. Vnde Cicero pro Lege Man. Pompeium etiam à facilitate, magnoperè laudat. OBSERVARE. Hoc dicit, quoniam Antonius non artem, ſed obſeruationem putabat eſſe Rhetoricam. NVNC QVONIAM. Honeſta, & verecunda petitio, quæ repudiari non poteſt, cũ extent petitionis duæ cauſæ. Prima quod vterque hoc eſt, & Craſſus, & Antonius, ſua ſponte diſputare cæperint. Altera, quod Craſſus, qui nihil antea de huiuſmodi rebus diſputare ſolebat, princeps ordiendi ſermonis fuerit. Debet igitur petenti Sulpicio concedere, & de omni ratione dicendi ſententiam ſuam proferre. QVOD QVIDEM Iucunda Concluſio, qua Craſſum & Antonium ita laudat, vt eos Academicis omnibus, & Peripateticis philoſophis, anteponat. HVIC PALESTRÆ. Locum intelligit in Tuſculano Craſſi, vbi ſe exercere conſueuerant. Nam Paleſtra non tantũ ipſum luctæ certamen, ſed etiam locum, vbi lucta contenditur, aut ad luctam exercentur, ſignificat. ACADEMIÆ ILLI, AC LYCIO Hæc erant Athenis duo nobiliſsima gymnaſia, vnde Academici, & Peripatetici Philoſophi nomina traxerũt, ſic enim in Acad. ait Cicero qui erant cum Ariſtotele, Peripateci dicti ſunt, quia diſputabant inambulantes in Lycio. Illi autem qui Platonis inſtituto, in Accademia, quod eſt Alterum Gymnaſium, cætus erant, & ſermones habere ſoliti, ex loci vocabulo nomen habuerunt. Atque in I. de Diuinatione Q. Cicero, citat hæc carmina ex ſecundo Conſulatu, quæ ſcripſerat M. Cicero.

Hæc adeò penitus cura videre ſagaci.
Ocia, qui ſtudijs læti tenuere decoris
Inque Academia vmbrifera, nitidoque Lyceo
Fuderunt claras fœcundi pectoris artes.

In oratore ad Brutum de ſe ſic ait Cicero; Fateor me oratorem, non

ex Rhetorum officinis, ſed ex Academiæ ſpatijs extitiſſe. Nam Cicero magis Academicis, quam Peripateticis deditus erat. Socrates ante Platonem & Ariſtotelem, in Lycio verſari ac diſputare conſueuerat, ſicut oſtendit Plato in Euthyphrone. Erat autem in Lycio Apollinis Muſarum præſidis templum, vnde Apollo Lycius dictus fuit; cuius meminit Callimachus & Thebis Lycium Gymnaſium in quo Lycius Apollo coleretur, fuiſſe oſtendit Sophocles, in Oedipode Tyranno. SVBVRBANVM. GYMNASIVM. Vrbi vicinum Atqui Tuſculanum viginti millia paſſuum ab vrbe aberat; ſed tanta erat hominum Romæ multitudo, vt loca finitima vbique complerentur, quo fiebat, vt etiam, quæ aberant viginti, aut triginta millia paſſuũ, ſuburbana dicerentur. Quin in Verr. act. III. Cicero prouinciam Siciliam ſuburbanam appellat. Populo Ro. iucunda eſt, inquit, ſuburbanitas huiuſce prouinciæ. Quamuis enim ambitus murorum tredecim tantum milliaria complecteretur, tamen ædificia vrbis Romanæ paulo amplius, quàm ſeptuaginta millia paſſuum occupabant. Quo ſi quis altitudinem tectorum addat; ait Plinius, dignam, profecto æſtimationem concipiat, fateaturque nullius vrbis magnitudinem in toto orbe potuiſſe ei comparari. Non igitur mirum ſi Sulpitius hoc loco Tuſcũlanum Craſſi, ſuburbabum gymnaſium appellat. Fuerunt autem Athenis tria Gymnaſia maximè celebrata, Lycium, Academia, Cynoſarges; è quibus duo, hoc eſt Lycium & Academia, fuerunt à Philoſophis occupata. Tertium autem, hoc eſt Cynoſarges fuit, in quo ſe ſe iuuenes ludis & certaminibus exercebāt ſed initio nothi tātũ, & ſpurij gymnaſiũ hoc tenuerunt. Vndè cũ ingenui adoleſcentes aliquē tāquā ſpuriũ reijciebant, dicere ſolebant, ἐς κυνόσαργες, ideſt ad Cynoſarges. Plutarchus in Themiſtoclis vita meminit huius gymnaſij. Erat autem extra portas Athenienſium: & erat Herculi conſecratum; eò ſe ſpurij adoleſcentes conferebant exercitationis gratia, quoniam etiam ipſe Deus Hercules ſpurius fuiſſet. Verum Themiſtocles adoleſcens cũ ſpurius eſſet, & in eo gymnaſio exerceretur arte quadam & blanditijs pelliciebat ingenuos ac nobiles adoleſcentes, & ſecum ad Cynoſarges ducebat, vt paulatim ſpuriorum & legitimorum diſcrimen tolleret. Ad horum Gymnaſiorum ſimilitudinem Romani in ſuis villis loca ædificabant, quæ Gymnaſia appellabant, quamuis etiā pro balneis aliquādo gymnaſia capiātur. vt Cælius notauit, & Vitruuius docet in Balneis eſſe facienda gymnaſia, in quibus Rhetores, & Philoſophi ſe exercere poſſint.

Tum ille, Immò verò, inquit, Sulpici, rogemus Antonium, qui & poteſt facere id, quod requiris, &

con-

conſueuit, vt te audio dicere. Nam me quidem ſemper à genere hoc toto ſermonis refugiſſe, & tibi cupienti atque inſtanti ſæpiſsimè negaſſe, tute paullo ante dixiſti. quod ego non ſuperbia, neque inhumanitatè faciebam, neque quò tuo ſtudio rectisſimo, atque optimo non obſequi vellem, præſertim cùm te vnum ex omnibus ad dicendum maximè natum, aptumque cognoſſem: ſed mehercule iſtius diſputationis inſolentia, atque earum rerum, quę quaſi traduntur in arte, inſcitia.

TVM ILLE, IMO VERO Craſſum humaniter quidem Sulpitio reſpondentem inducit, ſed, tamen onus dicendi à ſe in Antonium reijcientem: & hoc non ſine cauſa ſe facere Craſſus oſtendit, quòd Antonius & poſſet, & ſoleret, de Rhetorica dicere: ſe verò excuſat, quod neque poſſet, neque ſoleret. QVOD EGO NON SVPERBIA. Cauſam aperit, cur cupienti, atque inſtanti Sulpitio ſæpe negarit; neque enim ſuperbia, aut inhumanitate, aut quia ſtudio nollet obſequi ſe negaſſe ait, ſed inſolentia, & inſcitia, qui enim non ſolet aliquid facere, aut neſcit, excuſatione dignus eſt. Laudat tamen interim Sulpitium, & eius ſtudium: nam ſtudium eius rectisſimum, atque optimum appellat. Sulpitium verò ad dicendum maximè natum, aptumque eſſe affirmat. NON SVPERBIA Dicitur enim ſuperbus ille, qui, quod ait Euripides, nec amicis, nec toti ciuitati ſe familiarem præbet, & qui elato ſupra cæteros animo eſt, quales Campani olim fuiſſe dicuntur. Vnde Cic. contra Rullum, ait ſuperbiam natam eſſe Capuæ, è Campanorum faſtidio, & paulo poſt Capuam ſuperbiæ domicilium, & ſedes appellat: hinc ſuperbia Campana prouerbio celebratur. Qui autem ſuperbi ſunt, iidem etiam inhumani, atque aliorum contemptores eſſe ſolent. Itaque hæc tria Craſſus coniunxit.

Tum Cotta, quoniam id, quod difficillimum nobis videbatur, vt omnino de his rebus, Craſſe, loquerere,

rere, aſſecuti ſumus: de reliquo iam noſtra culpa fuerit, ſi te, niſi omnia, quæ percunctati erimus, explicari, dimiſerimus. De his, credo rebus, inquit Craſsus, vt in conditionibus ſcribi ſolet quibus ſciam, poteroque.

TVM COTTA Magis vrget Craſſum Cotta, quàm Sulpitius, quoniam aditus iam à Sulpitio patefactus fuerat. Nam qui quod difficilius eſt præſtat, id etiam quod eſt minus difficile præſtabit. Craſſus autem ſua ſponte quod difficilium videbatur, præſtitit, vt de ratione dicendi loqueretur. Itaque facilius eſt, vt inſtitutam diſputationem perſequatur. DE RELIQVO Idem eſt ac ſi diceret, quod ſupereſt; vel de cætero, ſic enim ſæpe loquitur, Cicero. SI TE DIMISERIMVS Metaphora à captiuis ſumpta. Nam Craſſum quaſi captum tenebant, quod loqui de Rhetorica cæpiſſet: nolunt igitur eũ dimittere, niſi omnia, quæ percunctati fuerint, explicuerit. Talis enim videbatur Craſſus, qualem Proteum eſſe dicit apud Virgilium Cyrene IIII. Georg.

Hic tibi nate prius vinclis capiendus, vt omnem,
Expediat morbi cauſam, euentuſque ſecundet,
Nam ſine vi, non vlla dabit præcepta, neque illum
O rando flectes, vim duram, & vincula capto.
Tende.

DE HIS CREDO REBVS. Craſſus ne ſuperbus, aut inhumanus videatur, ſe dicturum pollicetur, tamen vtitur excuſatione. quòd non multa ſciat, neque multa poſsit dicere, quare hanc conditionem proponit, de quibus ſciam poteroque. Nam in ſtipulationibus iuris, ſæpe conditiones interponuntur, quę non ſinunt ſtipulationes eſſe ratas, niſi obſeruentur, ut ſi ita ſtipulatus fuero, centum tibi aureos dabo, ſi intra Calendas Aprilis domum meam abſolueris, non poteris à me centum repetere; niſi eo tempore domus abſoluta fueait. Vnde dicunt conditionem eſſe caſum futuri temporis, vnde pendet nis obligationis. Hinc apud latinos accipere conditionem, eſt approbare pactum, & promiſsionem, ſub conditione factam, & condiditionibus ſtare, ideſt, pacta ſeruare: contra à conditionibus fugere, nolle promiſſa præſtare. Quoniam igitur Cotta nihil exceperat, ſed dixerat, omnia, quæ percunctanti erimus, ideo Craſſus conditionem hanc interponit, de quibus ſciam poteroque.

Tum

Tum ille, Namque, quod tu non poteris, aut neſcies, quis noſtrum tam impudens eſt, qui ſe ſcire, aut poſſe poſtulet? Iam verò, iſta conditione, dum mihi liceat negare poſſe, quod non potero, & fateri neſcire quod neſciam, licet, inquit Craſſus, veſtro arbitratu percunctemini.

TVM ILLE. Cotta tantopere Craſſum ſuſpiciebat, vt exiſtimaret, quæ ille neſciret aut non poſſet, neminem alium ſcire, aut poſſe. Itaque impudentem illum putat, qui ſe Craſſo aliqua in re velit anteponere. Eſt igitur argumentum à comparatione maioris. IAM VERO ISTA. Iam deſcendit Craſſus ad illorum adoleſcentium voluntatem, & ſe facilem in reſpondendo fore pollicetur; tamen Sophiſtarum, & Græcorum arrogantiam fugit: qui ſe ad omnia paratos profitebantur, quorum princeps Giorgias omnia ſe ſcire, palàm prædicabat. quem facetè Socrates apud Platonem irridet in eo Dialogo, qui Gorgias inſcribitur. Vult igitur Craſſus aperte fateri, ſe neſcire, quòd neſciat; quia nemo eſt, qui omnia ſcire poſsit.

Atque, inquit Sulpitius, hoc primùm ex te, de quo modò Antonius poſuit, quid ſentias, quærimus: exiſtimèsne artem aliquam eſſe dicendi.

Quid? mihi nunc uos, inquit Craſſus, tanquam alicui Græculo otioſo & loquaci, & fortaſſe docto, atque erudito, quæſtiunculam, de qua meo arbitratu loquar, ponitis? Quando enim me iſta curaſſe, aut cogitaſſe arbitramini, & non ſemper iriſiſſe potius eorum hominum imprudentiam, qui cùm in ſchola aſſediſſent, ex magna hominum frequentia dicere iuberent, ſi quis quid quęreret.

ATQVE INQVIT SVLPITIVS. Ordine procedit diſputatio. Nam hactenus de toto genere eloquentiæ, & de eius uarietate, & copia diſputatum eſt: nunc quæſtiones diſputandæ proponuntur.

nuntur. Ac primo utrum ars ſit Rhetorica, de qua re dubitarat Antonius. Sunt enim tres hæ quæſtiones in omni ferè diſputatione, an ſit, quid ſit, & quale ſit. QVID MIHI NVNC VOS. Apodioxis, ideſt Reiectio, videtur uelle ſermonem reijcere, ne Græculos ocioſos, & loquaces imitetur. Atque hoc facit, ut etiam Sceuolæ quaſi cogentis accedat auctoritas. GRÆCVLO. Quia fuit hęc Græcorum conſuetudo, ſicut ipſe exponit. vſus eſt autem diminutiuo contemplationis gratia, quamuis enim multi Græci docti, atque eruditi eſſent, tamen negocijs uacui, & loquaces erant. Itaque vehementer eos Iuuenalis inſectatur Satira 3. & Cicero pro L. Flacco. Horatius tamen in Arte poetica, de Græcis ſic ait;

Graijs ingenium, graijs dedit ore rotundo
Muſa loqui præter laudem nullius auaris.

Ouidius eloquentiã Gręcis attribuit, fortitudinẽ adimit. ſic enim ait;

Græcia facundum, ſed male forte genus.

Male verò audiebant Græci apud Romanos, non ſolum quòd loquaces eſſent, ſed etiam effœminati, delicijs affluentes, & lubrica fide. Vnde gręcari, & pergręcari, & gręco more bibere, & gręca fides. QVANDO ENIM ME ISTA. Non ſe operam Græcorum diſputationibus dediſſe oſtendit, ſed etiam potius irriſiſſe, quòd nimis arrogantes eſſe uiderentur. Vnde notat eorum impudentiam, qui omnia profiterentur. SI QVIS QVID QVÆRERET. Hi dicebantur poſcere quæſtionem, qui ſe paratos ad omnia dicebant, qui uerò quærebant ab eis aliquid, dicebãtur ponere quaſtionem. Extat elegans locus apud Ciceronem de Papyrio Peto, qui cum ad quẽdam Philoſophum Græcum diſputantem veniſſet, atque ille more ſolito, ſi quis quid quæreret, dixiſſet, cænam ſe quærere, dixit, ille Baro, inquit Cicero 9. Epiſtolarum, te putabat quæſiturum, vnum cœlum eſſet, an innumerabilia.

Quod primum ferunt Leontinum feciſſe Gorgiam: qui permagnum quiddam ſuſcipere, ac profiteri videbatur, cùm ſe ad omnia, de quibus quiſque audire vellet, eſſe paratum denunciaret. Poſteà verò vulgò hoc facere cœperunt, hodieque faciunt, vt nulla ſit res, neque tanta, neque tam improuiſa, neque tam noua, de qua ſe non omnia, quæ

quę dici poſſunt, profiteantur eſſe dicturos.

QVOD PRIMVM FERVNT. Gorgias Siculus Leontinus, Empedoclis diſcipulus, & Iſocratis magiſter, primus ab eloquentia maximum nomen ſortitus eſt. Nam ab vniuerſa Græcia in ſummo honore habitus fuit, vt idem Craſſus in 3. de Oratore tradit. Primus enim hic rhetor, omnia ſe ſcire profeſſus eſt. Cicero primo de inuentione ſic ait: nam Gorgias Leontinus antiquiſsimus ferè Rhetor, omnibus de rebus oratorem optimè poſſe dicere, exiſtimauit. POSTEA VERO. Multi poſt Gorgiam idem fecerunt, qui magnum etiam ipſi nomen conſecuti ſunt, vt Protagoras Abderites Prodicus Chius, Traſimachus Chalcedonius, Eleas Hippius, multique alij, quos vbique apud Platonem inſectatur Socrates; & λογοδαιδάλους vocat. HODIEQVE FACIVNT. Plinius Epiſtolarum libro ſecundo, ita ſcribit; Magna Iſæum fama præceſſerat, maior inuentus eſt, ſumma eſt facultas, copia, vbertas dicit ſemper ex tempore, ſed tanquam diu ſcripſerit: Sermo græcus, imò Atticus, præfationes terſæ, graciles, dulces, graues, interdum, & erectæ. poſcit controuerſias plures, electionem auditoribus permittit, ſæpe etiam imparatus. Laudat etiam Euphratem quendam Philoſophum, quòd ad omnia paratus eſſet. Craſsi tempore videntur multi fuiſſe, qui hoc profiterentur. NEQVE TANTA. Tria videntur eſſe, quæ doctos etiam homines à dicendo retrahant.

Primum ſi res magna fuerit, atque ardua, nam rei difficultas animum exterret: vnde Cicero cum eſſet oratorem informaturus. Magnum inquit, opus, & arduum Brute conamur:

Alterum ſi res fuerit improuiſa, pauci enim ſunt, qui ſubito atque ex tempore poſsint dicere: nam Demoſthenes oratorum princeps, nunquam niſi præmeditatus, & paratus ad dicendum veniebat, quem imitabatur etiam Cicero.

Tertium ſi res noua fuerit, de qua nemo adhuc quicquam tractarit. difficile eſt enim de eo dicere, quod nondum rectè nouimus: ſed Græci rhetores, ab harum rerum nulla retrahebantur, ſiue enim res magna, ſiue improuiſa, ſiue noua proponeretur, omnia quæ de illa dici poſſent, ſe profitebantur eſſe dicturos.

Quod ſi te, Cotta, arbitrarer, aut te, Sulpiti, de ijs rebus audire velle, adduxiſſem huc Græcum aliquem, qui nos iſtiuſmodi diſputationibus delectaret: quod ne nunc quidem difficile factu eſt.

Eſt enim apud M. Piſonem, adoleſcentem iam huic ſtudio deditum, ſummo hominem ingenio, noſtrique cupidiſsimum, Peripateticus Staſeas, homo nobis ſanè familiaris, &, vt inter homines peritos conſtare uideo, in illo ſuo genere omniū princeps. Quem tu, inquit, mihi, Mucius, Staſeā, quem Peripateticum narras? gerendus eſt tibi mos adoleſcentibus, Craſſe: qui non Græci alicuius quotidianam loquacitatem ſine vſu, neque ex ſcholis cantilenam requirunt: ſed ex homine omnium ſapientiſsimo, atque eloquentiſsimo, atque ex eo, qui non in libellis, ſed in maximis cauſis, & in hoc domicilio imperij & gloriæ, ſit conſilio, linguaque princeps: cuius veſtigia qui perſequi cupiunt, eius ſententiam ſciſcitantur.

QVOD SI TE COTTA. Sequidem ſtudioſum adoleſcentibus obſequendi oſtendit, verum nolle græcos imitari. cum præſertim multi eſſent Romæ græci, quos audire poterant Cotta, & Sulpitius. GRÆCVM ALIQVEM. Quaſi ex magna multitudine, quæ Romæ abundabat. Vnde Iuuenalis; non poſſum ferre Quirites Græcam vrbem. & in eadem Sat. 3.

Omnia nouit.
Græculus eſuriens in cęlum iuſſeris ibit;

Diſcebant enim græcas literas & viri, & mulieres; & omnes ferè nobiles græcos præceptores domi habebant. APVD M. PISONEM. Piſonum familia Romæ nobiliſsima fuit, quæ à Numa Pompilio originem habuit. Nam Calphurnius Numæ filius fuit (vt ait Feſtus) à quo Calphurnij Piſones: atque hac de cauſa Horatius in arte poetica ſcribens ad duos Piſones, ait;

Vos o Pompilius ſanguis carmen reprehendite.

Inter cæteros emicuit uirtus L. Piſonis, qui frugi fuit appellatus, ob ſingularem integritatem, is cum Trib. pleb. eſſet, primus legem tulit, de reprehendis. Hic autem M. Piſo, de quo Craſſus hoc loco verba facit, inter oratores à Cicerone ponitur, in Bruto, de quo

quo ſic ait: M. Piſo quicquid habuit, habuit ex diſciplina, maxi-
meq; ex omnibus,qui ante fuerũt,græcis doctrinis eruditus fuit,& pau
lò poſt,is laborẽquaſi curſũ foreſẽ diutius nõ tulit, & ꝙ corpore erat
infirmo,& hominũ ineptias ac ſtultitias,quæ deuorãdæ nobis ſunt nõ
ferebat.Aſconius Pedianus,ait M.Ciceronem ad hunc Piſonem,à pa-
tre fuiſſe deductũ,vtrũ ſequeretur,& imitaretur.Vnde Saluſtius in Ci
ceronem ſic ait; an ſcilicet iſtam immoderatam eloquentiam,apud
M. Piſonem, non pudicitiæ iactura perdidiciſti? Fuit etiam L. Piſo
Cæſaris ſocer,& Calphurinæ Cæſaris vxoris pater, Ciceronis inimi
cus,in quem extat adhuc Ciceronis oratio acerbiſſima. Craſſus hoc
loco Piſonem à tribus rebus commendat; primò quod eſſet eloquen-
tiæ ſtudio deditus: Secundò quod eſſet ſummo ingenio: tertio quod
ipſius Craſſi cupidiſſimus eſſet.PERIPATETICVS STA-
SEAS. Fuit hic Neapolitanus, & eximius Philoſophus, qui apud
M.Piſonem,multos annos vixit;vt in V. de Finibus ait Cicero; cuius
hæc ſunt verba. Cenſemus autem te facillimè id explanare poſſe,
quod & Staſeam Neapolitanum, multos annos habueris apud te.
QVEM TV, INQVIT MIHI MVTIVS. Sceuola,
quia videt Craſſum quodammodo tergiuerſari,& diſputationem reij
cere, ſuam interponit auctoritatem, & Staſeam illum,eiuſque doctri
nam,quaſi contemnit: Craſſum autem ſummopere laudat, quo faci-
lius ad dicendum impellat.Nolunt,inquit, Græcum aliquem audire,
ſed te Craſſe, quoniam maxima eſt differentia Nam in Græcis nihil
aliud eſt,quàm quotidiana loquacitas ſine vſu, & in ſcholis cantilena.
In te verò ſumma eſt ſapientia,atque eloquentia. Præterea Græci in
libellis,& angulis principes ſunt,tu in maximis cauſis,& in hoc domi
cilio imperij,& gloriæ prudentia, & dicendi facultate, principem lo-
cum obtines. Hæc igitur eſt Antitheſis ſiue contentio, qua Græcos
contemnit, Craſſum ſuſpicit. EX SCHOLIS CANTI-
LENAM. Sic appellat Scæuola declamationem inanem, quæ
plus habeat oſtentationis, quam ſapientiæ. Poteſt in eos dici,qui non
ſolidam doctrinam habent, neque in bonis auctoribus verſati ſunt
ſed ea frequenter habent in ore, quæ paſſim in ſcholis decantantur.
Vide Eraſmum in prouerbijs. IN LIBELLIS. in quibus de-
clamandi formulas, & progymnaſmata ſcribebant, ſiue locos com-
munes,quos in dicendo ſequerentur. DOMICILIO IMPE-
RII. In hac vrbe,quæ cæteris imperat.Ponit autem Craſſum in ſu-
blimi dignitatis gradu,quod Romæ conſilio, linguaque princeps eſ-
ſet. CVIVS VESTIGIA. Quia te imitari ſtudent, ideo
quid ſentias quærunt.Metaphora ſumpta à venatoribus, qui ferarum
veſtigia ſcrutantur.Vnde veſtigare, & inueſtigare,& veſtigijs inſiſte
re,conſequi veſtigijs,& omnibus veſtigijs indagare.

EQVI-

Equidem te cùm in dicendo ſemper putaui deum, tum verò tibi numquam eloquentiæ maiorem tribui laudem, quàm humanitatis: qua nunc te vti vel maximè decet, neque defugere eam diſputationem, ad quam te duo excellentis ingenij adoleſcentes cupiunt accedere.

Ego verò, inquit, iſtis obſequi ſtudeo, neque grauabor breuiter meo more, quid quaque de re ſentiam, dicere.

EQVIDEM TE CVM IN DICENDO. Duobus quaſi arietibus, expugnare Craſſum contendit: laudat enim eum, & ab eloquentia, & ab humanitate, atque eas inter ſe virtutes comparat, ut in Craſſo æquales eſſe oſtendat, in adhortando autem plurimum ualet ſi laudes eum quem adhortaris. Neq; magis Craſſum laudare potuiſſet ſi voluiſſet, quàm cum ait, te in dicendo ſemper putaui deum, quoniam nihil eſt Deo perfectius. Huiuſmodi vero ſuperlationes frequenter inueniuntur, vt in I I. de Oratore; in quo tu mihi Deus eſſe uideris, ideſt ſummus, & ſingularis. Terent. in Adelphis; apud illum Deum te facio, ideſt ſummis laudibus effero. Ariſtoteles Ethic. 1. hanc virtutem heroicam vocat, quæ ſupra ceteros homines extollit, & Deo ſimilem facit. Vnde Homerus de Hectore dixit; eum non videri natum ab homine, ſed à Deo procreatum. Plato in Menone, Lacedæmoniorum eam fuiſſe conſuetudinem ait, vt quoties aliquem vehementer laudarent, eum diuinum virum eſſe dicerent. Ita Homerus ſuos heroas frequenter appellat θεῷ ἰκέλοι, ideſt Deo ſimiles θεοειδεῖς, ideſt diuina ſpecie, ἰσοθέους, ideſt Deo pares, & Quintilianus libro I. qui ſit omnibus numeris abſolutus, eum vulgo mortalem deum dici ſolitum ſcribit. QVAM HVMANITATIS. Humanitas virtus eſt, quæ ſuperbiæ opponitur, & animi demiſſioni. Quam enim humilitatem vulgo vocant, ea ſemper apud latinos in malam partem capitur. QVA NVNC TE VTI. Nam omnis virtutis laus in actione conſiſtit. Quamuis enim virtutes habitus ſint longo vſu comparati, tamen non ex habitu, ſed exactionibus ſpectantur. Itaque nihil humanitas Craſſo profuiſſet, neque eum laudabilem effeciſſet, niſi ea fuiſſet vſus. NEQVE DEFVGERE. Hoc enim eſſet inhumanum, & ſuperbum. EGO VERO, INQVIT. Tandem precibus victus Craſſus, ſententiam ſuam aperit

ut præ-

vt præſentibus obſequatur. Sed tamen oſtendit ſe breuiter more ſuo, non loquaciter, Græcorum more verba facturum.

Ac primùm illud (quoniam auctoritatem tuam neglige e, Scæuola, fas mihi eſſe non puto) reſpondeo, mihi dicendi aut nullam artem, aut pertenuem videri, ſed omnem eſſe contentionem inter homines doctos in verbi controuerſia poſitam.

AC PRIMVM. Proponit ſententiam ſuam, quàm deinde ſubiectis rationibus confirmat. Hæc eſt autem Craſſi ſententia; Dicendi vel nulla eſt ars, vel pertenuis. Nam ſi ars eſt, ex rebus ſcientia comprehenſis, nulla eſt ars dicendi; quoniam quæ tractantur ab oratore, non ſcientia comprehenſa ſunt; ſi verò ars naſcitur ab obſeruatione, & vſu, poterit ars aliqua eſſe dicendi. IN VERBI CONTROVERSIA. Contendunt enim inter ſe, quid artis nomine debeat intelligi. Nam aliqui nullam eſſe artem volunt, quæ non ex rebus plane cognitis, & ſcientia comprehenſis conſtet. Alij verò tantum ex vſu, & obſeruatione cõſtare artem volunt; qui ſine dubitatione, melius ſentiunt: quoniam ars à ſcientia plurimum differt. De Rhetorica verò, variæ fuerunt ſententiæ: nam aliqui vim tantum eſſe voluerunt quem δύναμιν græci dicunt, alij ſcientiam quidem, ſed non virtutem, aliqui vſum, aliqui artem à ſcientia, & virtute ſeiunctam, alij prauitatem quandam artis, ideſt κακοτεχνίαν nominauerunt, vt Quintilianus ſcribit. Socrates apud Platonem in Gorgia Rhetoricam non artem, ſed peritiam quandam gratię & voluptatis eſſe, uidetur concludere, & quaſi adulatricem eſſe iuſticiæ.

Nam ſi ars ita definitur, vt paullo antè expoſuit Antonius, ex rebus penitus perſpectis, planeque cognitis, atque ab opinionis arbitrio ſeiunctis, ſcientiaque comprehenſis: non mihi videtur ars oratoris eſſe vlla. Sunt enim varia & ad vulgarem, popularemque ſenſum accommodata omnia genera huius forenſis noſtræ dictionis.

Sic

Sin autem ea, quæ obſeruata ſunt, in vſu, ac ratione dicendi, hæc ab omnibus callidis, ac peritis animaduerſa, ac notata, verbis deſignata, generib. illuſtrata, partibus diſtributa ſunt: (id quod fieri potuiſſe video) non intelligo, quamobrem non ſi minus illa ſubtili definitione, at hæc vulgari opinione, ars eſſe videatur.

NAM SI ARS ITA DEFINITVR. Argumentatur ex ſuppoſitione, quoniam hæc non eſt propria artis definitio, ſed potius ſcientiæ. Nam Ariſt. Ethic. VI. definit artem hoc modo: Ars eſt habitus faciendi aliquid, cum recta ratione, & in eis eſt ars, quæ eſſe, & non eſſe poſſunt, & quorum principium eſt in eo, qui facit. Quare neque à neceſsitate, neque à natura, prouenit ars, ſed ab habitu facientis. In iiſdem autem verſatur ars in quibus & fortuna; vnde Agatho poeta dixit.

Namque ars fortunam, fortunaq; diligit artem.

Eſt igitur ars in eis, quæ etiam aliter ſe habere poſſunt. SVNT ENIM VARIA. Si ars eſſet ex rebus ſcientia comprehenſis, Rhetorica non eſſet ars, quia quæ tractantur ab oratore varia ſunt, & ad vulgarem ſenſum accommodata. SIN AVTEM EA QVÆ OBSERVATA. Hæc eſt vera artis deſcriptio, vt ab obſeruatione, & vſu & ratione proficiſcatur. Diligenter autem hoc loco obſeruandum eſt, quinque eſſe neceſſaria, vt ars aliqua conſtituatur. Primò vt ſint aliqui homines callidi ac periti, hoc eſt multum & diu exercitati, quoniam ex multis experientijs naſcitur ars vt Ariſtoteles ſentit. Dicuntur enim callidi, qui in aliqua re longo vſu callum obduxerunt. Secundò oportet, vt illi callidi ac periti viri animaduertant, & notent, quid quiſque egregiè dicat, & cauſam quærant cur alij melius, alij deterius dicant, vt primo Rhet. docet Ariſtoteles. Tertio quæ notata fuerint, iam verbis deſignare opus eſt, vt exordium, narratio, confirmatio, peroratio. Quarto generibus eadem ſunt illuſtranda: ut deliberatiuum, iudiciale, demonſtratiuum. Quinto & ultimo ſingula in partes diſtribuenda, ut quæſtiones, quæ in unoquoque genere reperiuntur, ut conſtitutiones, coniecturalis, definitiua, iuridicialis. Cum igitur in dicendi facultate callidi uiri, ac periti fuerint, qui hæc omnia diligenter perſecuti fuerint, non eſt dubitandum quin ars ſit Rhetorica.

SED

Sed ſiue eſt ars, ſiue artis quædam ſimilitudo, non eſt quidem ea negligenda: uerùm intelligendum eſt, alia quædam ad conſequendam eloquentiam eſſe maiora.

SED SIVE EST ARS. Concludit ſententiam ſuam, ita tamen vt non decidat quæſtionem, utrum Rhetorica ars ſit, nec ne, ſed ut adoleſcentes admoneat, quid ab eis faciendum ſit. Duo ſunt igitur, quæ vult ab adoleſcentibus fieri. Primum vt ea diſcant, quæ à Rhetoribus traduntur. deinde, ut intelligant, ea non eſſe ſatis ad eloquentiam, verum maiora quędam eſſe requirenda. QVÆDAM SIMILITVDO. Quia uidetur artem imitari. fortaſſe autem hoc ab Ariſtotele ſumpſit, qui primo Rhetoricorum, ait, Rhetoricam eſſe quandam ſimilitudinem ciuilis ſcientię. In omni autem arte ſunt res, & uerba, res ſignificantur, verba ſignificant. Res autem aut ſunt genera, aut ſpecies, aut ſingularia: Genus ut animal, Species ut homo. Singulare, ut Cicero. Verba ſunt, quibus hæ res notantur, & pręcepta traduntur. Verum non eſt facile genera, ſpecies, & ſingularia benè diſtrubuere, ſine Dialecticę cognitione: quo fit ut nulla ars ſit, quę Dialectica non indigeat, & ideo uocatur communis ſcientia, quę ad omnium artium principia uiam habet. Illud etiam aduertendum Craſſum non putare eandem eſſe artem Rhetoricam, & eloquentiam. Nam ars Rhetorica pręcepta tantum continet, quæ ad benè dicendum tendunt, eloquentia verò eſt ſapientia copiosè loquens quæ maiora quædam requirit, quàm quæ traduntur in arte.

Tũ Antonius vehementer ſe aſſentiri Craſſo dixit, quòd neq; ita amplecteretur artẽ, ut ij ſolerẽt, q̃ omnem vim dicendi in arte ponerent. neque rurſum eam totam, ſicut plerique philoſophi facerent, repudiaret.

Sed exiſtimo inquit, gratum te his eſſe, Craſſe facturum, ſi iſta expoſueris. quæ putas ad dicendum plus, quàm ipſam artem, poſſe prodeſſe.

Dicam equidem. quoniam inſtitui, petamq; à uobis, inquit, ne has meas ineptias efferatis: quãquã mo

derabor ipſe,ne ut quidam magiſter, atque artifex,ſed quaſi vnus e togatorum numero, atque ex forenſi vſu homo mediocris, neque omnino rudis, videar non ipſe aliquid à me promiſiſſe, ſed fortuitò in ſermonem veſtrum incidiſſe.

TVM ANTONIVS. Cum ſententiam ſuã explicuiſſet Craſſus eam vehementer laudauit Antonius, quia mediam quandam uiã ſecare uidebatur: Nam aliqui putabant in arte totam eſſe facultatem oratoriam, vt Sophiſtæ. aliqui vero nihil arti tribuebant, vt Carneades, & alij nonnulli Philoſophi: Craſſus verò, neque nihil, neque omnia concedit arti, ſed artis præcepta vult illa quidem eſſe utilia, verum eſſe alia, quæ arti præſtent. Itaque rogat Craſſum Antonius, adoleſcentium eorum, qui aderant nomine, ut ea exponat,quę ipſe putet pluſquã artem ad dicẽdum prodeſſe, ea verò quinque ſunt præcipuè,natura, ſtudium & amor,cognitio rerũ, & ſtylus, & declamatio. DICAM EQVIDEM. De eloquentiæ dignitate,& artificio dictum eſt, nunc ex quibus eloquẽtia comparetur aperiendum. Sed initio ſtatim Craſſus δέησιν ideſt deprecatione utitur; vt modeſtior oratio videatur. INEPTIAS. Qui more Grecorum,qui plerunque ſunt inepti,diſputem. Ineptiæ tantum in plurali dicuntur; ut pellantur ergo iſtæ ineptiæ penè aniles. QVAM QVAM. Epanorthoſis,ideſt Correctio, qua oſtendit ſe nolle prorſus ineptum uideri,neque ut artificem, ſed ut hominem Romanum diſputare velle. E TOGATORVM NVMERO. Romanorum,qui toga vtebantur; Virgilius:1.

Romanos rerum dominos,gentemque togatam.

Nam Græci palliati dicti ſunt, quod pallio vterentur. Vnde etiam Palliatæ Comœdiæ, in quibus more Græco,aliquid repræſentaretur; & togatæ more Romano. Heliogaballus Senatus ita contempſit, ut togata mancipia uocaret.

Equidem,cùm peterem magiſtratus,ſolebam in prẽſando dimittere à me Scæuolã, cùm ei ita dicerem,me uelle eſſe ineptum. Id erat petere blandius: quòd niſi ineptè fieret, bene non poſſet fieri.

Hunc autem eſſe vnum hominem ex omnibus, quo præſente ego ineptus eſſe minimè vellem: quem quidem nunc mearum ineptiarum teſtem, & ſpectatorem fortuna conſtituit.

EQVIDEM CVM PETEREM. Val. Max. lib. 4. cap. 5. ſic ait; conſulatum petens L. Craſſus, cum omnium candidatorum more, circum forum ſupplex populo ire cogeretur, nunquam adduci potuit, ut id præſente Q. Sceuola grauiſsimo, & ſapientiſsimo uiro ſocero ſuo faceret. Itaque rogabat eum, vt à ſe dum ineptę rei inſeruiret, diſcederet. IN PREHENSANDO. Nam Candidati in Comitijs ſingulos adibebant, blandè appellabant, manus eorum prehenſabant, ut ſibi ſuffragarentur, rogabant. Itaque Scipio Naſica, cum ruſtici cuiuſdam manum apprehendiſſet, & cum ioci gratia interrogaſſet, num manibus ſolitus eſſet ambulare, repullam paſſus eſt; quòd ea uox à circumſtantibus audita fuit. HVNC ESSE VNVM. Quanti Sceuolam faciat oſtendit, quod magis eum vnum obſeruaret, quàm cæteros omnes; ſicuti accidit etiam Catoni; quo præſente cum Floralia celebrarentur, meretrices more ſolito, non auſæ ſunt corpora nudare; quare Catoni diſcedere neceſſe fuit, vt ſacra de more peragerentur.

Nam quid eſt ineptius, quàm de dicendo dicere, cũ id ipſum, dicere, numquam ſit non ineptum, niſi cùm eſt neceſſarium.

NAM QVID EST INEPTIVS. Argumentum à cõiugatis, quo probare vult, nihil ineptius, quam de dicendo dicere. NISI CVM NECESSARIVM. Hęc Pythagorica ſententia eſt, qua breuiloquentia commendatur. Nam Pithagoras ἐχεμυθίαν id eſt, ſilentium vehementer probabat. Aul. Gellius lib. 1. cap. 15. quantopere vituperanda ſit loquacitas oſtendit. Latini ueteres ſolebant homines loquaces, & in uerba proiectos, locutuleios, & blaterones, & linguaces appellare. Hac præcipuè laude pręſtiterunt Lacedęmonij, ut pauca loquerentur, vnde Laconiſmus, pro breuiloquentia ponitur.

Perge verò, Craſſe, inquit Mutius. Iſtam enim culpam, quam uereris, ego præſtabo.

PERGE VERO. Remouet culpæ ſuſpicionem, & notanda locutio, præſtare culpam, ideſt, in ſe culpam ſuſcipere; Eſt enim præſtare, ſæpe rei exitum in ſe ſuſcipere, & alterum immunem à damno ſeruare, ut præſtare uitium rei, præſtare fidem, præſtare culpam.

Sic igitur cenſeo, inquit Craſſus, naturam primùm, atque ingenium ad dicendum uim afferre maximam: neque verò iſtis, de quibus paullo antè dixit Antonius, ſcriptoribus artis, rationem dicendi, & viam, ſed naturam defuiſſe. Nam & animi, atque ingenij celeres quidam motus eſſe debẽt, qui ad excogitandum acuti, & ad excogitandum acuti, & ad explicandum, ornandumque ſint vberes, & ad memoriam firmi, atque diuturni. &, ſi quis eſt, qui hæc putet arte accipi poſſe, quod falſum eſt (pręclarè enim ſe res habeat, ſi hæc accendi, aut commoueri arte poſsint: inſeri quidem, & donari ab arte non poſſunt omnia: ſunt enim illa dona naturæ) quid de illis dicet, quæ certè cum ipſo homine naſcuntur? linguę ſolutio, uocis, ſonus, latera, vires, conformatio quædam, & figura totius oris, & corporis?

SIC IGITVR. Craſsi ſententia eſt, nihil artem, aut præcepta valere, niſi adiuuante natura, Verum vtroque opus eſt, ideſt natura, & arte: quod Horatius in Arte poetica ſic apertè teſtatur;

Natura fieret laudabile carmen, an arte
Quæſitum eſt, ego nec ſtudium ſine diuite uena
Nec rude quid proſit uideo ingenium, alterius ſic
Altera poſcit opem res, & coniurat amicè.

Nam ſcriptores artis methodum quidem habuerunt, ſed eis natura defuit. CELERES QVIDAM MOTVS. Hęc uirtus gracè dicitur ἀγχίνοια de qua tractat Ariſt. in Poſterioribus & 6. Ethicorum, quam in Ænea declarat. Virgilius his quidem verbis.

Atque animum celerem, nunc huc, nunc diuidit illuc,
In parteſque rapit uarias, perque omnia uerſat.

Hæc ſolerita latinè dici poteſt, vel ſagacitas. QVID AD EXCOGITAN-

CITANDVM. Tria ſunt, quæ motus illos animi perficiāt, primū, eſt, vt ſint acuti. Sic enim excogitare facile atque inuenire poterunt ea, quæ dicēda ſunt. Secundū vt ſint uberes, ut copioſè & ornatè res explicari poſſint. Tertiū ut ſint firmi, atq; diuturni, quo meminiſſe poſſit orator eorū, quę inuenit, & exornauit. QVI HAEC PVTET ARTE. Ingeniū ab arte quidē nō pendet, ſed tamen alitur induſtria quod Cicero pro Cęlio teſtatur. Democritus putabat ingenium arte fortunatius eſſe, ut Horatius in Arte Poetica;

Ingenium miſera, quia fortunatius arte
Credit, & excludit ſanos Helicone poetas, *Democritus.*

Craſſus ita ſentit, celeres illos motus, q eſſe debēt acuti, uberes, & firmi, dona eſſe naturæ, neq; ab arte inſeri poſſe, q̄uis fateatur ab arte poſſe augendi aut eum moueri. QVID DE ILLIS DICET. Adiungit quinque naturæ dona, quæ ſunt oratori futuro neceſſaria. Primū eſt linguæ ſolutio, id eſt, expedita locutio: nam ſi quis ſit balbus, aut blæſus, non poterit orator fieri. Secundum eſt uocis ſonus, qui clarus & ſuauis eſſe debet; nam ſi fuſcus, aut obſcurus, aut raucus, aut odioſus, delectare non poterit. Tertium ſunt latera, nam firmis lateribus, opus eſt in dicendo, qui ſufficiant ad vocis contentionem; qui enim infirmis ſunt lateribus, frequenter anhelare, & vocem interrumpere ſolent. Quartū ſunt vires, ad perferendos labores aſſiduos; quib. boni oratores obruuntur. Vnde M. Piſo ceſſauit à cauſis agendis, quod eſſet infirmo corpore, ut ait in Bruto Cicero. Quintū eſt conformatio totius oris, & corporis; nam qui eſt admodū deformis, ut Therſites, aut Æſopus, uel, qui ſe incompoſitè, aut indecorè mouet, non eſt aptus ad dicendum.

Neque hæc ita dico, vt ars aliquid limare non poſſit: (neque enim ignoro, & quæ bona ſint, fieri meliora poſſe doctrina, & quę nō optima, aliquo modo acui tamē, & corrigi poſſe,) ſed ſūt quidā aut ita lingua hæſitātes, aut ita voce abſoni, aut ita vultu, motuque corporis vaſti, atq; agreſtes, vt, etiam ſi ingenijs, atq: arte valeant, tamen in oratorum numerum venire non poſſint.

NEQVE HÆC. Correctio, quia multa ſunt naturæ vitia, quę arte poſſunt emendari, quod de Demoſthene legitur, qui, quod ait Val. Max. libro 8. capit. 7. præliatus eſt cum rerum natura, & quidē uictor euaſit. Itaq; alterū Demoſthenē mater, alterū induſtria enixa eſt. Exēplo ſunt et Cleāthes, Portius latro, Antiſthenes, q licet eſsent natura

hebetes

hebetes ac tardi, multum tamen induſtria ſua atque aſſiduo labore, in diſciplinis profecerūt, Idem de Xenocrate Platonis diſcipulo traditur, quem Plato frequenter dicebat calcaribus indigere, ARS ALIQVID LIMARE Metaphora ſumpta ab opificibus, qui lima utuntur in expoliendis operibus ſuis. Quintil. 2. cap. multū inde decoquent anni, multa ratio limabit. Cicero 2. de Offi. alia eſt illa, cum ueritas ipſa limitatur in diſputatione ſubtilitas. Vnde ſcriptores dicuntur ut lima, cum ſcripta ſua corrigunt, & emendant. Ouid. de Ponto 1.

Scilicet incipiam lima mordacius vti,
Vt ſub iudicium ſingula verba vocem.

Horatius in Arte Poetica limæ laborem uocat.

Nec virtute foret clarisve potentius armis
Quam lingua latium ſi non offenderet vnum
Quemq; poetarum, limæ labor, & mora.

Dicitur etiam limam addere, hoc eſt emendare & corrigere. SED SVNT QVIDAM. Sunt aliqui, qui nullo modo in oratorum numerum peruenire poſſunt, etiam ſi multum laborauerunt, propter ipſius naturę defectum, de quibus ita Quintilianus: hebetes uerò & indiciles, non magis ſecundum naturam homines eduntur, quam prodigioſa corpora, & monſtris ſimilia, ſed hi pauci admodum. Tria uerò Craſſus hominum genera ponit qui licet ingenio, atque arte ualeant, non tameu oratores fieri poſſunt: in primo genere ſunt ij, qui lingua hęſitant, neque expedite uerba proferre poſſunt, qualis M. Fundus fuit, de quo ita Cic. III. Philippica, M. Fundum cognominatum Babilonem ob heſitantiam linguę: & Battus ille, de quo meminit Herodotus in Melpomene. Quidam uerò balbutiem gratam quandam habent, quę in dicendo uoci ſplendorem afferat, quod de Alcibiade, & Ariſtotele legimus, ſed hi non dicuntur lingua heſitantes. In ſecundo genere ſunt lingua abſoni, qui licet non hæſitent, tamen aut obſcuram, aut raucam, aut nimis exilem uocem habent. Iſocrates ideo cauſas forenſes non tractauit, quod eſſet ἰσχνόφωνος, ideſt exilis, & anguſtę uocis; in hoc genere ſunt ēt illi, quorū uox in naribus ſonat, ut Perſius quendā ita ridet;

Rancidulum quiddam balba de nare locutus.

In tertio genere ſunt uaſti, atque agreſtes in motu corporis, uel ob aliquam membrorum diſtortionem uel ob naturę uitium, uel ob nimios, adipes; qualis ille Montanus, de quo ita Iuuenalis;

Montani quoq; venter adeſt abdomine tardus.

Sunt

Sunt autem quidam ita naturæ muneribus in iiſdē rebus habiles, ita ornati, vt non nati, ſed ab aliquo deo ficti eſſe videantur.

Magnum quoddam eſt onus, atque munus, ſuſcipere atque profiteri, ſe eſſe, omnibus ſilentibus, vnum maximis de rebus, magno in conuentu hominum, audiendum. Adeſt enim ferè nemo, quin acutiùs, atque acriùs vitia in dicente, quàm recta, videat. ita, quidquid eſt, in quo offenditur, id etiam illa, quæ laudanda ſunt, obruit.

Neque hęc in eam ſententiam diſputo, vt homines adoleſcenteis, ſi quid naturale fortè non habeant, omnino à dicendi ſtudio deterream. Quis enim non videat, C. Cælio, æquali meo, magno honori fuiſſe, homini nouo, illam ipſam, quamcumque aſſequi potuerit, in dicendo mediocritatem? quis veſtrum, æqualem meum, Q. Varium, vaſtum hominem, atque fœdum, non intelligit, illa ipſa facultate, quamcumque habuit, magnam eſſe in ciuitate gratiam conſecutum?

SVNT AVTEM QVIDAM. Hęc omnino cauſa nobis ignota eſt, cur aliqui naturę numeribus pręter cęteros ornati ſint: itaque ad diuinam cauſam referre debemus, licet Aſtrologi ad ſidera referrendum putent, unde iuuenalis,

Diſtat enim quæ,
Sidera te excipiant, modo primos incipientem.
Edere vagitus, & adhuc à matre rubentem,

AB ALIQVO DEO FACTI. Videtur ad Pandorę fabulam adludere, quam Vulcanus finxit; & cęteri Dei ſinguli ſua

muncra

munera contulerunt. Dicuntur igitur à Deo ficti, qui omnibus naturæ muneribus præditi ſunt. MAGNVM QVIDDAM EST. A difficultate commẽdat eloquentiam. Eſt autem argumentatio tripartita, quæ conſtat Propoſitione, Ratione, & Concluſione. Propoſitio, Magnum eſt onus in conuentu hominum de maximis rebus dicere; Ratio quoniam aſtantes magis vitia, quam virtutes notãt. Concluſio, Itaque quod offendit aures, obruit etiam quæ laudanda ſunt. Notandum eſt autem vitium vnum, multas obruere virtutes, quoniam omnes ad vituperandum proniores ſunt, quàm ad laudandum, & hoc eſt, quod ait etiam Horatius.

Diſcit enim citius, meminitq́; libentius illud
Quod quis deridet, quam quod probat, & veneratur.

Boni autem & candidi iudices virutibus vitia compenſant: & id ſeruant, quod ait idem Horatius in arte.

Verum vbi plura nitent in carmine, non ego paucis
Offendar maculis, quas aut incuria fudit.
Aut humana parum cauit natura.

NEQVE HÆC IN CAVSA. Hæc eſt conſolatio quædam & præmunitio, qua vtitur, ne forta ſe aliqui deterreãtur eorum, qui non optimam naturam ſortiti ſunt. Licet enim pauci perfecti ſint, tamen vt in oratore ad Brutum ait, prima ſequentem honeſtum eſt in ſecundis, tertijſque conſiſtere: nam magna ſunt ea, quæ ſunt optimis proxima. QVIS ENIM. Duobus exemplis probat etiam mediocribus oratoribus eſſe locum. Quod Horatius in Poetis negat, quos ait, niſi ſummi ſint, probari nullo modo poſſe, in Arte.

Conſultus iuris & actor
Cauſarum mediocris, abeſt virtute diſerti
Meſſalæ, nec ſcit quantum Caſſellius Aulus.
Sed tamen in precio eſt, mediocribus eſſe poetis
Non homines, non Dij, non conceſſere columnæ.

C. CAELIO. Cicero in Bruto ait, in hoc Cælio ſummam fuiſſe induſtriam, & ſummas virtutes, ſed eloquentiam mediocrem Nam fuerunt etiam alij Cælij multi; vt is pro quo extat oratio pulcherrima Ciceronis, qui M. Cælius dicebatur, cuius eſt etiam totus octauus liber Epiſtolarum, vt vocant familiarium. Q. VARIVM. De hoc in Bruto ſic ait; acutior Carbone, Q. Varius, rebus inueniendis, nec minus verbis expeditus: fortis verò actor, & vehemens Magis igitur ibi hunc oratorem laudat, quam hoc in loco; nam hic

quæ-

quædam eius uitia notat. Fuit alius eodem nomine, ſed poeta ſatis egregius, quem & Horatius, & Virgilius ſatis celebrant. Horatius ita;

At neque dedecorant tua de ſe iudicia, atque
Munera quæ multa dantis cum laude tulerunt,
Dilecti tibi Virgilius, Variusque poeta.

Virgilius ita;

Nam neque adhuc Vario uideor, nec dicere Cuma
Digna ſed argutos inter ſtrepere anſer olores.

Sed quia de oratore quærimus, fingendus eſt nobis oratione noſtra, detractis omnibus uitijs, orator, atque omni laude cumulandus. Neque enim, ſi multitudo litium, ſi varietas cauſarum, ſi hæc turba, & barbaria forenſis dat locum vel vitioſiſsimis oratoribus, idcirco nos hoc, quod quærimus, omittemus.

SED QVIA DE ORATORE QVÆRIMVS. Etiã ſi mediocris eloquentia multum poſsit, tamen cum de oratore loquimur, perfectum intelligere debemus. ideo debemus, inquit, Craſſus eum fingere in quo nullum ſit uitium; & in quo ſint omnes laudes. FINGENDVS EST NOBIS. Quia nemo vnquam talis repertus eſt. Verum eſt enim, quod ait Virgilius,

Non omnia poſſumus omnes

Et quod ait Catullus;

Suus cuique attributus eſt error.

Et autem metaphora ſumpta à figulis, ſiue plaſtis, qui ex argilla fingunt imagines. NEQVE ENIM. Tres cauſas numerat, cur etiam uitioſis oratoribus locus ſit: Prima eſt multitudo litium, quę multos etiam patronos requirit; Altera eſt varietas cauſarum, nam aliæ ſunt maiores, aliæ minores, & boni oratores, tantum in maioribus cauſis uerſari ſolent. Tertia eſt barbaria forenſis, & imperita multitudo, cui ſæpè magis ſatisfaciunt uitioſi oratores, quàm eruditi, & ualentes, vt probat Quintilianus. Quamuis autem hæc ita ſint, debemus tamen quærere qui ſit perfectus orator.

Itaque in ijs artibus, in quibus non utilitas quæritur neceſſaria, ſed animi libera quædam oblectatio, quàm diligenter, & quàm propè faſtidiosè iudicamus? Nullæ enim lites, neque controuerſiæ ſunt, quæ cogant homines, ſicut in foro non bonos oratores, item in theatro actores malos perpeti.

ITA QVE IN IIS ARTIBVS. Argumentum à diſsimili, non idem accidit in hiſtrionibus, quod in oratoribus. Nam neceſsitatas cogit, nos etiam malos oratores audire, propter litium multitudinem, ideo locus eſt etiam malis oratoribus. Verum hiſtiones oblectationis tantùm cauſa audiuntur, ideo de illis faſtidiosè iudicamus. NVLLÆ ENIM LITES. Ratio diſsimilitudinis. lites & controuerſiæ cogunt homines in foro non bonos etiam oratores perpeti, quod in theatro non accidit, vbi mali actores explodun-tur, & exibilantur. IN THEATRO. Seruius ait, apud antiquos, theatrales ludos in honorem tantum liberi patris, fieri conſueuiſſe: fortaſſe quia Dionyſius primus theatrum fecit, vt Euſebius auctor eſt. Athenis autem primo conſtructum fuiſſe theatrum voluit, vt ruſticorum ludos & ſacra, uoluptatis gratia ciuibus repræſentarentur. Romani theatralium ludorum ſtudioſiſsimi fuerunt, & hiſtriones, ſiue ludiones egregios, magnis pręmijs afficiebant, ut de Roſcio, & Æſopo legimus. Erat Theatrum hemicycli ſpecie conſtructum, & à fronte inter duo cornua erat ſcena; vnde ſcenici ludi, qui ijdem Theatrales, in medio erat archeſtra, in qua ſaltationes fierent; apud quam erant loca Senatoribus deſignata: poſt eam, erat cauea per cuneos diſtincta, vbi erant equitum ſubſelia, & in circuitu erant gradus ita diſpoſiti, ut altiores ſemper in ambitu excreſcerent, vbi plebei ſedebant. Amphiteatrum ex duobus conſtans theatris, primis Iulius Cæſar ædificauit; quod poſtea deſtructum, à Domitiano fuit inſtauratum. vnde Martialis;

Omnis Cæſareo cedat labor amphitheatro
Vnum pro cunctis fama loquatur opus.

Comœdię verò & Tragœdiæ ſæpe in theatro recitabantur, in quibus animi libera quædam oblectatio quærebatur.

Eſt igitur oratori diligenter prouidendum, non vti illis ſatisfaciat, quibus neceſſe eſt: ſed vt ijs admirabilis eſſe videatur, quibus liberè liceat iudicare.

Ac, ſi quæritis, planè, quid ſentiam, enunciabo apud homines familiariſsimos, quod adhuc ſemper tacui, & tacendum putaui. Mihi etiam quique optimè dicunt, quique id facillime, atque ornatiſsime facere poſſunt, tamen, niſi timide ad dicendum accedunt, & in exordienda oratione perturbantur, pene impudentes uidentur, tametſi id accidere non poteſt: Vt enim quiſque optimè dicit, ita maxime dicendi difficultatem, varioſque euentus orationis, expectationemque hominum pertimeſcit.

EST IGITVR ORATORI. Concluſio, qua docet oratorem non tantum laborare debere, ut cauſæ ſatisfaciat, ſed etiam, ut admirabilis uideatur. NON VT ILLIS. Antitheſis, ideſt contentio. AC SI QVÆRITIS. Naturę muneribus, etiam pudorem adiungit, qui in oratore maximè commendatur; vt ipſe de ſe Cicero in ea oratione, quę Diuinatio inſcribitur; Ita Deos mihi velim propitios, ut cum illius temporis, mihi uenit in mentem, quo die citato reo, mihi dicendum ſit; non ſolum commoueor animo, ſed etiam toto corpore perhorreſco ſi.c Ouid. 13. Metam. oſtendit Vliſſem quodam pudore ſuffuſum apud Græcos uerba feciſſe;

Donec Laertius heros
Aſtitit, atque oculos paulum tellure moratos
Suſtulit ad proceres, expectatoque reſoluit
Ora ſono, neque abeſt facundis gratia dictis.

Ita Senaca; nutriendus eſt pudor, qui quamdiu in animo durauerit, aliquis erit bonę ſpei locus: maior autem in iuuenibus pudor eſſe ſolet, quoniam in eis plus eſt caloris, vnde erubeſcunt, & tenerior frons, in qua pudor ſedem habet. MIHI ETIAM. in exordio ſemper decet timorem quendam prę ſe ferre. PENE IMPVDEN-

PVDENTES. Hoc cum eo conuenit, quod ait Seneca in prouerbijs Recta ingenia debilitat uerecundia, praua confirmat audacia. Sic Thucydides ἀμαθία μὲν θράσος λογισμὸς δὲ ὄκνον φέρει Cic. Epiſt. 5. Sed tamen qui ſemel uerecundię fines pertranſierit, eum bene, & gnauiter oportet eſſe impudentem. VT ENIM QVISQVE: Exemplo ſunt Demoſtenes, qui dicturus apud Philippum Macedonię regem, timore debilitatus, repente obticuit: & Theophraſtus apud Athenienſes uerba facturus, idem paſſus eſt. Sic Hipparchion Citharędus nobiliſsimus, cum in Theatrum veniſſet, certaturus cũ Rufino, ſpectatorum aſpectu, & ſtrepitu perturbatus, ita obticuit, ut ne canere quidem cæperit. vnde prouerbium; Mutus Hipparchion.

Qui verò nihil poteſt dignum rè, dignum nomine oratoris, dignum hominum auribus efficere, atque edere, is mihi, etiam ſi commouetur in dicendo, tamen impudens videtur. non enim pudendo, ſed non faciendo id, quod non decet, impudentiæ nomen effugere debemus. Quem verò non pudet (id quod in pleriſque uideo) hunc ego non reprehenſione ſolùm, ſed etiam pœna dignum puto.

QVI VERO NIHIL POTEST. Nemo debet maiora viribus aggredi, nam quamuis eum pudeat, non eſt tamen uenia dignus; ſed in pleriſque id accidit, quod ait Democritus; Propriorũ malorum obliuio, gignit audaciam. Metrodorus hoc eſſe iuuenum uitium ait, ut audaces, & elato ſint animo. Plato de legibus 2. omne animal, quo tempore nondum prudentiam ſuam poſſedit, furit, & ſine ordine clamat, & faſtu elatum, laſciuienſque ſalit. NON ENIM PVDENDO. Sententia: Suas quiſque metiri uires debet, ut ne quid agat, quod non deceat, aut quod exequi non poſsit. Caput enim artis eſt, decere quod facias. & Quintilianus libro 2. ſic ait; non enim omnes eadem decent. PÆNA DIGNVM. Nam Xenophon ait, impudentiam ad omnia turpia maximam eſſe ducem: & Euripides in Medea maximum omnium morborum qui hominibus accidere poſſunt, impudentiam uocat.

Equi-

Equidem & in vobis animaduertere ſoleo, & in me ipſo ſępiſſimè experior, vt exalbeſcam in principijs dicendi, & tota mente, atque omnibus artubus cõtremiſcam. Adoleſcentulus vero ſic in initio accuſationis exanimatus ſum, vt hoc ſummũ beneficium Q. Maximo debuerim, quòd continuò conſilium dimiſerit, ſimul ac me fractum, ac debilitatum metu viderit.

EQVIDEM ET IN VOBIS. Probat exemplis & præſentium oratorum, & ſuo, pudorem ac timorem in exordienda cauſa laudari. EXALBESCAM. Pallidus fiam propter timorem. Nã vt ait Plato in Euthyphrone, *ἵνα δέος ἔνθα καὶ αἰδώς*, vbi timor ibi, pudor, timor autem pallidos, & tremebundos facit, eò quod ſanguinem ad cor reuocat. Virgilius VI. AEneidos;

Gelidus Teucris per dura cucurrit,
Oſſa tremor. & in VII.
Subitus tremor occupat artus. & in III.
Sic Aeneas de ſe *mihi frigidus horror.*
Membra quatit, gelidusq́; coit formidine ſanguis.

Hoc eſt, quod ait Craſſus; tota mente, atque omnibus artubus contremiſcam. Verum ſi lenior eſt pudor, & improuiſus, erubeſcere facit, vnde in iuuenibus rubere genas, probitatis indiciũ eſt, ait Plinius. Terentius, erubuit, ſalua res eſt, & Diogenes Cynicus, cum vidiſſet, iuuenem erubuiſſe, dixit confide fili, talis eſt virtutis color. ADOLESCENTVLVS VERO. Cum primum ac vigeſimum annum ageret, Carbonem accuſauit, & accuſationis initio penè defecit, hoc eſt, quod de ſe narrat. Q. MAXIMO. Hic erat quæſitor ejus iudicij, qui Q. Fabius dicebatur. Fabiorum autem familia, Romæ nobiliſſima fuit, quæ originem habuit ab Hercule, vt Feſtus ait, ita Iuuenalis;

Natus in Herculeo Fabius lare.

Quo tempore bellum Romani contra Veientes gerebant, trecenti Fabij ſoli, ſibi illud bellũ depopoſcerunt: qui deinde inſidijs intercepti, apud Cremeram fluuium, omnes ad vnum interfecti ſunt. Solus Q. Fabius maximus, ex ea familia ſuperfuit, qui deinde conctator fuit appellatus, & Annibalẽ ſua prudentia fregit, de quo ſic Ennius.

Vnus

Vnus qui nobis cunctando reſtituit rem.

Igitur ex hac familia fuit Q. Fab. Maximus, de quo meminit hoc loco Craſſus.

Hic omnes aſſenſi, ſignificare inter ſeſe, & colloqui cœperunt. fuit enim mirificus quidam in Craſſo pudor, qui tamen non modò non obeſſet eius orationi, ſed etiam probitatis commendatione prodeſſet.

HIC OMNES ASSENSI. Cum quis de ſe res modeſtas, & veras fatetur, eius laudatur, & probatur oratio. Sic Antonius & reliqui præſentes, pudorem Craſſi, quem perſpexerant, commendarunt, quia non erat pudor ruſticus, & ignobilis, qui eius orationi poſſet obeſſe; ſed ingenuus, & mirificus, qui probitatis ei commendatione prodeſſet. Cicero pro Fonteio, Quantus in L. Craſſo pudor fuerit, quod ingenium, quanta auctoritas, quis ignorat?

Tum Antonius, Sæpe, vt dicis, inquit, animaduerti, Craſſe, & te, & cęteros ſummos oratores, quamquam tibi par, mea ſententia, nemo vnquam fuit, in dicendi exordio permoueri. Cuius quidem rei, cùm cauſam quærerem, quidnam eſſet, cur, vt in quoque oratore plurimum eſſet, ita maxime is pertimeſceret, has cauſas inueniebam duas: Vnam, quod intelligerent ij, quos vſus, ac natura docuiſſet, nonnumquam ſummis oratoribus nō ſatis ex ſententia euentum dicendi procedere. ita non iniuria, quotieſcunque dicerent, id quod aliquando poſſet accidere, ne tum accideret, timere.

TVM ANTONIVS. Hæc Antonij oratio duas habet partes, principales, vt duas Craſſi ſententias confirmet; hoc eſt, & pudorem,

& naturam in oratore vim habere maximam. Ac primodo de pudore verba facit cuius in ſummo oratore duas eſſe cauſas effectrices ait. Prima eſt, quod intelligunt oratores, non ſibi rem ſemper ex ſententia ſuccedere: itaque quoties dicunt, toties de euentu dubitant, ac timent. Altera eſt, quod quoties peccat orator, toties imperitus ac ſtultus exiſtimatur. Hanc autem ſecundam cauſam per comparationem, tractat; & addit corollarium etiam per comparationem. QVANQVAM TIBI PAR. Correctio de Romanis autem intelligit. Nam Demoſthenes, Lyſias, Hyperides, Aeſchines, longe Craſſo antecelluerunt. CVM CAVSAM QVAEREREM. Intelligit cauſam effectricem, quæ proprie cauſa dicitur, ſicut etiam finis qui agentem mouet. Nam materia, & forma, non tantum cauſæ, ſed etiam principia rerum dicuntur, & quaſi elementa, quoniam ex eis res omnes componuntur. QVOS VSVS AC NATVRA DOCVISSET. Hæc enim duo ſunt, quæ ſapientiam omnem pariunt, vt A. Gellius docet libro 13. cap. 8. Vſus autem magiſter eſt optimus, vt pro Rab. Poſth. ait Cicero. idcirco verò vſum, & naturam coniunxit, quoniam aſſiduus vſus in naturam vertitur. vt ait Ariſt. Ethic. 7. & in libro de memoria & 1. Rhet. ſic ait; Quod conſuetum eſt, ueluti innatum eſt, quia conſuetudo eſt ſimilis naturæ. Auerroes in 3. Phyſic. ita ſcribit; Quidam homines venenum ita uorare conſueuerunt, vt eis fiat cibus. Martialis,

Profecit poto Mitridates ſæpe veneno,
Toxica ne poſſent ſæua nocere ſibi.

Salluſtius in Iugurtino; Benefacere ex conſuetudine in naturam vertitur. NON SATIS EX SENTENTIA. Habet enim forum quandam belli ſimilitudinem, vt Mars communis.

Altera eſt hæc, de qua queri ſæpe ſoleo: cęterarum homines artium ſpectati, & probati ſi quando aliquid minus bene fecerunt, quã ſolent, aut noluiſſe, aut valetudine impediti non potuiſſe, conſequi id, quod ſcirent putantur. Noluit, inquiunt, hodie agere Roſcius, aut crudior fuit.

ALTERA EST HAEC. Secunda cauſa per comparationem tractatur, quia in parte queritur Antonius, iniquiores oratoribus auditores eſſe, quam cæteris artificibus. CAETERARVM ARTIVM. Comparatio. Hiſtriones cum ſpectati, ac probati

fuerint, excuſantur, etiā ſi qud minus bene fecerint, oratores excuſationem non habent. NOLVIT AGERE ROSCIVS. Dialogus fictus ponit autem exemplum notum, Nam Roſcius populo ſpectatus, & probatus erat. CRVDIOR FVIT. Cibum non benè concoxit, quæ res ſæpè actiones impedit. Cicero 2. de Finibus, Crudique poſtridiè ſe rurſus ingurgitent pro A Cluentio, cum ad illud prandium crudior veniſſet. Horat. de Virgilio & ſe ipſo;

Namq; pila lippis inimicum & ludere crudis.

Dicitur etiam de cibo concoctu difficili; Iuuenal.

Et crudum pauonem in balnea portas.

Vnde cruditas, cuius ſigna ſunt crebri ructus, ventris ſonitus, faſtidia cibi, vt ait Colum. lib. 7.

Oratoris peccatum, ſi quod eſt animaduerſum, ſtultitiæ peccatum videtur. ſtultitia autem excuſationem non habet: quia nemo videtur, aut quia crudus fuerit, aut quòd ita maluerit, ſtultus fuiſſe: quo etiam grauius iudicium in dicendo ſubimus. quoties enim dicimus, toties de nobis iudicatur. & qui ſemel in geſtu peccauit, non continuò exiſtimatur neſcire geſtum. cuius autem in dicendo aliquid reprehenſum eſt: aut æterna in eo, aut certe diuturna valet opinio tarditatis.

Illud verò, quod à te dictum eſt, eſſe permulta, quæ orator, niſi à natura haberet, non multum à magiſtro adiuuaretur: valde tibi aſſentior, inq; eo vel maximè probaui, ſummum illum doctorem Alabandenſem Apollonium, qui cùm mercede doceret, tamen non patiebatur, eos, quos iudicabat non poſſe oratores euadere, operam apud ſeſe perdere, dimittebatque, & ad quamcunque artem putabat eſſe aptum, ad eam impellere, atque hortari ſolebat.

ORA-

ORATORIS PECCATVM. Altera pars comparationis, ſeu contentionis: ſtultitiam autem hoc loco pro ignorantia poſuit. QVO ETIAM GRAVIVS. Corollarium. ET QVI SEMEL IN GESTV. Altera cōtentio hiſtrionis,& oratoris. ILLVD VERO. Secunda pars,qua confirmat multum in dicendo naturam poſſe atque in eo laudat Appellonium Alabandenſem, quod diſcipulorum ſuorum naturas agnoſceret, & ad eas artes excitaret: quibus aptos eſſe putaret. AD QVAMCVNQVE ARTEM. Quintil.lib.2.c.8.hanc maximam eſſe doctoris uirtutem ait,vt ingeniorum differentias noſcat: quod non pauciores ſint animorum,quam corporum formæ,nam alius erit hiſtoriæ magis idoneus,alius compoſitus ad carmen, alius utilis ſtudio iuris, vt nonnulli rus fortaſſe mittendi. Dat autē in hac parte duo præcepta Quintilianus, vnum, ne tentes, quod effici non poſsit. Alterum, ne ab eo quod quis optimè facit,in aliud cui minus eſt idoneus,transferas.nam vt ait Horatius;

Tu nihil inuita facies, dicesuè Minerua.

SATIS EST ENIM. Comparatione declarat,quantum eloquentia cæteris artibus præſtet. SIMILEM ESSE HOMINIS. Diminutio; quo maior eloquentiæ dignitas appareat. VEL ETIAM INCVLCETVR. Vnde prouerbium, Eandem incudem tondere.Cicero de Orat.2. Ego autem ſi quem nunc planè rudem iuſtitui ad dicendum, velim ijs potius tradam aſsiduis uno opere eandem incudem die noctuque tondentibus.

In oratore autem acumen dialecticorum, ſententiæ philoſophorum, uerba propè poetarum, memoria iuriſconſultorum,vox tragœdorum, geſtus penè ſummorum actorum eſt requirēdus. Quamob rem nihil in hominum genere rarius perfecto oratore inueniri poteſt. quæ enim ſingularum rerum artifices ſingula ſi mediocriter adepti ſunt, probantur,ea, niſi omnia ſumma ſunt in oratore, probari non poſſunt.

IN ORATORE AVTEM. Pulcherrima diſtributio; quæ ſunt in ſingulis artibus propria,ea debent omnia ſimul in oratore collecta eſſe. Sunt autem ſex,acumen,ſententię,verba,memoria, uox,ge

 ſtus.

ſtus. Dialectici valentes in diſputando, ſunt acuti. Philoſophi graues, & eruditas habent ſententias: Poetæ nitida, & conſonantia uerba quærunt. Iuriſconſulti quia uarias colligunt opiniones, memoria præſtant. Tragędi propter atrocitatem rerum, granditate uocis vtuntur. Actores fabularum uarios in ſcena geſtus edunt. Hæc autem omnia præſtare debet vnus orator. QVAMOBREM. Concluſio, qua eloquentię difficultatem colligit.

Tum Craſſus, Atqui uide, inquit, in artificio perquam tenui, & leui, quanto plus adhibeatur diligentiæ, quam in hac re, quam conſtat eſſe maximam. Sæpe enim ſoleo audire Roſcium, cùm ita dicat, ſe adhuc reperire diſcipulum, quem quidem probaret, potuiſſe neminem: non quò non eſſent quidam probabiles, ſed quia ſi aliquid modò eſſet vitij, id ferre ipſe non poſſet.

TVM CRASVS. Perſeuerat Craſſus in comparatione hiſtrionum, & oratorum, qua uſus fuerat Antonius; & oſtendit diligentiores in arte ſua hiſtriones eſſe, quàm oratores, licet hiſtrionum artificium per quàm tenue ſit, & leue, eloquentia uerò res ſit omnium maxima. IN ARTIFICIO PER QVAM TENVI. Nam omnino leue eſt hiſtrionum artificium: unde ars ludicra fuit appellata, quoniam tantum ludi, & uoluptatis gratia comparata fuit. Sũt etiam qui putent hiſtriones à legibus infamia notari, Thymelicorum nomine; quoniam Gręci hiſtrionicam θυμελικὴν uocant. & Vulpianus iuriſconſultus, thymelicos inter infames numerat, in L. Athletas ff. de ijs qui not. infa. REPERIRE DISCIPVLVM. Eſt enim diſcipuli uirtus facile percipere, & fideliter cõtinere, ut ait Quintil. quod paucißimi præſtare poſsint: nam & qui acumine ingenij facilè percipiunt, cito obliuiſcuntur, & qui memores ſunt tardiores ad percipiendum eſſe ſolent. ID FERRE IPSE NON POSSEST. Sic enim omnes ferè boni doctores faciunt, vt indociles diſcipulos ferre non poſsint. Ita pro Roſ. Com. Panurgum illum non ſolum vt Roſcij diſcipulus diceretur, donum recepit, ſed etiam ſummo cum labore Stomacho, miſeriaque erudijt: nam quiſque eſt ſolertior, & ingenioſior, hoc docet iracundius, & laborioſius: quod enim ipſe celeriter arripuit, id cum tardè percipi uidet, diſcruciatur.

Nihil eſt enim tam inſigne, nec tam ad diuturnitatem memoriæ ſtabile, quàm id, in quo aliquid offenderis. Itaque, ut ad hanc ſimilitudinem huius hiſtrionis, oratoriam laudẽ dirigamus, uidetiſne, quàm nihil ab eo, niſi perfectè, nihil niſi cum ſumma venuſtate, fiat? nihil niſi ita ut deceat, & uti omneis moueat, atque delectet? Itaque hoc iam diu eſt conſecutus, ut, in quo quiſque artificio excelleret, is in ſuo genere Roſcius diceretur. Hanc ego abſolutionem, perfectionemque in oratore deſiderans, à qua ipſe longè abſum, facio impudenter. mihi enim volo ignoſci, cæteris ipſe non ignoſco. Nam qui non poteſt, qui uitioſe facit, quem denique non decet, hunc (vt Apollonius iubebat) ad id, quod facere poſsit, detrudendum puto.

NIHIL EST ENIM. Sententia veriſsima. Nam hac de cauſa ſicuti Plutarchus ſcribit, Lacedæmonij ſeruos ebrios, liberis ſuis oſtendebant, ut eorum turpitudine offenſi ebrietatem uitarent. Ita magiſtri diſcipulorum uitia, & uocem, & geſtu imitãtur, ut ea fugere diſcant. ITAQVE VT AD HANC SIMILITVDINEM. Collatio. talem (inquit) oratorem uelim, qualis in ſuo genere Roſcius eſt: qui perfectè, venuſtè, decorè ſe gerit. Perfectum eſt, cui nihil deeſt, nec quicquam addi poteſt. Venuſtum, quod pulchritudine ſua mouet oculos, decorum, quod modum in omnibus ſeruat. ITAQVE HOC. A communi omnium conſenſu hoc eſt à pronunciatis abſolutionem Roſcij probat. nam Roſcius tam erat ſpectatus, & probatus in fabulis agendis, ut quiſquis in arte aliqua nobilis eſſet, Roſcius uocaretur. Vt igitur hominem callidum & aſtutum Dædalum uocamus, fortem & patientem Herculem, acrem in iudicando Ariſtarchum, ita perfectum in arte ſua Roſcium licet appellare. HANC AGO. Altera collationis pars vult enim talem in dicendo orarem eſſe, qualis erat in agendo Roſcius, hoc eſt abſolutum, & perfectum. FACIO IMPVDEN-

TER. Nam impudenter is facere videtur, qui idem in alio uitium reprehendit, quod in ſe habet. NAM QVI NON POTEST. Non debet in oratorum numerum admitti, niſi qui hæc tria in ſe habeat, poteſtatem, ſcientiam, decorum. Poteſtas à natura prouenit, ſciẽtia ab arte, & rerum cognitione, decorum à ſcientia, & exercitatione AD ID QVOD FACERE POSSIT. Ariſtoteles Politicorum 8. quatuor artes numerat, quæ nobilibus, & ingenuis hominibus conueniant, literas, gymnaſticam, muſicam, & picturam; ſed nõ omnes omnibus apti ſunt. Vnuſquiſque igitur ad eam artem impellendus eſt, ad quam aptus eſſe videatur.

Num tu igitur, inquit Sulpitius, me, aut hunc Cottã, ius ciuile, aut rem militarem iubes diſcere? nam quis ad iſta ſumma, atque in omni genere perfecta poteſt peruenire.

NVM TV IGITVR, INQVIT SVLPITIVS. Tres artes apud Romanos in magno precio, atque honore fuerunt: Eloquentia, res militaris, & iuriſprudentia; quarum aliquam, nobiles omnes amplectebantur. Cicero primum eloquentiæ locum aſſignat. Secundum arti militari, tertium iuriſprudentiæ. Sulpitius igitur hoc loco, poſtquam audiſſet ſummam in eloquentia difficultatem eſſe, petit a Craſſo, num debeat eloquentia relicta, ius ciuile, aut artem militarem amplecti. Cicero pro L; Murena de tribus his artibus multa uerba facit, dum eas inter ſe comparat, ubi tamen principem locum, gloriæ militari, tribuere uidetur, cum ita inquit; Quapropter non ſolum illa gloria militaris, ueſtris formulis atque actionibus anteponenda eſt; uerum etiam dicendi conſuetudo, longè & multum iſti ueſtrę exercitationi ad honorem antecellet. Itaque mihi uidentur plerique initio multo hoc maluiſſe, pòſt cum id aſſequi non potuiſſent, iſtuc potiſſimum ſunt delapſi (ut aiunt) in græcis artificibus eos aulœdos eſſe, qui citharędi fieri nõ potuerint. Sic nonnullos uidemus, qui oratores euadere non potuerunt, eos ad iuris ſtudium deuenire; & paulo poſt; Duæ ſunt artes, quæ poſſunt locare homines in ampliſſimo gradu dignitatis, una imperatoris altera oratoris boni.

Tum ille, Ego verò, inquit, quòd in uobis egregiam quandam, ac præclaram indolem ad dicendum eſſe cognoui, idcirco hæc expoſui omnia: nec ma

gis

gis ad eos deterrendos, qui nòn poſſent, quàm uos,qui poſſetis,exacuendos accomodaui oratio nem meam: & quamquam in utroque ueſtrum ſummum eſſe ingenium,ſtudiumq́ue perſpexi,tamen hæc,quæ ſunt in ſpecie poſita,de quibus plura fortaſſe dixi, quàm ſolent Græci dicere, in te, Sulpici,diuina ſunt.Ego enim neminem nec motu corporis,neque ipſo habitu, atq; forma aptiorem,nec voce pleniorem, aut ſuauiorem mihi videor audiſſe. quæ quibus à natura minora data ſunt, tamen illud aſſequi poſſunt, ut ijs quæ habeant,modicè,& ſcienter vtantur, & vt ne dedeceat.Id enim eſt maximè uitãdum, & de hoc vno minimè eſt facile præcipere,non mihi modò, qui ſicut unus paterfamilias,his de rebus loquor, ſed etiam ipſi illi Roſcio: quem ſępe audio dicere, caput eſſe artis,*decere*: quod tamen vnum id eſſe, quod tradi arte non poſsit. Sed,ſi placet, ſermonem aliò transferamus, & noſtro more aliquando, non rhetorico, loquamur. Minimè vero, inquit Cotta. nunc enim te iam exoremus neceſſe eſt, quoniam retines nos in hoc ſtudio, nec ad aliam dimittis artẽ, ut nobis explices, quidquid eſt iſtud, quod tu in dicendo potes. neque enim ſumus nimis auidi: iſta tua mediocri eloquentia cõtenti ſumus, idq́ue ex te quærimus (ut ne plus nos aſſequamur, quam quamtulum tu in dicendo aſſecutus es) quoniam, quæ à natura expetenda ſunt, ea dicis non nimis deeſſe nobis, quid præterea eſſe aſſumendum putes.

EGO

EGO VERO INQVIT. Craſſus confirmat adoleſcentium animos, vt in propoſito ſtudio perſeuerent, quòd in eis ad dicendum egregia ſit indoles. Nam (vt eſt in probuerbio) elucet egregia virtus, & licet aliquando diſsimuletur, tamen ex ipſo oris habitu, plerunque perſpicitur & veram animi nobilitatem ſæpisſimè hominis facies oſtendit: quod Homerus Iliados XIII. his verbis oſtendit ἀρήγοντι δὲ θεοὶ πέρ NEC MAGIS AD EOS DETERRENDOS. Hoc enim inter puſillum & excelſum animum intereſt, quod puſillus difficultate atque labore ſtatim infringitur, excelſus autem non aliter atque palma contra onus inſurgit: & quemadmodum ignis à vento, ſic à difficultate, magnus animus accenditur. ET QVANQVAM IN VTROQVE. Vtrumque laudat, ſed tamen Sulpitium anteponit. Fuit enim Sulpitius (vt ait in Bruto Cicero) vel maximè omnium grandis, &, vt ita dicam, tragicus orator. Vox cum magna, tum ſuauis, & ſplendida, geſtus, & motus corporis ita venuſtus, vt tamen ad forum, non ad ſcenam inſtitutus videretur, incitata & uolubilis, nec ea redundans tamen, nec circumfluẽs oratio. NEC MOTV CORPORIS. In quo tantam eſſe vim Demoſthenes cenſebat, vt ad ſpeculum maximum declamaret, vt ſe ipſum totum videret. NEC VOCE PLENIOREM. Hos Græci μεγαλοφώνους vocant, qualem depingit Homerus Stentorem; cuius vocem ait, tam magnam fuiſſe, quanta eſt aliorum hominum quinquaginta: vnde prouerbium Stentore clamoſior. Talem fuiſſe Æſchinem & Carneadem accepimus. Peſcennius Niger, voce fuit adeo canora, vt in campo loquens, per mille paſſus audiretur. Hac in parte Menelaũ Homerus laudat, cum ait βοὴν ἀγαθὸς, ideſt voce bonus. Porrò, qui naturæ calidioris ſunt, ij vocem pleniorem emittere ſolent. Vnde mares fœminis grandiorẽ vocẽ habẽt, quia calidiores ſunt. Tria vero ſunt quæ in Sulpitio Craſſus laudat, motũ corporis, habitũ ac formã aptam, vocem plenam & ſuauem. QVÆ QVIBVS A NATVRA MINORA. Hoc addit ne Cotta deterreatur, & cæteri qui non ita ficti ſunt à natura. ET VT NE DEDECEAT. Decorum enim in omnibus factis, & dictis, in corporis denique motu & ſtatu cernitur, ut in I. de off. ait. Cicero, idque poſitum eſt in tribus rebus formoſitate, ordine, ornatu ad actionem apto. NON MODO MIHI. Dfficile eſt, de decoro præcipere, non tantum inexpertis, ſed etiam peritisſimis, qualis fuit Roſcius. CAPVT ESSE ARTIS. Quintilianus libro II. tanquam vulgo celebratum prouerbium hoc citat; Caput eſſe artis decere quod facias, quod hoc loco citatur à Craſſo. SED SI PLACET. Ἀποδίωξις ideſt Reiectio, quæ tamen diſsimulata eſſe videtur, vt magis adoleſcẽtes ad audiendum accendat. MINIME VERO. Cottam, qui

minus

minus ingenio poterat, artis cupidiorem inducit, vt ad ſecundum locum tranſeat, de ſtudio & amore: & facetè loquentem facit, ne amplius excuſatione Craſſus vti poſſit. Satis eſt, inquit, nobis, ſi tantam eloquentiam aſſequi poterimus, quantam tu Craſſe aſſecutus es, quia nos in hoc ſtudio retines,& artem militarem iuſque ciuile, vis nos alijs relinquere. ISTA TVA MEDIOCRI. Se Craſſi imitatorem eſſe velle oſtendit. Nam, vt ait Quintilianus, artis pars magna imitatione continetur, & omnis vitæ ratio ſic conſtat, vt quæ probamus in alijs facere ipſi velimus, ſed tamen pigri & tardi eſt ingenij, contentum eſſe ijs, quæ ſunt ab alijs inuenta vnde Horatius clamat;

O imitatores ſeruum pecus vt mihi ſæpe
Riſum ſæpe iocum veſtri mouere tumultus.

Nihil enim creſcit ſola imitatione. Quod ſi Cic. Craſſi eloquentia contentus fuiſſet, profectò non tantus orator euaſiſſet. Quare ſic imitari oportet, vt ſuperare contendamus, vt Cicero Demoſthenem, Virgilius Homerum. QVONIAM QVÆ A NATVRA. Sentit Cotta ſolam naturam bonam non ſufficere, niſi etiam aliud aliquid adiungatur, vt pingue ſolum niſi colatur, fruges non producit.

Tum craſſus arridens, Quid cenſes, inquit, Cotta, niſi ſtudium, & ardorem quendam amoris? ſine quo cùm in vita nihil quidquam egregium, tum certè hoc, quod tu expetis, nemo vnquam aſſequetur. Neque verò vos ad eam rem video eſſe cohortandos: quos, cùm mihi quoque ſitis moleſti, nimis etiam flagrare intelligo cupiditate.

TVM CRASSVS ARRIDENS. Secundus locus de ſtudio & amore. Naturæ enim dona niſi ſtudio & amore adiuuentur, parum proſunt. Nihil autem eſt, vt ait Cicero, quod ſtudio & amore effici non poſſit. Democritus dicere ſolebat, longe plures homines ſtudio, quam natura præſtantes fieri. Antiphanes nihil eſſe dicebat, quod ſtudium & amor breui tempore non ſibi ſubijciat. Ad quod alluſiſſe videtur Virg. cum ait. Omnia vincit amor: & in oratore ad Brut. ait Cic. nihil difficile amanti eſſe puto. Efficit autem amor, vt laborem non ſentiamus, ſicut ait Ouidius;

Et non ſentitur ſedulitate labor.

Si verò quotidie aliquid didicerimus, fiet vt breui tempore multum proficiamus, quod ita Heſiodus expreſſit;

Si paulum paulo addideris, pergasq́; frequenter
Hoc facere exurget magnus tibi forſan aceruus

Et notandum eſt, quod ait Craſſus, nihil egregium ſine ardore amoris, quemquam aſſequi poſſe. Vnde nemo poteſt artem aliquam percipere, niſi ea plurimum delectetur, vt Ariſt. docet. NEQVE VERO VOS. Verum eſt enim, quod ait Ouidius;

Non opus admiſſo ſubdere calcar equo.

Qui autem hortantur ſua ſponte incitatum, dicuntur currentem incitare. vt Cic. in Orat. Facilius eſt currentem, quod aiunt incitare, quā commouere languentem. Dicimus etiam calcar addere currenti, tales autē diſcipuli facilè doceri poſſunt. NIMIS FLAGRARE. Eſt enim etiam ſcientiæ quædam cupiditas immoderata, ſicut reliquarum rerum. Nam multi ſcientiæ cupiditate non ſolum facultates ſuas, ſed etiam vitam negligunt, vt Empedocles; Plinius; moderata verò, naturalis & laudabilis eſt.

Sed profectò ſtudia nihil proſunt perueniendi aliquò, niſi illud, quod eò, quo intendas, ferat, deducatque, cognoris. Quare, quoniam mihi leuius quoddam onus imponitis, neque ex me de oratoris arte, ſed de hac mea, quantulacumq; eſt, facultate quæritis, exponam vobis nō quandam aut perreconditam, aut valde difficilem, aut magnificam, aut grauem rationem conſuetudinis meæ, qua quondam ſolitus ſum vti, cùm mihi in iſto ſtudio verſari adoleſcenti licebat.

SED PROFACTO STVDIA. Neceſſariam eſſe artem hoc loco oſtendit, Metaphora à viatoribus ſumpta. Tria ſunt igitur, quæ præſtantem in aliqua re hominem efficiunt, ingenium, ſtudium ars. Quorum primum à natura, ſecundum à voluntate, tertium à diſciplina proficiſcitur. QVARE QVONIAM MIHI. Iam

tan-

tandem quaſi victus precibus Craſſus ſe de ſua facultate dicturum pollicetur, ſed eam magna cum modeſtia extenuat, & quatuor illa adimit, quæ ſcientiam plurimum commendant. Nam in magno honore illa ſcientia eſt, quæ perrecondita & à communi ſenſu remota, & quæ valde difficilis eſt, & quæ magna, & quæ grauis: ſed ſuam facultatem ait Craſſus, neque perreconditam, neque valdè difficilem, neque magnificam, neque grauem eſſe, quo minorem expectationem de ſe concitet, nam nihil magis contrarium eſt eis, qui placere volunt quàm expectatio.

Tum Sulpitius, O diem, Cotta, nobis, inquit, optatum. quod enim neque precibus vnquam, nec inſidiando, nec ſpeculando aſſequi potui, vt, quid Craſſus ageret, meditandi, aut dicendi cauſa non modò videre mihi, ſed ex eius ſcriptore, & lectore Diphilo ſuſpicari liceret, id ſpero nos eſſe adeptos, omniaq; iam ex ipſo, quæ diu cupiimus cognituros.

TVM SVLPITIVS, O DIEM COTTA. Sulpitius qui iampridem aliquid à Craſſo de arte cupiebat audire, iuuenili quadam lętitia nunc exultat, quòd Craſſus eſſet de arte locuturus Iuuenes enim propter ſanguinis feruorem cupiditatibus uarijs æſtuant, quos cum explere poſſunt omnibus lætitijs incedunt; nihil autem iucundius, neque vlla maior lætitia, diſcendi cupido poteſt accidere, quàm cum viros eruditione præſtantes audit. SPECVLANDO More exploratorum, qui hoſtium conſilia ſcrutantur. Sunt autem hic duæ Metaphoræ ab arte militari ſumptæ, cum ait; nec inſidiando, nec ſpeculando. Nam etiam imperatores ipſi ſæpe inſidias ſtruebant, & ſpeculatum proficiſcebantur: vt de Marcello legimus, qui etiam inter fectus eſt, cum ſpeculatum iuiſſet, & de Vlyſſe, & Diomede apud Homerum. EX EIVS SCRIPTORE, ET LECTORE. Seruos habebant ſcriptores, & lectores. Scriptores dicebantur librarij. Cicero ad Q. Fratrem, cum à me literas librarij manu acceperis. de lege Agra. Concurrunt iuſſu meo plures vno tempore librarij. & per diminutionem librarioli, ut ad Att. 4. Velim mihi mittas de tuis librariolis, duos aliquos; è quibus Tyrannio vtatur glutinatoribus: lectores uerò ſerui dicebantur Anagnoſtæ. Cic. ad Att. 1. Nam puer feſtiuus anagnoſtes noſter Soſitheus deceſſerat Vatinius libro 5.

Y Epiſt.

Apiſt.ad Ciceronem, dicitur mihi tuus ſeruus anagnoſtes fugitiuus cum Vardæis eſſe. Hic autem Diphilus Craſſi utrumque erat, hoc eſt, & librarius, & anagnoſtes.

Tum Craſſus, Atqui arbitror, Sulpici, cùm audieris, non tam te hæc admiraturum, quæ dixero, quàm exiſtimaturum, tum, cùm ea audire cupiebas, cauſam cur cuperes, non fuiſſe. Nihil enim dicam reconditum, nihil expectatione ueſtra dignum, nihil aut inauditum uobis, aut cuiquam nouum. Nam principiò illud, quod eſt homine ingenuo, liberaliterque educato dignum, non negabo me iſta omnium communia: & contrita præcepta didiciſſe.

TVM CRASSVS, ATQVI ARBITROR. Iſocrates ait multa eſſe, quæ antequam videamus, aut audiamus, magna & admirabilia eſſe putamus; cum autem ea videmus, aut audimus, tunc parua, & uilli facienda iudicamus. Hoc in artibus, & ſcientijs plerumque accidit: ignorantia enim gignit admirationem, cognitio verò iudicium corrigit. Hoc eſt, quod ait Craſſus, non admiraberis Sulpiti, cum audieris, ſed putabis, non fuiſſe cauſam, cum audire cuperes. Probat autem eum non admiraturum, quoniam admiratio naſcitur ex quatuor potiſsimum rebus, hoc eſt primo ex reconditis, & non paſsim obuijs ac vulgatis. vnde ueteres Philoſophi non temere ſua myſteria vulgare conſueuerant, vt maiori eſſent admiratione: ſicut etiam apud Romanos olim Iuriſconſulti; vt pro L. Munera ait Cicero; Donec Cn. Flauius ſcriba faſtos populo vulgauit. Secundo ex expectatione dignis, cum enim ab aliquo res egregias expectamus, illum admirari ſolemus. vnde expectationi reſpondere, & expectationi ſatisfacere dicuntur, qui ea prçſtant, quç præſtaturi putantur, & expectationem vincere dicuntur, qui plura faciunt, quam credebantur. Tertio ex inauditis naſcitur admiratio: quare cum oratores attentionem captare uolunt, pollicentur ea ſe dicturos, quæ nulli antea dixerunt. Cum enim auditus doctrinæ ſenſus ſit, vt ait Ariſtoteles, & omnes natura doctrinæ cupiditate trahantur, fit ut etiam quç neſciũt, libenter audiant. Quarto ex nouis: nam ipſa nouitas omnibus grata eſt; vnde frequenter interrogare ſolemus, ecquid noui ſit; & eos, qui no-

nouam aliquam artem aut ſcientiam excogitant, vehementer admiramur: unde Lucretius ita gloriatur;

Auia Pieridum peragro loca, nullius ante
Trita ſolo, iuuat integros accedere fontes,
Atque haurire iuuatque nouos decerpere flores,
Inſignemque meo capiti petere inde coronam,
Vnde prius nulli uelarint tempora Muſæ.

Craſſus igitur, vt extenuet artem ſuam, & probet Sulpitium admiraturum, ait ſe nihil reconditum, nihil expectatione dignum, nihil inauditum, nihil cuiquam nouum eſſe dicturum. NAM PRINCIPIO ILLVD. Cum aliquis ignorat ea, quæ communia ſunt, & contrita, non poteſt ingenuus dici, neque liberaliter educatus. Eſt autem ignorantia craſſa, neſcire illa, quæ vulgatiſsima ſunt, qualis in ruſticis eſſe ſępè ſolet. Hoc eſt, quod Craſſus fatetur, ſe communia pręcepta dediciſſe, & quæ ſint illa breuiter commemorat.

Primùm oratoris officium eſſe, dicere ad perſuadendum accomodatè: deinde, eſſe omnem orationem aut de infinitæ rei quæſtione, ſine deſignatione perſonarum, & temporum, aut de re, certis in perſonis ac temporibus locata. In vtraque autem re, quidquid in controuerſiam veniat, in eo quæri ſolere, aut factùmne ſit, aut, ſi eſt factum quale ſit, aut etiam quo nomine vocetur, aut, quod nonnulli addunt, rectène factum eſſe videatur.

ORATORIS OFFICIVM. In omni arte ac ſcientia primo finis ſpectatur, ad quem omnia dirigenda ſint. Finis autem ab officio pendet. Eſt igitur oratoris officium, dicere appoſitè ad perſuaſionem, finis perſuadere dictione. Inter officium autem & finē hoc intereſt, quod in officio quid fieri, in fine, quid officio conueniat, conſideratur: vt medici officium dicimus eſſe curare appoſitè ad ſanandum; finem curatione ſanare. Sic oratoris officium dicimus eſſe dicere ad perſuadendum accomodatè; finem autem dicendo perſuadere: quod ſi non perſuadeat orator modo accomodatè ad perſuadendum dicat, officio ſuo functus erit. OMNEM ORATIONEM,

NEM. Cognito fine artis, ſpectanda eſt materia quam tractet, & in qua uerſetur; ut ſi medicinæ materiam dicamus morbos ac vulnera. Materia igitur artis Rhetoricæ ſunt quæſtiones, quarum duo ſunt genera; nam aliæ dicuntur infinitæ ſiue communes ſiue uniuerſales, quæ ſine deſignatione perſonarum & temporum proferuntur: ut, an ſit adminiſtranda Reſpub. an ſit bellum gerendum, an uxor ſit ducenda, an ſit in cęlibatu uiuendũ: hæ græcè θέσεις dicũtur. Cicero in Partitionibus, propoſita uocat. Aliæ quæſtiones definitæ ſunt, quæ ὑποθέσεις dicũtur græcè, cauſæ latine, uel controuerſiæ, quæ ſunt de re certis in perſonis ac temporibus locata; ut an Roſcius patrem interfecerit, an L. Murena largitione conſulatum adeptus ſit, an Milo Clodio ſtruxerit inſidias. IN VTRAQVE AVTEM RE. In omni quæſtione tria quæri poſſunt, an ſit, quid ſit, quale ſit. Vnde tres cauſarum conſtitutiones naſcuntur, coniecturalis, definitiua, iuridicialis. Cum de facto dubitatur, quæritur an ſit uerum, ut an Diotarus uoluerit Cęſarem hoſpitem ſuum occidere: an Ligarius in Africa eo animo fuerit, ut Cęſari bellum inferret. In hac quęſtione, quia coniecturis utendum eſt, ideo coniecturalis conſtitutio dicitur. Cum de facto cõſtat, & de nomine controuerſia eſt, quia alius alio nomine factum illud appellandum cenſet, ad definitionem nominum confugiendum eſt, unde conſtitutio definitiua dicitur: ut cum Rabirium conſtet contra Saturninum arma ſumpſiſſe, utrum perduellionis accuſari, & condemnari debeat, quæritur quid ſit perduellio: ut cum Ebucius armatis hominibus A. Cęcinnę reſtitit, quo minus in fundum ſuum ingrederetur, utrum uim ei intulerit; quęritur quid ſit uim inferrę. Cum de facto, & de nomine conſtat, & de iure controuerſia eſt, quod alij iuſte, alij iniuſtè factum dicunt, iuridicialis uocatur conſtitutio: ut cum à Milone Clodium interfectum conſtet, & cędem commiſſam, queritur utrum iure, an iniuria Clodius ſit occiſus. Atque hæ tres quęſtiones dicuntur conſtitutiones, ſiue ſtatus, gręcè στάσεις, quę ſunt rationales, quia rationibus, & argumentis ſine ſcripto plerunque tractantur.

Exiſtere autem controuerſias etiam ex ſcripti interpretatione, in quo aut ambiguæ quid ſcriptũ, aut contrarie, aut ita, vt à ſententia ſcriptum diſſideat: his autem omnibus partibus ſubiecta quędam eſſe argumenta propria.

EXISTERE AVTEM CONTROVERSIAS. Sunt

Sunt aliæ quæſtiones in ſcripto poſitæ, quæ à quibuſdam legales, vel ſtatus legitimi dicuntur, cum ex eo, quod ſcriptum eſt, vel in lege, vel in teſtamento, vel in quibuſlibet tabulis controuerſia naſcitur. Hæc autem triplex eſſe ſolet, prima cum ſcriptum eſt ambiguum, quod plures ſenſus habere poſſit, vt qui parentem ſenem non aluerit, vinciatur. Vtrum hæc lex de maribus tantum, an etiam de fœminis intelligatur: vt Hæres meus vxori meæ argentea vaſa triginta pondo, dato quæ volet: utrũ quæ volet uxor, an quæ uolet hæres. Secundo, cũ duo uel plura ſcripta contraria reperiuntur, cui nam ſit adhærendum, ut ſi ſit lex, Qui Tyrannum occiderit, petat præmium quod uolet: altera, Tyranno occiſo, filij etiam eius interficiantur: uxor maritum ſuũ Tyrannum interfecit, & petit filium, quem habet ex Tyranno, ſibi donari. Tertium cum ſcriptum à ſententia diſcrepare uidetur: ut Si quis nocte cum ferro deprehenſus fuerit, in carcerem conijciatur, quidam annulum ferreum habens nocte deprehenſus eſt, utrum in carcerem conijciendus. Hæc breuiter à Craſſo perſtringuntur, quæ deinde ſecundo libro, fuſius ab Antonio dicetur. Hæ uerò ſingulæ quæſtiones propria quædam habent argumenta, quibus uel confirmari, uel infirmari poſſunt.

Sed cauſarum, quæ ſint à communi quæſtione ſeiunctæ, partim in iudicijs verſari, partim in deliberationibus: eſſe etiã genus tertiũ, quod in laudãdis, aut vituperandis hominibus poneretur: certoſque eſſe locos, quibus in iudicijs vteremur, in quibus æquitas quæritur: alios in deliberationibus, qui omnes ad vtilitatem dirigerentur eorũ, quibus conſilium daremus: alios item in laudationibus, in quibus ad perſonarum dignitatem omnia referrentur.

SED CAVSARVM. Cauſæ quæ ſunt de re certis in perſonis & temporibus locata, in tria genera diſtinguuntur, nam aliæ uerſantur in iudicijs, quæ cauſe forenſes dicuntur; vnde iudiciale genus: aliæ in ſententijs dicendis, quæ deliberationes uocantur, unde genus deliberatiuum: aliæ in laudando, & uituperando, quæ exornationes appellantur, unde genus demonſtratiuum. CERTOSQVE ESSE LOCOS. Hæc tria genera ſuos fines habent diſtinctos.

nam

nam in iudicijs omnia debent ad æquitatem dirigi in deliberationibus quæritur vtilitas, in demonſtratiuo dignitas & honeſtas.

Cumq; eſſet omnis oratoris uis, ac facultas in quinque parteis diſtributa, vt deberet reperire primùm, quid di ceret, deinde inuenta non ſolùm ordine, ſed etiam momento qnodam atque iudicio diſpenſare, atque ornare oratione: poſt memoria ſæpire: ad extremum agere cum dignitate, & venuſtate, etiam illa cognoram, & acceperam, ante quàm de re diceremus, initio conciliandos eorum eſſe animos, qui audirent: deinde rem demonſtrandam: poſtea controuerſiam conſtituendam: tum id, quod nos intenderemus, confirmandum: poſt, quæ contrà dicerentur, refellenda: extrema autem oratione, ea, quæ pro nobis eſſent, amplificanda & augenda, quæque eſſent pro aduerſarijs, infirmanda, atque frangenda.

CVMQVE ESSET OMNIS ORATORIS VIS. Rhetoricæ quinque partes ſunt, Inuentio, Diſpoſitio, Eloquutio, Memoria, Pronunciatio. Primum igitur reperire oportet ea, quibus cauſam noſtram confirmemus, & rationes aduerſariorum refellamus. Hæc autem ars inueniendi Topica dicitur, quæ locos docet, & ſedes argumentorum. Sunt qui melius aliena refellunt, quàm ſua confirment, quoniam facilius eſt deſtruere, quam conſtruere. Hieronymus de Lactantio; vtinam tam bene noſtra confirmaſſet, quam aliena deſtruxit. IVDICIO DISPENSARE. Nihil enim melius ipſo ordine; ſicuti Xenophon dixit. Itaque nihil prodeſt inuentio, niſi res inuentæ benè diſponantur, ſicut in acie milites præliaturi: qua laude in bello Pyrrhus potisſimum excelluit, nemo enim eo melius capere locum, exercitum inſtruere, nouit vnquam, in oratione, diſpoſitionis laudem, ſicut & reliquarum virtutum Demoſthenes, & Cicero tulerunt: hic autem iudicio magno opus eſt. DENIQVE

VESTIRE. Metaphora à corpore ſumpta. Hoc autem oratoris eſt proprium, oratio polita atque ornata, & aptè diſtinctè, atque ornatè dicere. MEMORIA SEPIRE. Eſt enim Memoria, vt ait Ariſt. reſumptio alicuius rei apprehenſæ, vel ſenſu, vel intelligentia, quæ pars, vt ait in Oratore Cicero, cuſtos eſt cæterarum ingenij partium, & 1. Tuſcul. memoriam putat inſigne diuinitatis argumentum. Habetur autem à natura, ſed exercitatione plurimum confirmatur. Cicero de Senectute ita Catonē loquentem facit, Pythagoreorū more exercēdæ memoriæ gratia, quid quoque die audierim, dixerim, egerim, commemoro veſperi. Virgilius in Epigramate de viro bono,

Nec prius in dulcem declinat Lumina ſomnum
Omnia quam longi reputauerit acta diei.

AD EXTREMVM AGERE. Actio, quæ etiam Pronunciatio dicitur, magnam habet vim in oratore huic primas, ſecundas, ac tertias Demoſthenes tribuit; hac tantum valuit Hortenſius, vt longo tempore Cicerone ſuperior, deinde par haberetur. ANTEQVAM DE RE DICEREMVS. Hic partes orationis attingit, & ſex conſtituere videtur, hoc eſt, exordium narrationem, propoſitionem, confirmationem, refutationem, perorationem: in Exordio conciliantur animi, in Narratione res demonſtratur in Propoſitione controuerſia conſtituitur, in confirmatione quod intendimus probare oportet, in Refutatione quæ contra dicuntur, refellenda ſunt, in Peroratione rationes noſtræ ſunt amplificandæ & aduerſariorum deprimendæ.

Audieram etiam quæ de orationis ipſius ornamentis traderentur, in qua præcipitur primum, vt purè & Latine loquamur: deinde vt plane & dilucide: tum vt ornate: pòſt ad rerum dignitatem apte, & quaſi decore, ſingularumque rerum præcepta cognoram. Quin etiam, quæ maxime propria eſſent naturæ, tamen his ipſis artem adhiberi videram: nam de actione, & de memoria quædam breuia, ſed magna cum exercitatione præcepta guſtaram.

AVDIERAM ETIAM. Hic Elocutionis virtutes tangit, quæ præ-

præcipuè quatuor numerantur, Prima eſt, vt ſit pura, & latina, hoc eſt, vt barbariſmi, & ſolæciſmi fœditas abſit. Secunda, vt ſit plana, & dilucida. Nam Ariſtoteles, præcipuam orationis virtutem putat eſſe, σαφήνειαν, ideſt, vt Quintilianus interpretatur perſpicuitatem. Nam oratio eſt interpres mentis, quæ ſemper vitioſa eſt, cum eget interprete. Tertia eſt, vt ſit ornata; hoc eſt uarijs figuris, & verborum, & ſententiarum quaſi ſtellis quibuſdam diſtincta, quæ ideo exornationes dicuntur. Quarta ut ſit apta & decora, hoc eſt rebus ipſis conueniens, & perſonis. Nam aliquando ſublimis, aliquando temperata, & æquabilis, aliquando tenuis eſſe debet. QVIN ETIAM QVÆ MAXIME. Dantur etiam memoriæ, & pronunciationis præcepta, licet hæ duæ partes magis quàm cæteræ à natura adiuuentur. Nam Simonides artem memoriæ reperiſſe dicitur, quæ conſtat locis & imaginibus. Chironomia uerò, & paleſtra geſtus aptos, & rebus accommodatos docebat. & Phonaſci uocem exercebant.

In his enim fere rebus omnis iſtorum artificum doctrina verſatur, quam ego ſi nihil dicam adiuuare, mentiar. habet enim quædam quaſi ad commonendum oratorem, quò quidque referat, & quò intuens, ab eo, quodcumque ſibi propoſuerit, minus aberret. Verùm ego hanc vim intelligo eſſe in præceptis omnibus, non vt ea ſecuti oratores, eloquentiæ laudem ſint adepti, ſed, quæ ſua ſponte homines eloquentes facerent, ea quoſdam obſeruaſſe, atque id egiſſe. ſic eſſe non eloquentiam ex artificio, ſed artificium ex eloquentia natum: quod tamen, vt antè dixi, non eijcio. Eſt enim etiam ſi minus neceſſarium ad bene dicendum, tamen ad cognoſcendum non illiberale. Ea exercitatio quædam ſuſcipienda vobis eſt (quamquam vos quidem iampridem eſtis in curſu) ſed ijs, qui ingrediuntur ad ſtudium quique ea, quæ agenda ſunt in foro, tanquam in

acie,

acie, poſſunt etiam nunc exercitatione quaſi ludi cra prędiſcere, ac meditari.

IN HIS ENIM FERE REBVS. Summa totius artis Rhetoricæ hæc eſt, quam Craſſus breuiter complexus eſt. SI NIHIL DICAM ADIVVARE. Prodeſt enim ars omnino quia certior eſt dux, quam natura; verum ſciendum eſt, rationem pręceptis accommodari ad exercitationem oportere: nulla enim ars ſine longa exercitatione poteſt acquiri. VERVM EGO HANC VIM. Quęrit Craſſus, vnde ars ſit nata? & reſpondet ex obſeruatione. Cum enim priſci homines aduerterent alios melius, alios deterius dicere, cauſam huius differentiæ quæretens, artem inuenerunt, vt etiam Rhetoricorum primo docet Ariſt. Fuerunt enim oratores etiam antequam Corax & Tyſias artem Rhetoricam inuenerint, ſed poſtea arte adiuncta, facti ſunt excellentiores. Hoc enim omnibus artibus commune eſt, vt ex obſeruatione & experientia primo natę ſint deindè longo vſu & exercitatione perfectæ: nihil enim ſimul natum eſt, & perfectum, bene igitur concludit Craſſus, non eloquentiam ex artificio natam fuiſſe: quoniam prius fuit eloquentia quam eius ars excogitaretur: ſicuti prius terra ſua ſponte fruges fundebat, quàm homines arte adhibita, terram & agros excolerent, ſed artificium ex eloquentia natum eſſe, quia nonnulli obſeruarunt ea, quæ ſua ſponte homines à natura eloquentes facerent. Non eſt tamen ars eijcienda, quę plurimum adfert adiumenti. Sicuti medicina licet ab experimento nata ſit, tamen in ea plus generalis cognitio valet, quàm rerum ſingularum experimentum. EST ENIM ETIAM. Omnino ars perdiſcenda, quæ multum adiuuat in dicendo, quod ſi etiam nihil adiuuaret, eſſet tamen cognoſcenda, quia liberalem, & ingenuum hominem decet. Eſt autem argumentum à fictione. EIVS EXERCITATIO QVÆDAM. Quartum adiungit, quod omnium eſt potẽtiſſimum, hoc eſt exercitatio. Nam tria ſupra iam enumerata ſunt, hoc eſt natura, ſtudium, ars: ſed ea tria parum admodum proſunt, niſi frequens accedat exercitatio, vel ſcribendi vel meditandi, vel dicendi. Qua in re Cicero gloriatur neminem vnquam ſe diutius exercuiſſe. Demoſthenes tamen ſubterraneum habuiſſe domicilium fertur, in quo aſſiduè ſe exercebat, & aliquando capitis & barbæ dimidiam partem radebat, vt cogeretur in eo loco diu latere, & ſe exercere, & ne ſibi liberum eſſet, in conſpectum hominum venire, auctor eſt Plutarchus. IN FORO TANQVAM IN ACIE. Cicero frequenter forum prælio comparat, Declamationem paleſtrę Demetrius Phalereus tantum eloquentiam in pace, quantum in bel-

ſo gladium valere dicebat. QVASI LVDICRA. Metaphora ab ijs, qui ſe vmbratili pugna exercent: vt in prælio ſe deinde fortius gerant.

Hanc ipſam, inquit Sulpicius, noſſe volumus: àttamen iſta, quæ abs te breuiter de arte decurſa ſunt, audire cupimus, quamquam ſunt nobis quoque non inaudita: verùm illa mox, nunc de ipſa exercitatione quid ſentias, quærimus. Equidem probo iſta, Craſſus inquit, quæ vos facere ſoletis: vt, cauſa aliqua poſita, conſimili cauſarũ earum, quæ in forum deferuntur, dicatis quàm maximè ad veritatem accommodatè: ſed plerique in hoc vocem modò, neque eam ſcienter, & vireis exercent ſuas, & linguæ celeritatem incitant, verborumq; frequentia delectantur. in quo fallit eos, quod audierunt, dicendo, homines, vt dicant, efficere ſolere.

HANC IPSAM INQVIT SVLPITIVS. Quoniam exercitatio plurimũ in omni arte valet, vt in militia, vnde etiam exercitus dicitur; & in dicendo, vnde Demoſthenes illud in ore frequẽter habeat μελετὴ πάντα δύναται. id eſt, exercitatio põt omnia. Ideo Sulpitius cupit à Craſſo aliquam exercitationis rationem intelligere, quamuis oſtendat ſibi gratum etiam fore, ſi de arte fuſius dixerit. Sed in primis de exercitatione vult audire. DECVRSA SVNT. Nouè dixit, & à curſoribus deducta metaphora. EQVIDEM PROBO ISTA. De exercitatione dicturus Craſſus, primo ponit ea, quæ probat in alijs, & quæ improbat, deinde ſententiam etiam ſuam adiungit. Primo igitur declamandi conſuetudinem laudat, modo cauſæ, atque themata proponantur, quæ conſimilia ſint earum cauſarum, quæ in forum deferuntur: hunc locum Quintilianus ſecundo libro ſic explicat; ſint materiæ, quæ fingentur quam ſimilimæ veritati, & declamatio quãtum maximè poteſt, imitetur eas actiones: in quarum exercitationem reperta eſt, ſicut etiam umbratilis pugna, ſimilitudinem quandam habere debet, cum verò prælio. Quare cauendum

eſt in

eſt in hac exercitatione, ne vox tantum & vires exerceantur; ſicuti quidam ſolent; qui ſine vlla ſcientia quærunt linguæ celeritatem, & verborum copiam, nam huiuſmodi homines, nō veram eloquentiam ſed inaneam loquacitatem ſibi comparāt. IN QVO FALLIT EOS. Decipiuntur, inquit, iſti, propter vulgare quoddam prouerbium, quo dici ſolet, Dicendo homines, vt dicant efficere ſolere, quemadmodum vulgo etiam dicitur, Fabricando fabri fiunt. Prouerbium hoc ita græcè profertur, ἐκ τοῦ λέγειν τὸ λέγειν πορίζεται. Syrianus Euagoram Sophiſtam reprehendit, quod exiſtimaret, dicendi facultatem non ratione aliqua, ſed vſu tantum & exercitatione conſtare.

ne malè dicamus dicendo

Quintil.

Syrian.

Vere enim etiam illud dicitur, *peruerſè dicere, homines, peruerſè dicendo, facillimè conſequi*. Quamobrē in iſtis ipſis exercitationibus, etſi vtile eſt, etiam ſubitò ſæpe dicere, tamen illud vtilius, ſumto ſpacio ad cogitandum, paratiùs, atque accuratiùs dicere.

VERE ENIM ETIAM ILLVD. Aliud huic opponit, quod non minoris momenti eſt. Qui enim malè ſe in aliqua arte exercent, malum etiam habitum contrahunt, vt non facilè deinde poſſint eum exuere. Peruerſè igitur dicendo, facillimè peruerſè dicere conſequuntur. QVAMOBREM IN ISTIS. Suam nunc interponit ſententiam qua docet, longè vtilius eſſe ſumere ſpacium ad meditandum & cogitandum, quoties volumus quam ſubito, atque ex tempore dicere.

Caput autem eſt, quod (vt verè dicam) minimè facimus (eſt enim magni laboris, quem plerique fugimus) quàm plurimum ſcribere. *Stilus, optimus, & præſtantiſſimus dicendi effector, ac magiſter:* neque iniuria. Nam ſi ſubitam, & fortuitam orationem commentatio, & cogitatio facilè vincit: hanc ipſam profectò aſſidua, ac diligens ſcriptura ſuperabit.

CAPVT AVTEM EST. Nihil tam vtile eſt ad eloquentiam comparandam, quam plurima ſcribere, prodeſt quidem lectio, prodeſt ſtudium, proſunt artis præcepta, proſunt declamationes, & ſubitæ dictiones, ſed nihil magis prodeſt, quam aſsidua, & accurata ſcriptio. Cur igitur tàm pauci ſe in ſcribendo exercent? an quia vtilitatem non vident? vel potius, quia hoc maximè laborioſum eſt, & plerique laborem fugere ſolent. Nam vt ait Terentius.

Ingenium hominum à labore procliue eſt ad libidinem.

Hæc eſt cauſa, inquit Craſſus, quod minimè ſcribimus, quia magni laboris eſt; ſed qui res magnas, & magnoperè expetendas cupiunt, ij nullum ſubterfugere laborem debēt. STYLVS OPTIMVS. Sententia pulcherrima, quam in ore ſemper eos habere opus eſſet, qui eloquentiæ laudem expetunt. Stylum autem poſuit pro ſcribendi exercitatione, & pro ipſa ſcriptione. Nam ſtylus propriè fuit æneum inſtrumentum, quo veteres in tabulis ceratis ſcribere conſueuerant, vt quidam etiam hoc tempore in albis tabellis ſine atramento paruo ſtylo ſcribunt. Vnde ſtylus pro ſcriptione ponitur, vt hoc loco & pro dicendi genere: vt, Terentius, Diſsimili oratione factæ ſunt, ac ſtylo, ubi Donatus ait, oratio in ſenſu, ſtylus in uerbis, ita Cicero in Bruto, unus enim ſonus eſt, totius orationis, & idem ſtylus. Hinc dicere ſolemus Ciceronis ſtylum elegantiſsimum eſſe, Quintiliani acutum, Plinij varium, ideſt, dicendi genus. Et in Bruto legitur orationes attico ſtylo ſcriptas. Stylum vertere, ſignificat immutare, quod ſemel ſcriptum fuit. Horatius 1. Serm.

Sæpe ſtylum vertas iterum quæ digna legi ſunt. Scripturus.

Et pro notatione ac reprehenſione ſtylus interdum capitur, vt Plinius in præfatione; Quod ſi hoc Lucilius, qui primus condidit ſtyli naſum, ſibi dicendum putauit: & Cicero pro A. Cluentio dixit, Cenſorium ſtylum pertimeſcere, ideſt notationem cenſorum. Idem Cic. 2. Philipp. dixit, Si meus ille ſtylus fuiſſet, hoc eſt, ſi negocium illud ego ſuſcepiſſem, à ſcriptoribus fabularum ſumpta metaphora, ſic enim ait; Et ſi meus ille ſtylus fuiſſet, ut dicitur, mihi crede non ſolum unũ actum ſed totã fabulam confeciſſem. NAM SI SVBITAM. Argumentum à conſequentibus. Tres ſunt exercitationis ſpecies: prima ſubita dicitur, & fortuita, quæ fit ex tempore: altera parata & accurata, quæ fit ſumpto ſpacio ad cogitandum, & commentandum: tertia aſsidua ac diligens ſcriptura. Prima quidem utilis eſt, ſed ſecunda utilior: tertia uerò omnium utiliſsima. Argumentum eſt huiuſmodi, ſi cogitatio ſola ſubitam dictionem uincit, multò facilius cogitata, & diligens ſcriptura eandem ſuperabit. Debet autem ſcri-

ptura

ptura duas res habere: Primo ut ſit aſsidua, neque enim ſemel tantum, aut bis ſcribere ſatis erit, uerum ſæpiſsimè ſcribendum eſt, deinde ut ſit diligens. Quamuis enim aliquis multa ſcribat, tamen niſi diligenter id faciat, nunquam politè ſcribere poterit, opus eſt igitur ſumma in ſcribendo diligentia.

Omnes enim ſiue artis ſunt loci, ſiue ingenij cuiuſdam, atque prudentiæ, qui modò inſunt in ea re, de qua ſcribimus, amquirentibus nobis, omnique acie ingenij contemplantibus, oſtendunt ſe, & occurrunt: omneſque ſententiæ, verbaque omnia, quæ ſunt cuiuſque generis, maximè illuſtria, ſub acumen ſtili ſubeant, & ſuccedant neceſſe eſt: tum ipſa collocatio, confirmatioque verborum perficitur in ſcribendo: nō poetico, ſed quodam oratorio numero, & modo.

OMNES ENIM SIVE. Tres cauſas adfert, quare utiliſsimum ſit quamplurima ſcribere, quæ quidem totum opus oratorium perficiunt. Prima eſt, quod ſcriptura plurimum ad inuentionem prodeſt. Altera quod ad elocutionem mire conducit. Tertia quod in ſcribendo collocatio, & conformatio verborum numerum efficit oratorium. Ac primo ſcriptura prodeſt ad inuentionem, quia dum ſtylum manu tenemus, & cogitamus, loci & ſedes argumentorum nobis occurrunt, & omnia quæ de ea re, de qua dicturi ſumus, dici poſſunt, nobis in mentem veniunt, ac paulatim ſe nobis ingerunt, quod cum ſubito dicimus, accidere non poteſt. Loci uero, non quoſlibet, ſed ingenioſos tantum, & exercitatos adiuuant. Hæc eſt cauſa cur dixerit Craſſus, ſiue artis ſint loci, ſiue ingenij cuiuſdam atque prudentiæ. Nihil enim fœcundius eſt ingenio bene ſubacto & exercitato. cui ſtatim res ipſæ ſuccurrunt. Altera cauſa pertinet ad elocutionem, quæ figuris ſententiarum & uerborum maximè illuſtratur, & exornatur. Dum igitur ſcribimus, occurrunt nobis ſententiæ, & uerba cuiuſque generis, & graues, & mediocres, & tenues ſententiæ. Similiter uerba propria, tranſlata, nitida, conſonantia, & quæ ſunt his contraria, ex quibus omnibus licet eligere, quæ propoſitæ materiæ conueniant. Tertia cauſa maximi momenti eſt; nam fortaſſe ſubito etiam dicentibus, & argumenta, & uerba non deficiunt aliquando, ſed ita collocare,

care, & conformare uerba, & oratorium, & maieſtatis plenum numerum efficiant, nemo niſi multum ſcribendo aſſequi unquam poterit, numerus autem oratorius, non poeticus eſſe debet, de qua re in Orat. ad Brutum multa diſputantur.

Hæc ſunt, quæ clamores & admirationes in bonis oratoribus efficiunt, neque ea quiſquam, niſi diu, multumque ſcriptitarit, etiam ſi vehementiſsime ſe in his ſubitis dictionibus exercuerit, conſequetur: & qui à ſcribendi conſuetudine, ad dicẽdum venit, hanc affert facultatem, vt, etiam ſubitò ſi dicat, tamen illa, quæ dicantur, ſimilia, ſcriptorum eſſe videantur: atque etiam ſi quando in dicendo ſcriptum attulerit aliquid, cùm ab eo diſceſſerit, reliqua ſimilis oratio conſequetur.

HÆC SVNT, QVÆ CLAMORES. Hæc tria, nempe acuta inuentio, ornata elocutio, numerus oratorius, efficiunt ut audientes clament, plaudant, & admirentur, & quaſi attoniti ſequantur, quocumque orator eos traxerit, ſicut Hercules ille Ogmius de quo Lucianus ſcribit, quem prudentiæ atque eloquentiæ Deum Celtæ exiſtimabant, atque ideo ſimulachrum eius ita fingebant: ut ab eius lingua quam plurimæ catenæ aureæ profluerent, quæ maximam hominum multitudinem auribus alligatam, ita traherent, ut tamen omnes libentiſsimè ſequi uiderentur, quo figmento maximam eloquentiæ uim & iucunditatem ſignificabant. Quin Pop. Ro. cum aliquid egregium ab oratoribus audiebat, ſæpè propter admirationem exclamabat. Cicero in Oratore ad Brutum de ſe ipſo loquens, ſic ait; Quantis illa clamoribus adoleſcentuli diximus de ſupplicio parricidarum. NISI DIV MVLTVMQVE. Nemo ſperet ſe poſſe admirationem in dicendo concitare, niſi longo tempore frequenterque in ſcribendo ſe exercuerit, quod antiqui illi diligenter obſeruabant. Vnde Cicero Brutum ita laudat in Oratore. Iam quantum illud eſt, quod in maximis occupationibus, nunquam intermittis ſtudia doctrinæ, ſemper aut ipſe ſcribis aliquid, aut me uocas ad ſcribendum. C. Carbo etiam in tabernaculo, & ſub pellibus, aſsiduè ſcribere conſueuerat. Cæſar Auguſtus ad populum nunquam niſi de ſcripto loquebatur, cum tamen illi latinam linguam naturalem haberent, quò magis

eſt, à

eſt, à nobis laborandum; qui iampridem latinè loqui deſtitimus. IN HIS SVBITIS DICTIONIBVS. Aliqui tamen reperti ſunt, qui melius ex tempore dicerent, quam ſumpto ſpacio ad cogitādum, quod de Tiberio Cæſare Suetonius ſcribit. A SCRIBENDI CONSVETVDINE. Qui ſe multum in ſcribendo exercet, eum habitum comparat, vt etiam ſi poſtea dicat ex tempore, tamen ea quæ dicit, non aliter ac ſi ſcripta fuiſſent, polita & elaborata eſſe videantur, quod nunquam eis accidit, qui non diu multumque ſcriptitant. Vt M. Antonio, qui licet acutus eſſet in dicendo, non tamen elegantis aut politi oratoris laudem adeptus eſt. SCRIPTVM ATTVLERIT. Sæpè enim accidebat, vt ſcriptas orationes in forum aut Senatum deferrent: vt pro Cn. Plan. de oratione quam habuit poſt reditum in Senatu. Quæ propter eius magnitudinem dicta de ſcripto eſt. Epiſtolarum libro 10. Id, ex ipſo S.C. poteris cognoſcere: ita enim eſt ſcriptum, vt à me de ſcripto dicta ſententia eſt. ad Att. 4. Propoſita Marcellini ſententia, quam ille de ſcripto ita dixerat. Philippica 10. ita enim dixiſti & quidem de ſcripto; nam te inopia verbi lapſum putarem, niſi tuam in dicendo facultatem noſſem.

Vt concitato nauigio cùm remiges inhibuerunt, tamen ipſa nauis motum, & curſum ſuum, intermiſſo impetu, pulſuque remorum: ſic in oratione perpetua, cùm ſcripta deficiunt, parem tamen obtinet oratio reliqua curſum, ſcriptorum ſimilitudine, & vi concitata.

VT CONCITATO NAVIGIO. Venuſta ſimilitudo. Nam frequenter à nauigantibus tranſlationes & ſimilitudines Cicero ſumit, vt dare vela, pandere uela, contrahere vela orationis. Et hoc loco ſimilitudine huiuſmodi vtitur: cum in aqua nauis impulſu remorum concitata eſt, etiam ſi remiges inhibeant remos, tamen ipſa nauis curſum ſuum tenet, & progreditur: ita in dicendo, cum quis à ſcripto ceperit, etiam ſi ſcripta deficiant, tamen oratio reliqua ſcriptorum ſimilitudine curſum obtinet. CVM REMIGES INHIBVERVNT. Hoc eſt remos ſuſtulerunt, & non amplius nauem impellunt, ſed eam ſinunt ſua ſponte procedere. ita Quintil. libro 12. vnum modo in illa immenſa uaſtitate cernere uidemur M. Tullium, qui tamen ipſe, quamuis tanta tāque inſtructa naui, hoc mare ingreſ-

ſus

ſus contrahit vela, inhibetque remos. Sic dicimus inhibere imperiũ, hoc eſt, prohibere ne quis imperio ſolito utatur: propriè tamen remiges inhibere dicuntur, cum nauem retro uertere uolentes, currentis impetum remorum impreſsione retardant. Cicero ad Att. 13. oſtendit ſe aliquando deceptum in hoc uerbo fuiſſe cum ſic ait; Eſt enim verbum totum nauticum quanquam id quidem ſciebam, ſed arbitrabar ſuſtineri remos, cũ inhiberi eſſent remiges iuſsi. Id non eſſe eiuſmodi didici heri, cum ad villam noſtram nauis appelleretur. non enim ſuſtinent, ſed alio modo remigant. Valla libro 5. ſic ait; inhibere, eſt rem inceptam, ne procedat impedire. Virg. 12.

Parcite iam Rutuli, & uos tela inhibete Latini.

Plinius dixit inhibere aluum, pro eo quod eſt ſiſtere, & aſtringere.

In quotidianis autem cognitionibus equidem mihi adoleſcentulus proponere ſolebam illam exercitationem maxime, qua C. Carbonem, noſtrum illum inimicum, ſolitum eſſe vti ſciebam, ut aut uerſibus propoſitis quam maxime grauibus, aut oratione aliqua lecta ad eum finem, quem memoria, poſſem comprehendere, eam rem ipſam, quam legiſſem, uerbis alijs quam maxime poſſem lectis pronunciarem.

IN QVOTIDIANIS AVTEM COGITATIONIBVS. Proponit alia duo genera exercitationis, quorum alterum damnat, alterum laudat; quamuis utroque ſe in adoleſcentia uſum fateatur. Primum eſt id, quo etiam C. Carbonem inimicum ſuum, uti ſolere dic t: vt ex aliquo Poeta ſi ſe exercere carminibus vellet, grauiſsimos ſibi uerſus proponeret, quos eadem manente ſententia uarijs modis permutaret, vel ex oratore aliquo ſi oratione ſoluta ſe uellet exercere, locos grauiores notaret, quos alijs uerbis pronunciaret. Hoc exercitationis genus, ſimile eſt paraphraſi, cum eundem ſenſum alijs uerbis explicamus, quod ſanè perquam uitioſum eſt, & uehementer improbandum, præſertim hoc tempore, neque enim ullo modo fieri poteſt ut elegantius, aut melius antiquis ſcriptoribus dicamus. Itaque ſi ſententias eorum alijs verbis explicamus, neceſſe eſt, vt ea deteriora ſint, quo fit ut latinam linguam inquinemus. Quare damnandi ſunt

ij, qui

ij,qui ueteres autores ita interpretantur, vt ſingulis verbis paraphraſin ſuam adhibeant ; hoc enim nihil aliud eſt, quàm auditoribus,& diſci pulis barbariem incu lcare.longè utilior eſt ea exercitatio,cum aut ver ſus eleganter in ſolutam orationem, quàm maximè fieri poteſt accuratè conuertimus; aut contra, cum ex oratione ſoluta verſus facimus Prodeſt etiam mirificè,Ciceronis orationes,aut epiſtolas in uernaculum ſermonem transferre, deinde iterum amoto Cicerone in latinum conuertere : poſtea verò conferre cum ipſo Cicerone conuerſionem noſtram : quam quidem exercitationem,nos re ipſa multum prodeſſe experti ſumus.

Sed poſt animaduerti, hoc eſſe in hoc uitij, quòd ea verba,quæ maximè cuiuſque rei propria, quæque eſſent ornatiſsima,atque optima, occupaſſet aut Ennius ſi ad eius verſus me exercerem, aut Gracchus, ſi eius orationem mihi fortè propoſuiſſem. ita, ſi ijſdem verbis uterer, nihil prodeſſe: ſi alijs,etiã obeſſe,cùm minus idoneis vti cõſueſcerem. Poſtea mihi placuit, eoque ſum uſus adoleſcens,ut ſummorum oratorum Græcas orationes explicarem. quibus lectis hoc aſſequebar,ut,cum ea,quæ legerem Græce,Latine redderem, non ſolum optimis uerbis uterer, & tamen uſitatis, ſed etiam exprimerem quædam verba imitando,quæ noua noſtris eſſent, dummodo eſſent idonea.

SED POST ANIMADVERTI. Declarat quid habeat vitij hæc exercitatio,cum enim eſſent ea tempeſtate duo oratores maximè celebres,Ennius & Gracchus,quorum Ennius erat poeta,Gracchus orator, cum vellet Craſſus ſe verſibus exercitare, ſibi Ennium proponebat,cum autem vellet exercere ſe oratione Gracchum in manus ſumebat. Ergo cum eandem ſententiam vellet explicare, neceſſe erat, vt aut eiſdẽ verbis uteretur, aut alijs:ſi ijſdem, nulla erat utilitas cum eſſet eadem ſentẽtia,atque eadem verba,ſi alijs,oberat ipſa exercitatio;quoniam verba,quæ eſſent maximè propria,ornatiſsima & optima iam Ennius & Gracchus occupaſſent. Ennius autem calaber poeta maximi nominis fuit,antequã Lucretius, Virgilius, & alij po-

litiores exorirentur. Nam Lucretius eum primum fuiſſe ait, qui apud Romanos Coronam ex Helicone detulerit, ſic enim ſcribit in primo libro.

Ennius vt noſter cecinit, qui primus amœno
Detulit ex Helicone, perenni laude coronam.

Gratus fuit Africano ſuperiori, ſicut ait Cicero pro Archia ſub quo etiam ſtipendia fecit. Vnde Claudianus,

Hærebat doctus lateri, caſtriſq; ſolebat.
Omnibus in medias Ennius ire tubas.

Gloriabatur Homeri animam in ſuum corpus veniſſe, vnde poeta factus eſſet, & ſe tria corda habere prædicabat, quod Grecè, Latinè, & Oſcè loqueretur. Poſt mortem in ſepulchro Scipionum conſtitutus eſt, vt ait Cicero pro Archia: & Ouidius;

Ennius emeruit Calabris in montibus ortus
Contiguus poni Scipio magne tibi.

Cicero ſibi ipſi hoc Epitaphium feciſſe Ennium auctor eſt.

Aſpicite o ciues ſenis Ennij imaginis vrnam
Hic veſtrum panxit maxima facta patrum.
Nemo me lachrymis decoret, nec funera fletu
Faxit, cur volito viuus per ora virum.

Quintilianus ſic ait in X. Ennium ſicut ſacros vetuſtate lucos adoremus, in quibus grandia & antiqua robora, iam non tantam habent ſpeciem, quantam religionem. De Graccho ſatis ſit illud annotare, quod ait in Bruto Cicero. Fuit inquit, Gracchus diligentia Corneliæ matris a puero doctus, & Græcis literis eruditus, nam ſemper habuit exquiſitos è Græcia magiſtros, in eis iam adoleſcens Diophanem Mitylenenum Græciæ temporibus illis diſertisſimum, & infra: ſed ecce in manibus vir & præſtantisſimo ingenio, & flagranti ſtudio, & doctus à puero C. Gracchus: noli enim putare quenquam Brute pleniorem, & vberiorem ad dicendum fuiſſe, item infra. Damnum enim illius immaturo interitu res Romanæ Latinæque fecerunt; Rurſus; eloquentia quidem neſcio an habuiſſet parem neminem; grandis eſt verbis, ſapiens ſententijs, genere toto grauis, manus extrema non acceſſit operibus eius, præclarè inchoata multa, perfecta non planè: legendus, inquam eſt hic orator Brute, ſi quiſquam alius iuuentuti, nō enim ſolū acuere, ſed etiam alere ingenium poteſt: hęc Cicero. Non igitur mirum ſi Craſſus eius orationes admirabatur, & in eis ſe exercebat. POSTEA MIHI. Ponit alterum exercitationis genus

quod vtiliſſimum eſt, vt ſummorum oratorum, qualis eſt Demoſthenes, Iſocrates Æſchines, græcas orationes latinis verbis explicemus; ſic enim manente eadem ſententia, verbis vti quam lectiſſimis poſſumus, & ad noſtram conſuetudinem accommodatis. Quo genere vſus eſt etiam frequentiſſime Cicero, nam adoloſcens non ſolum græcas orationes, latinas reddidit, ſed etiam ex Philoſophia multa tranſtulit, & Xenophontis opus, quod eſt de tuenda re familiari, in ſermonem latinum conuertit. Quod autem ait Craſſus ſe quædam verba noua fingere ſolitum, id licet etiam Horatius in arte poetica concedat, & nonnullis in locis Cicero; tamen à nobis cauendum eſt, qui non amplius latinè loquimur: nam inuſitatum & inſolens verbum, ita vitare debemus, ut nautæ ſcopulum, ſicut Iulius Cæſar præcepit. QVÆ NOVA NOSTRIS ESSENT. Sic Horatius.

Et noua fictaq; nuper habebunt verba fidem
Si Græco fonte cadant parcè detorta.

Iam vocis, & ſpiritus & totius corporis, & ipſius linguæ motus, & exercitationes, non tam artis indigent, quam laboris: quibus in rebus habenda eſt ratio diligenter, quos imitemur, quorum ſimiles velimus eſſe. Intuendi nobis ſunt non ſolum oratores, ſed etiam actores, ne mala conſuetudine ad aliquam deformitatem, prauitatemq; veniamus.

IAM VOCIS ET SPIRITVS. Eſt etiam quædam pronunciationis exercitatio, quæ non tam ab arte, quam à labore adiuuatur. Quatuor autem ſpectantur in actione, vox, ſpiritus, corporis geſtus, linguæ motus: vocem regere docent Phonaſci, vt plena ſit & iucunda, ſpiritum firmum & ſtabilem eſſe oportet, vt poſſimus verba continuare, & longiores periodos ſine reſpiratione pronunciare. qua in re firmis lateribus opus eſt, ac ſpiritū etiam exercitatione firmari poſſe, docuit Demoſthenes; vt infra docebit Antonius. Geſtus corporis artificio paleſtræ, & chironomiæ perficit. Linguę motus cōſtat expreſſa uocum explanatione, cum nihil dicitur, quod non intelligatur. Hęc autem pręcipuè conſtāt imitatione. quare diligenter aduertere debemus, qui nam ſunt à nobis imitandi vt eorum ſimiles in dicendo eſſe poſſimus. INTVENDI NOBIS SVNT.

Non tantum oratores,inquit,ſed etiam fabularum actores, ac hiſtriones intueri debemus, vt eos in geſtibus imitemur. Hęc erat cauſa cur antiqui dabant hiſtrionibus conformandos adoleſcentes, vt actionem diſcerent,& cur Cicero ſe coram Roſcio Comœdo frequenter exerceret, vt ab eo corrigetur ſi quid in geſtu peccaſſet. Quinidem Cicero ſæpe cum Roſcio certabat, vtrum ipſe pluribus modis eandem ſententiam oratione proferret, an Roſcius pluribus geſtibus exprimeret. Nam ita ſcitè quidam ſe mouebant, ut etiam ſine uoce facile poſſent intelligi: quod Demetrius Cynicus teſtatur, qui cum Romę quendam Mimum Veneris adulterium cum Marte ſaltantem vidiſſet, exclamauit. Audio quid agas ò homo, non tantum uideo. Nam mihi uideris manibus ipſis loqui hac de cauſa Lexbonax Mitylenęus Mimos appellabat χειρισόφους ideſt, manu ſapientes. Quin magnam geſtibus ineſſe vim declarant etiam muti homines, qui quicquid volunt geſtibus indicant. AD ALIQVAM DEFORMITATEM. Multi ſunt enim qui peccent in geſtibus, & motu corporis, in multas deformitates, & prauitates ueniant: aliqui enim alterno pede tanquam claudicantes inſiſtunt, in dicendo: aliqui crura decuſſant. ſunt qui indecore brachia torqueāt, ſunt qui micare digitis videantur, alij turpiter os intorquent; quidam ſupercilia contrahūt, nonnulli modo in hanc, modo in illam partem collum, aut totum corpus iactant, vt è Lyntre, quod aiunt, loqui videantur, hę ſunt, & huiuſmodi cęterę deformitates, quę diligenter in dicendo fugiendę ſunt.

Exercenda eſt etiam memoria, ediſcendis ad verbum quamplurimis & noſtris ſcriptis, & alienis. Atque in ea exercitatione non ſane mihi diſplicet adhibere, ſi conſueris, etiam iſtam locorum, ſimulacrorumque rationem, quæ in arte traditur.

EXERCENDA EST ETIAM MEMORIA. Hęc ultima eſt exercitatio, quæ maximi ponderis eſt, cum memoria rerum omnium theſaurus ſit: eius duplex eſt exercitatio, prima facilior & melior, ut multa ediſcamus & noſtra, & aliena ſcripta, quo enim plura didiceremus, eo magis memoria confirmatur: altera difficilior, & minus utilis, ut plurimos nobis locos fingamus ordine diſpoſitos, in quibus earum rerum, quas meminiſſe uolumus ſimulachra ſtatuamus. eget autem hæc longa exercitatione, & longo tempore: ſed cum quis aſſueuerit, ab ea ſæpe multum adiuuatur. ideo Craſſus ait eam ſibi non diſpli-

diſplicere. nam multi eo tempore ſe etiam in hac re exercebant. legimus Lucullum & Hortenſium plurimum hac artificioſa memoria ualuiſſe. de quibus ita Cic. habuit Lucullus diuinam quandam rerum memoriam, maiorem uerborum Hortenſius. Carneades quidam in Græcia, ſicut Plinius ſcribit, quæ quis exegiſſet uolumina in bibliothecis, legentis modo repræſentabat.

Educenda deinde dictio eſt, ex hac domeſtica exercitatione, & vmbratili, medium in agmen, in puluerem, in clamorem, in caſtra, atque aciem forenſem. ſubeundus vſus omnium, & periclitandæ vires ingenij: & illa commentatio incluſa, in veritatis lucem proferenda eſt. Legendi etiam poetæ, cognoſcenda hiſtoria, omnium bonarum artium ſcriptores ac doctores & legendi, & peruolutandi, & exercitationis cauſa laudandi, interpretandi, corrigendi, vituperandi, refellendi: diſputandumque de omni re in contrarias parteis, & quidquid erit in quaque re, quod probabile videri poſsit, eliciendum atque dicendum.

EDVCENDA DEINDE DICTIO EST. Poſtquam ſatis aliquis domi aut in ſcholis exercitatus fuerit, tunc in forum in Senatum, in concionem prodeundum eſt, vt veras agat cauſas: vtitur autem metaphoris ab arte militari ſumptis: Vmbratilem vocat exercitationem, quæ domi, atque in vmbra fit, Vt vmbratilis pugna, qua quis priuatim in armis ſe exercet, Cicero 2. Tuſcul. vitam vmbratilem appellat mollem, & delicatam. ſicuti Plautus in Curcul. hominem vmbraticum vocat, qui domi ocioſus in vmbra ſedeat. Græci, qui molliter, ac delicate viuunt σκιατροφίας vocant, quaſi in vmbra nutritos. MEDIVM IN AGMEN. Vt tyrones in campo Martio diu prius exercitati, poſtea medium in agmen prodibant, ergo tranſlatè dicuntur medium in agmen prodire, qui cum aduerſarijs in foro aut in Senatu congrediuntur, vt Cicero adoleſcens contra Sex: Neuium pro P. Quintio, & contra Chryſogonum Syllæ pro Roſcio Amerino. IN PVLVEREM. Hoc vmbratili exercitationi contrarium ponit, nam in prælio ſæpe magnus puluis excitatur: vnde ſine

pul-

puluere dicuntur illi vincere, qui paruo labore victoriam reportant. Horatius in arte.

Cui ſit conditio dulcis ſine puluere palmæ.

IN CLAMOREM. Maximos enim clamores tollebant Romani in prælijs, cum in hoſtes ruerent, imitantes Troianos, vnde originem trahebant; quorum Homerus eam tradit fuiſſe conſuetudinem, vt magno cum clamore prælium inirent. Virgilius in duodecimo Æneidos;

Exoritur clamorque virum, clangorque tubarum.

IN CASTRA, ATQVE ACIEM FORENSEM. Perſeuerat in tranſlatione; nam totam oratoris artem militiæ comparat. Oratoris caſtra forum eſt, & loca iudicijs deſtinata, acies ſunt argumenta, rationesque quibus aduerſarios euertere conatur. SVBEVNDVS VSVS. Nam vſus aſsiduus, & artem & ingenium ſæpè vincit. in foro vires apparent ingenij, ubi non fictæ ſunt declamationes, ſed uerum certamen, non umbra & tenebræ, ſed lux eſt ueritatis, itaque multi licet in declamando plurimum ualerent, tamen in foro propter inſolentiam uerſari non poterant, quod de Portio Latrone legimus: opus eſt igitur uſu & experientia; à qua ſicut artis origo fuit, ita eſt etiam eiuſdem perfectio. LEGENDI ETIAM POETÆ. Nunquam ſunt intermittenda ſtudia doctrinæ, nam etiam cum quis in foro, & in cauſis maioribus uerſari cæperit, Debet tamen horis ſuccisſiuis ſe exercere legendo, declamando, ſcribendo. uoluendum eſt enim omne ſcriptorum genus; atque in primis poetæ, qui non ſolum acuunt, ſed etiam alunt ingenium; quoniam ut ſupra dictum eſt, finitimus, eſt oratori Poeta. Cicero pro Archia Poeta fatetur ſe poeticæ ſtudijs ideo magnopere delectari, quod ex eis creſcat oratio, & dicendi facultas: an tu, inquit, exiſtimas aut ſuppetere nobis poſſe, quod quotidie dicamus in tanta uarietate rerum niſi animos noſtros doctrina excolamus. COGNOSCENDA HISTORIA. Debet enim orator, ut Quintilianus docet, exemplis, & ueteribus, & nouis abundare, quæ ſæpe teſtimoniorum, & iudicatarum rerum locum obtinent, quod ſine hiſtoriæ cognitione fieri nullo modo poteſt, quin etiam ea quæ ficta ſunt à clarioribus poetis negligere non debet, quia grauia plerunque rectè uiuendi præcepta ſub eis figmẽtis latent. Senibus ideo maior auctoritas tribuitur, quia plura noſſe creduntur, nam neſcire quid antequam natus ſis acciderit, eſt ſemper eſſe puerum; ut in Oratore ad Brutum ait Cicero. OMNIVM BONARVM ARTIVM. Nulla eſt ars ingenua, quæ nõ oratori aliquo modo prodeſſe poſsit. Itaque legere ac peruolutare omnium

nium bonarum artium ſcriptores opus eſt, atque ut alatur, & acuetur ingenium, magnopere proderit bonos auctores interdum laudare, interdum uituperare, modo interpretari, modo refellere; & cum eis quodammodo certare. IN CONTRARIAS PARTES. Hæc fuit Academicorum, & Peripateticorum uetus conſuetudo, ut de omnibus rebus in utramque partem diſputarent, qua in re ſolebat Ariſtoteles pomeridianis horis iuuenes exercere. idem etiam opus ad hanc rem utiliſsimum Topicorum conſcripſit, in quo locos plurimos in contrarias partes diſputandi tradit, in quibus ſi quis diligenter ſe exerceat, facilè poterit eam artem percipere, atque ex omni re propoſita quid uerisimile ſit elicere. neque enim orator neceſſarias probationes quærit, ſed uerisimiles tantum & probabiles, ſicut etiam Dialecticus.

Perdiſcendum ius ciuile, cognoſcendæ leges, percipienda omnis antiquitas, ſenatoria conſuetudo, diſciplina reip. iura ſociorum, fœdera, pactiones, cauſa imperij cognoſcenda eſt, libandus eſt etiã ex omni genere vrbanitatis facetiarum quidam lepos: quo, tanquam ſale, perſpergatur omnis oratio. Effudi vobis omnia, quæ ſentiebam, quæ fortaſſe, ſi quemcumque patremfamiliàs arripuiſſetis, ex aliquo circulo, eadem vobis percontantibus reſpondiſſet.

PERDISCENDVM IVS CIVILE. Quia, ſicut infra docebit, multæ cauſę, controuerſiæque forenſes accidere ſolent, in quibus de iure ciuili diſputandũ ſit, quod imperitus iuris facere nullo modo poterit, differt autem à legibus ius ciuile, quod leges ſunt, quæ docent, quę facienda ſunt, prohibent contraria, à legiſlatoribus communi conſenſu latæ, & probatę. Ius autem ciuile nihil aliud eſt, quàm legum cognitio, & interpretatio, vnde iuriſconſulti, vel iuriſprudentes dicuntur, qui leges interpretantur. Hæc eſt cauſa cur Craſſus à legibus ius ciuile ſeparat, ſubiungit enim. COGNOSCENDÆ LEGES. Et duodecim tabularum, & quæ poſt eas latę ſunt. nam in legibus ſalus eſt, & tranquillitas totius ciuitatis, vt ait Ariſt. vnde merito Demoſthenes leges appellat ciuitatis animam: ut etiam Cicero pro A. Cluent. PERCIPIENDA OMNIS ANTI-

QVI-

QVITAS. Debet eſſe diligens orator, ut antiquorum mores & inſtituta cognoſcat. quoniam hoc non tantum ad dicendi copiam pertinet, ſed etiam ad prudentiam augendam. itaque Homerus Vlyſsem ſuum ita laudat;

Dic mihi Muſa virum captæ poſt mœnia Troiæ,
Qui mores hominum multorum vidit, & vrbes.

Ariſt. multarũ Rerump. mores & inſtituta collegit, vt auctor eſt Cicero, fuit. n. antiquitatis ſtudioſiſsimus. Cic. in Piſonẽ vehemẽter inuehitur, quod non leges, nõ inſtituta, non mores, nõ iura no'ſet. SENATORIA CONSVETVDO. Cum enim in Senatu ſæpè dicenda ſententia ſit, Senatoriæ conſuetudinis ignarum eſſe minimè oportet: maior. n. pars deliberationum ad Senatũ pertinet. DISCIPLINA REIP. Quæ vel generalis eſt, vt quæ à Platone, & Ariſtotele traditur, & de qua ſex libros ſcripſit etiam Cicero; quæ quidem moralis Philoſophiæ magna quædam, atque ampla pars eſt, vel ſingularis, vt quæ ad vnam quamque ciuitatem pertinet, vtramque noſſe debet orator. IVRA SOCIORVM. Socij atque amici pop. Rom. dicebantur, qui ita cum Romanis ſocietatem inierant, vt tamen ſuis legibus vterentur, & cum opus eſſet Romanis auxiliarios milites darent, ſed alij alio iure cum Romanis coniuncti erant debet igitur orator eorũ iura non ignorare. FOEDERA, PACTIONES. Fœdera diſtant à pactionibus, ſicuti ſpecies à genere, nam omnia fœdera ſunt etiam pactiones, ſed non contra, neque enim omnes pactiones dici fędera poſſunt, nam pactiones ſunt etiam, induciarum, captiuorum, vectigalium, quæ fœdera non dicuntur, ſunt etiã priuatæ pactiones, quæ iuri præſtare dicuntur. Fœdus autem, vt vult Seruius, pax eſt quæ fit inter dimicantes. Cuius tria ſunt genera; ſicuti ſcribit Liuius IIII. de bello Maced. vnum cum bello victis dicuntur leges. Alterum cum pares bello, æquo fœdere in pacem atque amicitiam veniunt; Tertium genus, cum qui hoſtes nunquam fuerint ad amicitiam ſociali fœdere iungendam coeunt. Cicero pro Cornelio Balbo, Cn. Pompeium fœderum omnium pertisſimum fuiſſe oſtendit. CAVSA IMPERII COGNOSCENDA. Hunc locum quidam interpretes mire peruertunt. cum tamen facilis ſit. Quidam enim cauſam, ideſt principium intelligunt imperij: quidam partes & factiones, vt ſub Sylla & Cæſare, quod ridiculum eſt. Sed ita dixit Craſſus cauſam imperij, ſicuti dicimus etiam cauſam Clientis. Nam orator, niſi clientis cauſam didicerit, nequaquam eum defendere poterit. Ita cum orator ſit quidam quaſi Reip. patronus, debet cauſam imperij cognoſcere, ut quantum fieri poteſt imperium Romanum defendat, adiuuet, amplificet. Cum enim magna ſit varietas cauſarum,

ſarum,quæ ab oratore tractatur,nonnullæ ſunt etiam quæ ad imperiũ pertinent, quas diligenter cognoſcere debet orator. LIBANDVS EST ETIAM. Ponit ultimo loco quod eſt quaſi condimentum totius orationis;nempe leporem facetiarum, & vrbanitatis De qua re Cæſar I I. huius operis libro,multa acutè, & eleganter diſputabit. Nam interdum in oratione plùs lepor, & vrbanitas valet, quàm firma argumenta: & quemadmodũ cibi ſine ſale nihil poſſunt eſſe grati,ita oratio ſine lepore. EFFVDI VOBIS OMNIA. Concludit Craſſus nihil ſe occultaſſe eorum,quę ſentiebat,ſed omnia bona fide protuliſſe: Verum ea modeſtè extenuat;ſicut etiam initio ſe cerat:hæc eadem, inquit, alius quilibet etiam imperitus paterfamilias fortaſſe vobis reſpondiſſet. EX ALIQVO CIRCVLO. Ex corona & congregatione multitudinis imperitæ. Nam circulum Cicero ſæpè vocat,imperitorum congregatam multitudinem; vnde circulari,idem eſt, quod fabulari. Cicero ad Attic.2. Sermo dumtaxat in circulis, & conuiuijs liberior. Idem de Clar. Orat. videt oſcitantem iudicẽ colloquentẽ cum altero, nonnunquã etiã circulantem.

Hæc cùm Craſſus dixiſſet, ſilentium eſt cõſecutum. Sed,quamquam ſatis ijs, qui aderant,ad id,quod erat propoſitum,dictum videbatur,tamen ſentiebant celerius eſſe multo, quàm ipſi vellent,ab eo peroratum.

HÆC CVM CRASSVS. Craſſus breuiter & ſummatim attigit omnia, quæ ad comparandam dicendi facultatem attinere videbantur. Itaque cum ſermonem ſuum abſoluiſſet,ſubſecutum eſt omnium ſilentium. Licet enim ad propoſitam quæſtionem ſatis reſponſum à Craſſo intelligerent: tamen putabant eum latius, & copioſius verba facturum. Duplex eſt enim cuiuſcunque artis tractatio, altera breuis,cum ſumma capita tantum attinguntur, altera longior,cum in vna quaque parte diutius inſiſtitur, & ſingula diligentius tractantur. Priore vſus eſt hoc loco Craſſus: quare multo celerius perorauit, quàm auditores eius voluiſſent.

Tum Sceuula, Quid eſt, Cotta? inquit, quid tacetis? nihilne vobis in mentem venit, quod præterea à Craſſo requiratis? Immò id mercu-

le, inquit, ipſum attendo. tantus enim curſus verborum fuit, & ſic euolauit oratio, vt eius vim, atque incitationem adſpexerim: veſtigia, ingreſſumque vix viderim, & tanquam in aliquam locupletem, ac refertam domum venerim, non explicata veſte, neque propoſito argento, neque tabulis, & ſignis propalàm collocatis, ſed his omnibus multis, magnificiſque rebus conſtructis, ac reconditis: ſic modò in oratione Crasſi diuitias, atque ornamenta eius ingenij per quædam inuolucra, atq; integumenta perſpexi: ſed ea cùm cõtemplari cuperem, vix adſpiciendi poteſtas fuit. ita neque hoc poſſum dicere, me omnino ignorare, quid posſideat, neque planè noſſe, ac vidiſſe.

TVM SCÆVOLA. Quia pudor duos adoleſcentes deterrebat, ne amplius Craſſo moleſti eſſent, à quo vix precario extorſerant, vt ſuam de arte dicendi ſententiam proferret, ideo nunc hominis grauisſimi Sceuolæ perſona inducitur: qui excitet eoſdem adoleſcentes, ad alia etiam à Craſſo requirenda. IMO ID MEHERCVLE. Reſpondet Cotta ſe miratum quidem fuiſſe Crasſi diſputationem, ſed nondum ſibi planè ſatisfactum: atque in hoc probando primo tranſlatione vtitur, deinde ſimilitudine. Tranſlationem ſumit ab animantium curſu, quæ interdum ſic euolant in currendo, vt ne veſtigia quidem appareant. Sic etiam oratio Crasſi, quodamodo videbatur euolaſſe, & tàm clerici curſu prçterijſſe, vt non ſatis aduerti potuerit. Nam apud veteres, oratio dicebatur alas habere, quoniam vt ait Horat.

Et ſemel emiſſum volat irreuocabile verbum.

Et Homerus ἔπεα πτερόεντα, ideſt verba pennata dixit propter orationis incitationem. Quin etiam Mercurio non alia de cauſa, talaria pedibus, atque alas addiderunt, niſi quia ſermonis Deus eſt, vel potius ipſe ſermo maximè velox. Sic apud Ciceronem frequenter celeritas verborum legitur, & curſus verborum, & oratio dicitur euolare.

re. ET TANQVAM IN ALIQVAM: Hæc eſt ſimilitudo accommodatiſsima, qua docet quidem intellexiſſe magnam eſſe Craſsi doctrinam, ſed non tamen eam plane perſpicere potuiſſe. Quatuor autem hoc loco numerat, quibus locuples, ac referta domus ornari ſolet. Primo veſtes, quarum duo ſunt genera, vel enim ad tegendū corpus pertinent, vel ad ſternendum. Ad tegendum vt toga, pallium chlamis prætexta, paludamentum, tunica, ſagum, ſubucula cæteræque eius generis: ſicut etiam ſtolæ muliebres, quarum diuites magnam domi copiam habere ſolent, & eam perpulchram, ac precioſam. Nam Lucullus, vt Horatius ſcribit, cum ab eo quidam petiſſet, an ſibi quinque chlamydes commodare poſſet, reſpōdit, ſe domi quinque millia chlamydum habere. Quæ ad ſternendum pertinent, dicuntur ſtragulæ veſtes, vt tapetia, quibus menſæ ſternuntur; Periſtromata quibus teguntur parietes, Lodices, quibus lecti operiuntur, nam his etiam veſtibus diuites abundare volunt, & magnum eſt ornamentum in domo, cum multa, & pulchra tapetia viſuntur. Secundo loco vaſa ponit argentea, quibus antiqui maximè delectabantur: ſicuti etiam noſtra tempeſtate principes viri. Verum apud veteres Corinthia, & Deliaca vaſa non tantum argenteo, atque auro, ſed etiam gemmis, & precioſiſsimis emblematibus ornata, frequenti erant in vſu: ſicuti etiam toreumata, & quæ magno artificio celebantur. His præerant ſerui, qui atrienſes vocabantur. Tertio loco ponit tabulas pictas, quæ nunc etiā ad ornandas domos in vſu frequenti ſunt. Verum apud veteres tabulæ Zeuſidis, Apellis, Parrhalij, Protogenis, & multorum aliorum celebrium pictorum, magno in precio erant, ſicuti Plinius docet, & Cicero fatetur, ſe pictura mirifice delectari ſolitum. Quarto ponit ſigna, quibus ad inſaniam vſque Romani quidam capiebantur. Horatius;

Inſanit veteres ſtatuas Damaſippus emendo.

Cicero totam ferè ſextam in Verrem actionem, in hoc vno crimine conſumit, quòd Verres, omnia ſigna, ſtatuaſque omnes, quæ fuiſſent in Sicilia ſuſtulerat, & Romam ſecum aſportarat. Hæc autē quatuor, hoc eſt veſtes, argentea vaſa, tabulæ, Signa, nonnunquam in domo ita explicantur, & propalam collocantur, vt ab omnibus, qui ingrediuntur, apertè videri poſsint, aliquando vero, vt profeſtis diebus inuolucris, atque integumentis reconduntur, ut uideri quidem non poſsint ſed tamen adeſſe intelligi. Sunt autem inuolucra, quibus ueſtes inuoluuntur, ut mundiores, & politiores conſeruentur, integumenta uerò, quibus uaſa, tabulæ pictæ, ſigna, ſtatuæque integuntur. Hoc eſt igitur, quod ait Cotta, ſibi idem accidiſſe in oratione Craſſi, ac ſi domum aliquam locupletem, profeſto die fuiſſet ingreſſus, cum neque ueſtem

Bb 2 ex-

explicatam, neque propoſitum argentum, neque tabulas & ſigna propa'á collocata uidere poſſet. Nam intellexiſſe quidem, in Craſſo maximas eſſe diuitias & ornamenta ingenij, ſed tamen ea contemplari non potuiſſe. I T A N E Q V E H O C. Concluſio, qua ſe Cotta magno in dubio relictum oſtendit, de Craſsi doctrina.

Quin tu igitur facies idem, inquit Scæuula, quod faceres, ſi in aliquam domum plenam ornamentorum illam veniſſes? ſi ea ſepoſita, ut dicis, eſſent, tuq; valde ſpectandi cupidus eſſes: non dubitares rogare dominiuum, vt proferri iuberet, præſertim ſi eſſes familiaris: ſimiliter nunc petes à Craſſo vt eam copiam ornamentorum, quam cõſtructam vno in loco, quaſi per tranſennam prætereuntes ſtrictum aſpeximus in lucem proferat, & ſuo quidque loco collocet.

Q V I N T V I G I T V R. Sceuola eadem ſimilitudine vtitur ad hortandum Cottam, vt pergat à Craſſo petere, quæ cupiebat intelligere. Nam ſi veniſſes, inquit, in domum illam plenam ornamentorum, rogares dominum, vt omnia proferri iuberet. Ita nunc a Craſſo pete, ut omnia, quæ cupis explicet. Q V A S I P E R T R A N S E N A M. Eraſmus in prouerbijs ita ſcribit; per tranſennam inſpicere, prouerbiali figura dictum eſt, pro eo, quod eſt, non propius neque ſigillatim, ſed procul & ſummatim inſpicere. Tranſlatum a negociatoribus, qui mercibus, quas contrectari nolunt, cancellos obijciunt: quidam etiam vitrum pellucidum opponunt, vt prætereuntibus, procul modò contemplari liceat, nec explicant eas, niſi licitatori idoneo. Eſt autem tranſenna, per quam aſpectus tranſire poteſt, Nonius Marcellus feneſtram interpretatur. Plautus pro laqueo in inſidijs poſito, tranſennam ponit, vt in Bacchid.

Nunc e tranſenna hic turdus lambricum petit

Et in Rudente,

In ætate hominum plurimæ fiunt tranſennæ.

Vbi decipiuntur dolis.

Ego verò, inquit Cotta, à te peto, Scęuola (me enim, &

&hunc Sulpitium,impedit pudor ab homine om nium grauiſsimo, qui genus huiuſmodi diſputationis ſemper contempſerit,hæc,quæ iſti forſitan puerorum elementa videantur,exquirere.)ſed tu hoc nobis da, Scæuola, & perfice, vt Craſſus hęc, quæ coarctauit,& peranguſtè referſit in oratione ſua, dilatet nobis,atque explicet.

EGO VERO INQVIT COTTA. Cotta excuſationem, & rogationem hoc loco adhibet. Nam primò ſe excuſat, & Sulpitiū, quòd non auderent amplius Craſſo moleſtiam dicendi inferre, deinde Sceuolam rogat,vt ipſe hoc à Craſſo impetret,vt pergat de Rhetorica dicere. Cauſæ excuſationis quatuor,prima, quod pudore impediretur. Nam in adoleſcente,pudor maxime laudatur. Secunda, quòd Craſſus eſſet omnium homo grauiſsimus: grauitas enim, & autoritas viri, ſæpè nobis impedimento eſt, quominus aliquid ab eo petamus. Tertia,quòd Craſſus huiuſmodi diſputationem contemneret,ad quā non poſſet ab adoleſcentibus iterum impelli. Quarta,quòd ea, quæ exquirerentur puerorum elementa Craſſo viderentur. SED TV HOC NOBIS. Hæc eſt rogatio,quia Sceuolā,Cotta ſciebat, apud Craſſum generum ſuum plurimum poſſe, vt etiam quaſi eum, vel inuitum ad dicendum cogeret.Fac,inquit,vt Craſſus ea copioſius explicet,quæ breuiter dixit.

Ego mehercule, inquit Mucius, antea veſtra magis hoc cauſa volebam,quàm mea. Neque enim tantopere hâc à Craſſo diſputationem deſiderabam, quantopere eius in cauſis oratione delector.

EGO MEHERCVLE INQVIT. Sceuola ſe paratum ad rogandum Craſſum oſtendit,non tantum vt ipſis adoleſcentibus gratificaretur,ſed etiam quia Craſsi d ſputationem vehemēter probaret. NEQVE ENIM TANTOPERE. Ratio quare antea non ſua,ſed adoleſcentium cauſa Craſſum diſputare volebat. Magis enim in cauſis eius oratione ſe delectari ſolitum ait. Nam id omnino verum eſt,quod ait in oratore Cicero;omnium magnarum artium, ſicut arborum altitudo,nos delectat,radices,ſtirpesq́; non item:ſed eſſe illa

ſine

ſine his non poſſunt. Ita omnium ferè artium effecta, multo magis quã ipſa præcepta delectant, vt fructus, qui percipiuntur ex agricultura magis iuuant, quàm agri colendi ratio.

Nunc verò, Craſſe, mea quoque etiam cauſa rogo, vt, quoniam tantum habemus otij, quantum iam diu nobis non contigit, ne grauere exædificare id opus, quod inſtituiſti. Formam enim totius negotij opinione maiorem, melioremq́ue video: quam vehementer probo.

NVNC VERO CRASSE. Conuertit ſe ad Craſſum, & eum rogat, vt ſua quoque cauſa pergat inſtitutam diſputationem abſoluere: vtiturq́ue metaphora, ab architectis ſumpta, & occaſionem a tempore ſumit, quod tunc eſſent ocioſi, quod raro ſoleret accidere. EXAEDIFICARE. Perficere & abſoluere. Nam exædificare, ſignificat ædificium perficere, & ad faſtigium atque abſolutionem adducere: vt Cæſar primo de bello ciuili. Quod oppidum Labienus conſtituerat, ſuaq́ue pecunia exædificauerat. Hinc exędificatio perfectio ædificij, quo in II. huius operis vtitur Cicero, ſed translate, vt etiam hoc loco. Sumitur autem hæc translatio, ab architectis, qui priuſquam ædificium incipiant, modulum quendam, ac formam totius ædificij conficiunt, quo deinde tanquam exemplari vtantur in ædificandō: atque ita iactis fundamentis paulatim totum ædificium abſoluunt. FORMAM ENIM. Perſeuerat in metaphora. Vocat autem formam ipſum modulum, quo totum ædificium quodammodo repræſentatur. Hanc Vitruuius diſpoſitionē uocat; cui tres ſpecies ſubiungit, ichnographiam, orthographiam, & Scenographiam. MAIOREM, MELIOREMQVE. hoc dicit, quia Craſſus multo plura tribuebat oratori, quàm cæteri concederent, cuius ſententiam probat Sceuola.

Enimuero, inquit Craſſus, mirari ſatis non queo, etiam te hæc, Scæuola, deſiderare, quę neque ego teneo, uti ii, qui docent, neque ſunt eius generis, vt, ſi optimè tenerem, digna eſſent iſta ſapientia, ac tuis auribus. An tu, inquit ille, ſi de iſtis commu-

mu-

munibus,& peruagatis,uix huic ætati audiendum putas, etiàmne illa negligere poſſumus, quæ tu oratori cognoſcenda eſſe dixiſti, de naturis hominum,de moribus, de rationibus iis, quibus hominum mentes, & incitarentur & reprimerentur,de hiſtoria, de antiquitate, de adminiſtratione reipub. denique de noſtro ipſo iure ciuili? hanc enim ego omnem ſcientiam, & copiam rerum in tua prudentia ſciebam ineſſe: in oratoris verò inſtrumento,tàm lautam ſupellectilem numquam uideram.

ENIMVERO INQVIT. magna ſe affici admiratione. Craſſus oſtendit,quòd eam Sceuola diſputationem audire deſideraret,atque id duabus de cauſis. Primo quòd ipſe non ita rhetoricæ præcepta teneret,vt ij,qui docere ſolent: Deinde quia non eſſent res digne,quæ à tanto uiro, tamque ſapiente audirentur. Oportet enim in dicendo perſonarum dignitates aduertere; vt neque de re vili, & abiecta coram ſapientiſsimo, & grauiſsimo uiro,neque de re maxima,maximeque ardua coram baiulo, aut operario dicamus. Benè igitur ſe excuſat Craſſus,quoniam puerilia præcepta, coram Sceuola tradere nequaquam decorum eſſe videbatur. Itaque de rebus longè grauioribus,ipſo etiam hortante Sceuola Craſſus diſputationem inſtituit,quibus abſolutis Sceuola poſtea diſcedit. Neque ſecundi libri diſputationibus intereſt, quoniam ibi præcepta dicendi peruagata, ab Antonio explicantur. AN TV (INQVIT ILLE). Vtitur hoc loco Sceuola diſtinctione,quia dixerat Craſſus,non eſſe res dignas eius ſapientia,atque auribus, & concedit communia, & peruagata præcepta, ſuæ ętati non conuenire. Sed tamen multa eſſe, quę ne ſenes quidem negligere poſsint,quę Craſſus oratori tribuerat,vt hominum naturas,ac tẽperamenta,vt mores, qui plerunque corporis conſtitutionem ſequuntur,vt copioſe Galenus docet,vt commotiones animorum, in quibus regnat oratio, vt hiſtoriam, quę copiam exemplorum ſuppeditat, vt antiquitatem,qua mores, & inſtitúta maiorum cognoſcuntur,vt adminiſtrationem Reip.quę ad totius ciuitatis ſalutem,& conſeruationem ſpectat,vt denique ius ciuile, quo leges interpretantur, & controuerſiæ diſſoluuntur. Hæc omnia ſe ſcire ait Sceuola in Craſsi prudentia

fuiſſe,

fuiſſe, non tamen ſe putaſſe, ad inſtrumentum oratoris pertinere. Nam inſtrumenta dicuntur omnia, quę ad inſtruendam domum pertinent. Itaque tranſlatè loquitur Sceuola, cum etiam lautam ſuppellectilem dicat. Eſt enim ſupellex omne domeſticum inſtrumentum. vnde cur tam habere ſupellectilem dicuntur, qui ſunt pauperes. Perſius,

Tecum habita, ut noris quam ſit tibi curta ſupellex.

& Cicero ſupellectilem oratoriam uocat ea omnia, quibus orator vti tur, vt in Oratore; verecundus eſt vſus oratorię quaſi ſuppellectilis.

Potes igitur, inquit Craſſus (vt alia omittam, quæ innumerabilia, & immenſa, & vt ad ipſum tuum ius ciuile veniam) oratores putare eos, multas horas expectauit, cùm in campum properaret & ridens, & ſtomachans Sceuola, cum Hypſeus ma xima voce, plurimis verbis à M. Craſſo præt. contenderet, vt ei, quem defendebat, cauſa cadere liceret.

POTES IGITVR INQVIT CRASSVS. Hoc loco probare Craſſus contendit, oratori iuris ciuilis cognitionem eſſe neceſſariam, cuius ſi ſit ignarus, ſępè cauſæ proprię nocet, cum ſe prodeſſe exiſtimet, quod duobus exemplis, quę non ita pridem acciderāt, approbat. Ac primo duorum oratorum Hypſei, & Octauij, quorum in quadam cauſa Hypſeus actor erat, Octauius autem defenſor: & cum vterque iuris ciuilis eſſet imperitus, Hypſeusque peteret à M. Craſſo Prętore, vt ſibi lege agendo plus petere concederet, quod ſi im petraſſet, cauſa cadebat. Octauius contra rogabat Prętorem, ne id con cederet, quaſi indignum eſſet, plus petere, quàm ex lege deberetur, neque intelligebat aduerſarium, ſi id à prętore obtinuiſſet cauſa caſurum. Nam cauſa cadere, eſt litem perdere, vt pro L. Murena; Si turpe exiſtimas te aduocato illum ipſum, quem contra ueneris cauſa cadere, dicitur etiam formula cadere. VT ALIA OMITTAM Parentheſis eſt, vt tantum de iure ciuili coram Sceuola diſputet, ait ſe cętera prætermittere, quę ſunt innumerabilia, & immenſa, quę tractantur à Philoſophis. CVM IN CAMPVM. in campum-Martium, vbi agebantur comitia. Sceuolam autem alium quendam in telligit, non qui pręſens aderat. Notat autem Hypſeum tanquam ra, bulam

bulam, & ſtultè loquacem, cum ait maxima uoce plurimis verbis. A M. CRASSO PRÆTORE. Nam Prætor Vrbanus, ius dicere ciuibus Romanis ſolebat, & iudices in controuerſijs dare, formulasq́ue agendi præſcribere. CAVSA CADERE. Non hoc quidem à Craſſo petebat. Quid enim ſtultius, aut ineptius fuiſſet? Sed ea rogabat, quæ ſi prætor conceſsiſſet, ſine dubitatione cauſa cecidiſſet. Quod cum non intelligeret Hypſeus, idem faciebat, ac ſi aperte petiuiſſet, vt ſibi cauſa cadere liceret.

Cn. autem Octauius, homo conſularis, non minus longa oratione recuſaret, ne aduerſarius cauſa caderet, ac ne is, pro quo ipſe diceret, turpi tutelę iudicio, atque omni moleſtia, ſtultitia aduerſarii, liberaretur?

Ego verò iſtos, inquit, (memini enim mihi narrare Mucium) non modò oratoris nomine, ſed ne foro quidem dignos putarem.

CN. AVTEM OCTAVIVS. De hoc Oratore ſic ſcribit in Bruto Cicero: Cn. autem Octauij eloquentia, quæ fuerat ante conſulatum ignorata, in conſulatu multis concionibus eſt uehementer probata. Cum autem id accidit, quod hoc loco narra Craſſus, iam Octauius conſulatum geſſerat, unde conſularis homo dicitur. NE ADVERSARIVS CAVSA CADERET. Neque ſanè Octauius recuſabat, quominus aduerſario cauſa cadere liceret, nam hoc illi fuerat optandum: ſed nolebat ea concedi aduerſario, quæ ſi conceſſa fuiſſent, non intelligebat eum cauſa caſurum. TVRPI TVTELÆ IVDICIO. Nam tutelæ iudicium, infamiam irrogat; vnde merito turpe vocatur. Nam tria ſunt priuata iudicia, ſummæ exiſtimationis, & penè capitis, vt ait Cicero pro Roſcio Com. fiduciæ, tutelæ, ſocietatis. Æque perfidioſum, & nefarium eſt, fidem frangere, quæ continet vitam, & pupillum fraudare, qui in tutelam peruenit, & ſocium fallere, qui ſe in negocio coniunxit. Cauſa verò quam hoc loco Craſſus proponit, erat eiuſmodi, Hypſeus actor quendam tutorem in iudicium vocabat, quod pupillum, cuius tutelam geſſerat, ſpoliaſſet. Lex autem duodecim tabularum ijs, qui pupillos fraudaſſent, mulctam irrogarat, vt præter ſummam, qua damnati fuiſſent, certam etiam pecuniam multæ nomine pupillo traderent, ſed qui plus petiſſet, quàm

lex permiſerat, cauſa cadebat, & totam litem perdebat. Hypſeus igitur, cum rei crimen amplificare vellet, petebat à prætore, vt ſibi plus petere liceret, quàm lex permiſerat. Octauius contra, qui tutorem defendebat, iniquum eſſe putabat, plus à ſe peti, quàm lege permiſſum eſſet. Itaque vtriuſque ſtulticia, & ignorantia ridicula fuit, alterius, qui petebat, vt cauſa caderet, alterius qui recuſabat, & nolebat aduerſarium cauſa cadere. EGO VERO ISTOS. Apertè Sceuola reijcit ab Oratorum numero, eos omnes, qui ciuilis iuris omninò ſunt imperiti.

Atqui non defuit illis patronis, inquit Craſſus, eloquentia, neque dicendi ratio, aut copia, ſed iuris ciuilis prudentia: quòd alter plus, lege agendo, petebat, quàm quantum lex in tabulis permiſerat: quod cùm impetraſſet, cauſa caderet: alter iniquum putabat plus ſecū agi, quàm quod eſſet in actione: neque intelligebat, ſi ita eſſet actum, litem aduerſarium perditurum.

ATQVI NON DEFVIT. Error inquit, illorum non ab infantia natus eſt. Erant enim ambo ſatis eloquentes, & dicendi rationē, atque copiā habebant, ſed ab ignoratione iuris ciuilis. PLVS LEGE. De hac re Iuſtinianus inſtitutionum lib. quarto, titulo de actionibus, ita inquit, Si quis agens in intentione ſua plus complexus fuerit, quàm ad eum pertineat, à cauſa cadebat, ideſt rem amittebat, nec facilè in integrum reſtituebatur à prætore, niſi minor erat viginti annis, & paulo poſt ita inquit, Plus autem quatuor modus petitur, re, tempore, loco, & cauſa. Re, veluti ſiquis pro decem aureis, qui ei debebantur viginti petierit, aut ſi is, cuius ex parte res eſt, totam eam vel maiorem partem, ſuam eſſe intenderit. Tempore, veluti ſi quis ante diem, vel ante conditionem petierit. Loco plus petitur, vt ſi quis Romæ petat, quod Epheſi promiſſum eſt. Cauſa ſi quis ſtipulatus Stichum, aut viginti aureos, Stichum pura actione petat, cum electio ſit promiſſoris. LITEM ADVERSARIVM PERDITVRVM. Sic Horatius;

Quod niſeciſſet perdere litem.

Dicitur enim actor litem intendere, & litem inferre, cum autem ambo

con-

conueniunt, & in rem ſuam teſtes dant, dicuntur litem conteſtari, deinde litem conteſtatam habere. Cicero pro Roſcio Com. Nam iſte cum eo litem conteſtatam habebat. Iudex autem ipſe, qui fert ſententiam, dicitur litem dare. Litem ſuam facere dicuntur ij, qui totum onus litis in ſe ſuſcipiunt, & nō alterius rationibus, ſed ſuis cōtendunt.

Quid? his paucis diebus, nonne, nobis in tribunali Q. Pompeij, præt. vrbani, familiaris noſtri, ſedentibus, homo ex numero diſertorum poſtulabat, vt illi, vnde peteretur, vetus atque vſitata exceptio daretur, *Cuius pecuniæ dies fuiſſet*? quod petitoris cauſa comparatam eſſe non intelligebat: vt, ſi ille infitiator probaſſet iudici, antè petitam eſſe pecuniam, quàm eſſet cœpta deberi, petitor rurſus cùm peteret, ne exceptione excluderetur, quòd ea res in iudiciū antea nō veniſſet.

QVID HIS PAVCIS DIEBVS. Alterum exemplum, quo probat imperitos iuris patronos & oratores ridiculos ſæpè uideri, cauſa uerò, quę accidit, eſt huiuſmodi. Qui plus tempore petebat cauſa cadebat, ut ſupra dictum eſt, ut ſi pecunia cal. Ianuarij deberi cæpiſſet, & eam quis ante cal. decembris petiſſet, poſtea excludebatur neque agere tempore debito poterat: ergo ita accidit, ut quidam ante tempus pecuniam ſibi debitam peteret: Orator uerò patronus eius, à quo pecunia petebatur, petiuit à prætore, ut exceptio daretur, cuius pecuniæ dies fuiſſet: quod Craſſus uehementer irridet, & merito: nā aduerſarium admonuit, ne litem conteſtaretur, cum nondum tempus conſtitutum adueniſſet, quod ſi feciſſet litem erat perditurus. Nā illa exceptio cuius pecuniæ dies fuiſſet, non inficiatoris, ſed petitoris cauſa comparata fuit, ut cum quis pecuniam ſibi debitam petit & eam addit exceptionem, ſi eius pecuniæ dies ſit, atque inficiator probat nondū tēpus aduenisſe, petitor poſtea nō excluditur exceptione, cum item debito tempore petit. Quod ſi non eam exceptionem addidiſſet, ante tempus petens, omnino cauſa cecidiſſet. Ridiculus ergo patronus ille fuit, qui petiuit à prætore, vt inficiatori ea exceptio daretur, quæ eſſet petitoris gratia comparata. Iuſtinianus libro quarto inſtitutionum, capite de exceptionibus, Appellantur, inquit, exceptiones aliæ perpetuæ, & peremptoriæ, aliæ temporales & dilatoriæ. Per-

petuæ,& peremptoriæ ſunt,quæ ſemper agentibus obſtant,& ſemper rem,de qua agitur,perimunt,qualis eſt exceptio doli, & quod metus cauſa factum eſt, & pacti conuenti, cum ita conuenerit,ne omnino pecunia peteretur. Temporales atque dilatoriæ ſunt, quæ ad tempus dilationem tribuunt,qualis eſt pacti conuenti, cum ita conuenerit,ne intra certum tempus ageretur,veluti intra quinqueniũ: nam finito eo tempore,non impeditur actor rem exequi. Vocat autem Craſſus infi-ciatorem eum,qui ſe pecuniam debere negat.

Quid ergo hoc fieri turpius, aut dici poteſt, quàm eum, qui hanc perſonam ſuſceperit, vt amicorum controuerſias, cauſaſque tueatur, laborantibus ſuccurrat, ægris medeatur, afflictos excitet:hunc in minimis, tenuisſimiſque rebus ita labi, vt aliis miſerandus, aliis irridendus eſſe videatur? Equidem propinquum noſtrum, P. Craſſum illum diuitem, & multis aliis in rebus elegantem hominem & ornatum, & præcipuè in hoc ferendum, & laudandum puto, quòd, cum P. Scæuolæ frater eſſet, ſolitus eſt ei perſæpe dicere, neque illum in iure ciuili ſatis illi arti facere poſſe, niſi dicendi copiam aſſumſiſſet: (quod quidem hic, qui mecum Cos. fuit, filius eius eſt conſecutus:) neque ſe antè cauſas amicorũ tractare, atq; agere cœpiſſe, quàm ius ciuile didiciſſet.

QVID ERGO HOC FIERI TVRPIVS. Concludit oratori turpe eſſe, ius ciuile ignorare quoniam ſæpe fit, vt ignarus iuris, in minimis rebus labatur. Orator autem maximas res amplectitur, nam ſe profitetur cauſas amicorum tueri, laborantibus ſuccurrere, ægris mederi, afflictos excitare: quod ſi in tenuisſimus rebus peccauerit, fiet, vt miſerabilis, aut ridiculus videatur. EQVIDEM PROPINQVVM NOSTRVM. Duo ponit exempla, clariſſimorum hominum, ſuperioribus contraria, qui cum eloquentiæ dediti eſſent, ius ciuile ſibi neceſſarium eſſe cenſuerunt. Primum exemplum

plum eſt, P. Craſſi, qui cognomento diues fuit appellatus, eum propinquum ſuum L. Craſsus vocat, quod eſſet ex eadē familia. P. vero Sceuolæ fratrem, quod è Sceuolarum familia in Craſsorum familiam adoptione tranſiſſet, vnde etiam Mutianus dictus fuit. De hoc ita Cicero in Bruto, P. Craſſum valde probatum oratorem, iiſdem fere tēporibus accerrimus, qui & ingenio valuit, & ſtudio, & habuit quaſdā etiam domeſticas diſciplinas. Nam & cum ſummo illo oratore, Serg. Galba, cuius Caio filio, filiam ſuam collocauerat, affinitate ſeſe deuinxerat, & cum eſſet P. Mutij filius, fratremque haberet P. Sceuolam, domi ius ciuile cognouerat, in eo induſtriam conſtat ſummam fuiſſe, maximamque gratiam. A. Gel. libro primo, cap. decimotertio, hunc P. Craſſum Mutianum vocat, à Mutio naturali patre, atque ait quinque habuiſſe rerum bonarum maxima, & præcipua, quod eſſet ditiſſimus, quòd nobiliſſimus, quod eloquentiſſimus, quòd iuriſconſultiſſimus, quod Pont. Max. Tanto verò fuit ingenio, vt cū in Aſiam contra Ariſtonicum Cos. profectus fuiſſet, breui totam græcæ linguæ varietatem, penitus cognoſceret: vt auctor eſt Val. Max. libro octauo, cap. ſeptimo. Sed infelicem habuit exitum, nam bello captus ab Ariſtonico, ne in regis poteſtatem ueniret, uirga, qua equum regebat, in unius barbari oculum direxit, quo ille dolore affectus P. Craſſum cōſulem captum, gladio transfodit: idem Val. Max. libro tertio capite ſecundo. ILLVM DIVITEM. Quoniam etiam alij P. Craſſi fuerunt. Duo uerò Craſſi diuites produntur, hic de quo L. Craſſus uerba facit, qui Publius uocabatur, & alter, qui Ciceronis tempeſtate poſtea fuit, qui M. Craſſus dicebatur, cuius vitam copioſè Plutarchus ſcribit. Is dicere ſolebat neminem ſatis eſſe diuitem, niſi pecunia ſua exercitum altere poſſet, & quamuis, omnium eſſet ditiſſimus, tamen auri cupiditate contra Parthos exercitum duxit, à quibus vna cum filio fuit interfectus. Aiunt à Parthis Craſſi caput abſciſſum, auro repletum fuiſſe, cum hac exprobatione, aurum ſitiſti, aurū bi. SOLITVS EST EI PERSÆPE DICERE. Hoc eſt, quod laudat L. Craſsus in propinquo ſuo quod exiſtimaret, neque ius ciuile ſine eloquentia neque eloquentiam ſine iure ciuili perfectā eſſe poſſe. HIC QVI MECVM CONSVL FVIT. Q. Sceuolam intelligit Publij filium, cum quo L. Craſsus conſul fuit, quo tempore cauſa illa M. Curij fuit, ab vtriuſque conſulibus apud Centumuiros tractata, cum L. Craſsus æquum & bonū, Q. Sceuola contradicens ſcriptum defenderet. De qua cauſa multis in locis mentionem facit Cicero, quin in Bruto duos hos hatores ita inter ſe comparat, ut Craſſum eloquentium iuriſperitiſſimum. Sceuolam iuriſperitorum eloquētiſſimum fuiſſe dicat. Et paulo poſt Craſſus inquit, erat elegantium parciſſimus, Sceuola parcorum elegantiſſimus.

ſimus. Craſsus in ſumma comitate habebat etiam ſeueritatis ſatis, Sceuolæ multa in ſeueritate, non deerat tamen comitas. NEQVE SE ANTE. Hæc dicebat P. ille Craſsus, nunquam ſe uoluiſse cauſas amicorum defendere, priuſquam ius ciuile didiciſset, quia putabat nullo modo fieri poſse, ut quis bonus ſit patronus ſi fuerit iuris ciuilis imperitus.

Quid verò ille M. Cato? nonne, & eloquentia tanta fuit, quantam illa tempora, atque illa ætas in hac ciuitate ferre maximam potuit, & iuris ciuilis omnium peritisſimus? Verecundius hac de re iamdudum loquor, quod adeſt vir in dicendo ſummus, quem ego vnum oratorem maximè admiror: ſed tamen idem hoc ſemper ius ciuile contemſit.

QVID VERO ILLE M. CATO. Cenſorium intelligit, qui tanta fuit eloquentia, ut Demoſthenes Romanus diceretur, ſicuti Plutarchus ſcribit. Cicero in Bruto magnopere Catonis eloquētiam probat, & ait ſe centum, & quinquaginta eius orationes legiſse, Quis, inquit, illo grauior in laudando; acerbior in uituperando? in dicendo ediſserendoque ſubtilior. Plinius libro ſeptimo ſcribit, hunc Catonem tres ſummas artes in homine præſtitiſse, quòd eſset optimus orator, optimus imperator, optimus Senator. L. Craſsus hoc loco uocat etiam iuriſperitisſimum. Quin Pomponius auctor eſt, à Catone nonnullos libros de iure ciuili, fuiſse relictos. VERECVNDIVS HAC DE RE. Vtitur præmunitione, & occupatione, quia præſens Antonius, qui iuris ciuilis erat ignarus, & tamen ſummus orator habebatur, uel indignari, uel refellere dicta Crasſi poterat. Vnum igitur Antonium Craſsus excipit, reliquos omnes oratores iuris ignaros, & inertiæ, & impudentiæ condemnat, niſi adeſset inquit Antonius, hac de re liberius loquerer, ſed cum adſit, oratio mea paulo uerecundior eſt, ne fortaſse eius animum offendam, quem uehementer admiror, eſt enim in dicendo ſummus, & tamen ius ciuile negligit.

Verum, quoniam ſententiæ, atque opinionis meæ voluiſtis eſſe participes, nihil occultabo, & quoad po-

ad po-

ad potero, vobis exponam, quid de quaque re ſentiam. Antonij incredibilis quędam, & propè ſingularis, & diuina vis ingenij, videtur, etiam ſi hac ſcientia iuris nudata ſit, poſſe facilè ceteris armis prudentiæ cauſas tueri, atque defendere. Quamobrem hic nobis ſit exceptus: ceteros verò non dubitabo primùm inertiæ condemnare ſententia mea, pòſt etiam impudentiæ.

VERVM QVONIAM. Ad alia ſibi aditum parat, cum Antonij maxima laude, atque oſtendit ſe nihil occultare uelle, quod ſentiat, ut omnes ſententiam atque opinionem ſuam intelligant. ANTONII INCREDIBILIS. Verum eſt id, quod prouerbio dici ſolet, Non cuiuis homini contingit adire Corinthum. Quamuis Antonius ſine iure ciuili perſonam oratoris cum laude ſuſtineat, non tamen idem reliqui facere poſſunt. Ingenium autem Antonij, tribus epitethis exornat, quod ſit incredibile, quod ſingulare, quod diuinum. Quare non eſt mirum, ſi etiam ſine iure prudenter cauſas agat. QVAMOBREM. Concluſio, qua unum excipit Antonium, reliquos accuſat inertiæ primo, quod ea non teneāt, que ſunt arti ſuæ neceſſaria, deinde impudentiæ, quod palàm ea profiteantur, & polliceantur, quæ præſtare non commode poſsunt.

Nam volitare in foro, hærere in iure, ac præt. tribunalibus, iudicia priuata magnarum rerum obire, in quibus ſæpe non de facto, ſed de æquitate ac iure certetur: iactare ſe in cauſis centum uiralibus, in quibus vſuſcapionum, tutelarum, gentilitatum, agnationum, alluuionum, circumluuionum, nexorum, mancipiorum, parietum, luminum, ſtillicidiorum, teſtamentorum ruptorum, aut ratorum, ceterarumque rerum innumerabilium iura verſentur, cùm omnino, quid

ſuum,

ſuum, quid alienum: quare denique ciuis, an peregrinus: ſeruus, an liber quiſpiam ſit ignoraret, inſignis eſt impudentiæ. Illa verò deridenda arrogantia eſt, in minoribus nauigijs rudem eſſe ſe confiteri, qninqueremeis autem, aut etiam maiores gubernare didiciſſe.

NAM VOLITARE IN FORO. Multa eſſe docet, quæ ſine iure ciuili commode ab Oratore tractari non poſſunt, erant enim alia iudicia publica, alia priuata. Publica in Senatu, in foro, in prætorijs tribunalibus agebantur. Priuata apud priuatos iudices datos à Prætore, aut apud centumuiros, aut apud alios magiſtratus. In his autem iudicijs ſiue publica, ſiue priuata fuiſſent, multa ſæpe erant, in quibus non de facto quæreretur: unde coniecturalis quæſtio naſcitur, quæ propria eſt oratoris, ut in Topicis docet Cic. ſed etiam de æquitate & iure, quod iuriſconſultorum eſt propriū. IN CAVSIS CENTVMVIRALIBVS. quas Cētumuiri cognoſcebant. Cū .n. eſsent tribus trigintaquinque, ex vnaquaq; tribu, tres uiri eligebātur, qui de cauſis priuatis iudicarēt, & licet eſsent cētū & quinque, tamen centumuiri fuerunt appellati. Ponebant autē haſtā in foro cum eſſent ius dicturi, vt qui haſtam eam viderent intelligerent eum diem eſſe faſtum, & lege agere poſſe, cum autem forum non agerent, haſta tollebatur. Quintiliaus libro quinto, tradit cauſas centumuirales, in duas haſtas diuiſas fuiſſe. Numerat autem hoc in loco Craſſus, multas cauſas, quæ ad centumuirorum cognitionem pertinebant. VSVCAPIONVM. Vſucapio certa temporis præſcriptione conſtat. Nam apud veteres qui rem mobilem anno pacificè poſſediſſet, immobilem autem, vt agrum, biennio, non poterat inde poſſeſsione amoueri, ſed vſu capione rem ſuam fecerat: neque prior dominus vllam auctoritatem in re habebat, niſi ille, qui rem poſſediſſet forte peregrinus fuiſſet. Nam peregrini, qui antiquitus hoſtes dicebantur, nullam rem vſu capere poterant, erat enim in duodecim tabulis ea lex, adverſus hoſtem ęterna auctoritas eſto. Poſtea Iuſtinianus ſtatuit, vt res quidem mobiles per triennium, immobiles verò per longi temporis poſſeſsionem, ideſt, inter præſentes decennio, inter abſentes uiginti annis, vſu capiantur, quo iure nunc vtimur. TVTELARVM. Pupillis enim ante pubertatem tutores dabantur, vel teſtamento vel à Prætore, ſi pater inteſtatò mortuus fuiſſet, mulieribus autem, & prodigis, & furioſis curatores apponebantur, qui deinde tutelæ rationem

reddere cogebantur. unde multæ ſæpe cauſæ exoriebantur. GENTILITATVM. Nam ſępe inter gentiles de hęreditatibus controuerſiæ naſcebantur, cum quis inteſtato mortuus eſſet,quas centum uiri iudicabant. Sunt autem gentiles,vt ait in Topicis Cicero, qui inter ſe eodem nõe ſunt,qui ab ingenuis oriundi ſunt,quorum maiorum nemo ſeruitutem ſeruiuit, qui capite non ſunt diminuti. Itaque neq; ſerui neque liberti, aut libertini, neque maxima capitis diminutione notati, gentiles dici poſſunt. Apud Romanos Patricij ſoli gentem habere dicebantur, Plebei verò ſtirpem, ſicut infra copioſius dicetur. AGNATIONVM. Sunt Agnati, qui propinquitate uirilis ſexus inter ſe coniuncti ſunt, ſicut affines, qui muliebris ſexus propinquitate, Cognati, qui vtroque modo. Quoniam autem apud Romanos lege Voconia mulieres ab hæreditate excludebantur, ideo inter agnatos controuerſiæ de hæreditatibus fiebant. ALLVVIONVM. Alluuio,inquit Iuſtinianus, eſt incrementum latens, cum fluuius fundum aliquem alluens,paulatim eum auget. Quod ſæpe fit apud Eridanum, vnde multæ exiſtunt controuerſiæ. Quod per alluuionem ait imperator, agro tuo flumen adijcit, iure gentrium tibi acquiritur. Per alluuionem autem id uidetur adijci,quod ita paulatim adijcitur, vt intelligi non poſsit, quantum quoque momento temporis adijciatur. CIRCVMLVVIONVM. idem ius eſſe videtur circumluuionis, quod alluuionis, vt ſi fundus meus duobus alicuius fluminis brachijs circumluatur, quicquid fundo adijcitur, iure gentium mihi acquiritur,uel ad inſulas refertur, quæ interdum in fluminibus fiunt,quæ ſi fuerint in medio flumine,communes ſunt eorum,qui ab vtraque parte prædia poſsident,ſi verò magis ad alteram ripã accedunt, eius ſunt, qui propinquiorem fundum poſsidet. NEXORVM. Nexi dicebantur liberi homines,vt ait Varro,qui operas ſuas in ſeruitute,pro pecunia,quam debebant,domino præſtabant. Nexum etiam erat genus obligationis,vt Budæus ait, qua corpus etiam, vt pignus afficitur, vnde ſe nexu obligare dicitur, qui non tantum res ſuas,ſed etiam perſonam obligat.Serui quoque nexu mancipia dominorum fiebant.Cicero in Parad.Non enim ita dicunt eos eſſe ſeruos, & mancipia,quæ ſunt dominorum facta nexu. Sed non omnes nexi erant ſerui: qui enim æs alienum conflaſſet, deinde ſoluendo non eſſet, ex lege duodecim tabularum,in ſeruitutem creditori dabatur donec æs diſſoluiſſet,ita vero traditus dicebatur nexus,& addictus, qui diſſoluta pecunia ſtatim priſtinam libertatem recuperabat. MANCIPIORVM. Mancipia dicuntur omnia, quæ ita ſunt in noſtra poteſtate, vt ea poſsimus alienare cum volumus, ſiue ſerui ſint, ſiue prædia: pro ſeruo poſuit Ouid.quarto de Ponto,

Pro quibus vt meritis referatur gratia iurat,
Se fore mancipium tempus in omne tuum.

pro prædio Plautus in Trinummo,

Et ille ædes abs te mancipio accepit.

Nam mancipio dare, eſt ita rem vendere, vt nos euictionem præſtatu ros polliceamur. Mancipi res, dicuntur omnes quæ alienari poſſunt. PARIETVM; Sunt partes priuatarum domorum, & aliquando cum vicinis communes: vnde multę controuerſiæ naſcuntur, vtrum liceat attollere an deprimere, an tinga immittere, & cætera eius generis. LVMINVM. Paulus ait, lumen eſt vt cælum videatur. Seruitus luminum eſt, vt vicinus lumina noſtra excipiat, impoſita luminum ſeruitute hoc aſſequimur, ne ius ſit vicino, inuitis nobis, altius ædificare; atque ita luminibus noſtrorum ædificiorum officere. Dicuntur autem luminibus officere, aut luminibus obſtruere qui altius ædificantes, vicinorum domos obſcurant. Vndè tranſlatè perquam eleganter, officere luminibus alterius, ille dicitur, qui eius gloriam obſcurat. Cicero in Bruto: Catonis luminibus obſtruxit, hæc poſteriorum quaſi exaggerata altius Oratio. STILLICIDIORVM. Stillicidium eſt aquæ pluuiæ fluxus, è tecto; Paulus ait, Si ſeruitus Stillicidij impoſita ſit, non licet domino ſeruientis areæ ibi ædificare, vbi caſitare cæpiſſet ſtillicidium. TESTAMENTORVM. Val. Max. libro ſeptimo, nonnulla exempla commemorat teſtamentorũ, quæ reſciſſa ſunt, & quæ rata manſerunt. Sunt autem rata teſtamenta, niſi rumpantur, aut alio poſteriore teſtamento, aut adoptione aut agnatione; nam conſtat agnaſcendo rumpi teſtamentum; ait Cicero, aut capitis diminutione, aut iniquitate vt ſi ſit inofficioſum. Sunt etiam aliæ penè innumerabilia, quæ in cauſis centumuiralibus tractantur, quæ ſine iure ciuili cognoſci non poſſunt, vt de ciuitate, de peregrinate, de ſeruitute, de liberate, multaque alia, quæ ſi orator ignoret, impudenter tractabit. ILLA VERO DERIDENDA. Vis argumenti eſt à comparatis. Effatum eſt huiuſmodi, qui id, quod plus eſt, poteſt, etiam quod minus eſt poterit: vt qui centum ferre poteſt, etiam decem ferre poterit, qui totam ciuitatem bene adminiſtrat, etiam vnam domum benè adminiſtrabit: qui gubernare quinqueremes nouit, etiam minores naues, vt biremes aut triemes gubernabit. Eſſet autem deridendus ille qui confiteretur ſe didiciſſe quinqueremes, aut etiam maiores naues gubernare, deinde in paruis nauigijs rudis penitus eſſet. Eodem modo ridendus eſt orator, qui grauiſſimas cauſas, vt de cæde, de ambitu, de repetundis, de perduellione profitetur ſe bene tractare didiciſſe, minores autem vt de parietibus, lumini

bus,

bus, ſtillicidijs, agere prorſus ignoret. Minora nauigia ſunt vt Scaphę. Lembi, celoces, pontones, actuariæ. Quinqueremes dictæ ſunt, quod quinque remorum ordinibus agerentur, eas inuenit Neſichton, vt in ſeptimo Plinius ſcribit: idem Plinius libro 32. oſtendit in quinqueremi, quadringentos remiges locari ſolitos, vt in vtraque parte ducenti eſſent, & quadraginta tranſtra, quibus in ſingulis quini ſederent, vt Bayſius colligit. Quod autem Craſſus, ait, aut etiam maiores de ſex, ſeptemque ordinum nauibus intellexit, quas T. Liuius græco vocabulo hexeres, hepteresq; uocat vt quartæ Decadis lib. 7. Regia claſsis ſeptem & triginta maioris formæ nauium erat, in quibus tres hepteres, & quatuor hexeres habebant. Lucanus in 3. De Bruti naue loquens, hexerem fuiſſe oſtendit, cum ſic ait,

Celſior at cunctis Bruti prætoria nauis
Verberibus ſenis agitur, molemq; profundo
Inuehit, & ſummis longe petit æquora remis.

Fuerunt etiam maiores naues; nam Alexander Magnus, auctore Plinio, inſtituit naues, ad duodecim ordines, & Ptolemęus Soter, ad quindecim. denique Philopator ad quadraginta.

Tu mihi cum in circulo decipiare aduerſarij ſtipulatiuncula; & cum obſignes tabellas clientis tui, quibus in tabellis id ſit ſcriptum, quo ille capiatur: ego tibi vllam cauſam maiorem committendam putem? citiùs hercule is, qui duorum ſcalmorum nauiculum in portu euerterit, in Euxino ponto Argonautarum nauem gubernarit. Quid ſi ne paruæ quidem cauſæ ſunt, ſed ſæpe maximę, in quibus certatur de iure ciuili? quod tandem os eſt illius patroni, qui ad eas cauſas ſine vlla ſcientia iuris audet accedere? Quæ potuit igitur eſſe cauſa, maior, quàm illius militis? de cuius morte, cùm domum falſus ab exercitu nuntius veniſſet, & pater eius, re credita, teſtamentum mutaſſet, & quem ei uiſum eſſet feciſſet hęredem,

eſſetque ipſe mortuus: res delata eſt ad centumuiros, cùm miles domum reueniſſet, egiſſetque lege in hęreditatem paternam, teſtamento exhæres filius. Nempe in ea cauſa quæſitum eſt de iure ciuili, poſsètne paternorum bonorum exhęres eſſe filius, quem pater teſtamento neque hęredem, neque exhęredem ſcripſiſſet nominatim.

TV MIHI CVM IN CIRCVLO. Pergit in eadem ſimilitudine, cum ficta conuerſione, ad imperitum iuris oratorem. Senſus eſt, non eſt illi maior cauſa committenda, qui in aliqua leui ſtipulatione decipitur ab aduerſario, & qui clientis ſui tabulas obſignat, in quibus ſcriptum eſt id, quod clienti noceat. Quemadmodum non eſſet argonautarum nauis in Euxino ponto, illi credenda, qui in portu & ſecuro loco, duorum ſcalmorum nauem euertiſſet. STIPVLATIVNCVLA. Pomponius iuriſconſultus ita inquit, Stipulatio eſt uerborum conceptio, quibus is, qui interrogatur daturum, facturum ne ſit, quod interrogatus eſt, reſpondet. Stipulor enim verbum iuris eſt, & ſignificat poſtulare ſibi promitti aliquid, ſolennibus verbis. Iuſtinianus de verborum oblig. Inſt. 3. ſtipulationem inde dictam putat, quod ſtipulum apud veteres firmum appellabatur, forte à ſtipite deſcendens. In hac re inquit, olim talia verba tradita fuerunt, Spondes, ſpondeo promittis? promitto. fide iubes? fide iubeo, & c. TABELLAS CLIENTIS. quæ vulgo nunc inſtrumenta vocantur, & obſignari dicuntur, cum teſtes adhibentur, ac ſecundi notarij, à quibus cum ita obſignatæ fuerint, deinde non licet diſcedere. Cicero Tuſcul. 5. tu quidem obſignatis tabellis agis mecum: Nam tabula pro omni ſcriptura publica cuiuſcunque ſit materiæ ponitur. vnde locus communis à tabulis, & contra tabulas, ſicut à teſtibus, & contra teſtes. DVORVM SCALMORVM. tam paruam, vt à duobus tantùm remis impelli poſsit. Nam Scalmus lignum quoddam teres eſt in naui, cui nautæ remos loro alligant, vt fortius nauem impellant: ponitur interdum pro naui, vt 3. de off. venit ipſe mane, ſcalmum nullum videt. IN PORTV. vbi maximè ſecura eſt nauigatio. vnde etiam in portu nauigare dicuntur illi, qui iam abſunt à periculo, & qui tranquillam uitam ſequuntur, in portum ſe recipere dicuntur. Quin etiam hominem, cuius præſidio nitimur, portum vocamus. Ouidius,

Tucitius uenias portus & aura tuis.

IN EVXINO. Qui maximè periculoſus eſt. nam vt Plinius ait, antea ab inhoſpitali feritate Axenus appellatus eſt. Ouidius 4. Triſt.

Frigida me cohibent Euxini littora ponti,
Dictus ab antiquis Axenus ille fuit.

Poſtea vero à contrario ſicut ait Ammianus lib. 2. per cauillationem pontus Euxinus appellatus eſt. ARGONAVTARVM NAVEM. quæ per Euxinum pontum; tranſiuit ad uellus aureum petendum. Dicta eſt autem nauis illa Argo, uel à celeritate nam ἀργὸν græci celerem vocant, vel ab artifice qui Argus dictus eſt. Cicero 1. Tuſc. Etenim ſi nunc aliquid aſſequi ſe putant, qui oſtium Ponti viderunt, & eas anguſtias, per quas penetrauit ea quæ eſt nominata Argo, qua ducti Argiui delecti viri, petebant illam pellem inauratam arietis; qui igitur in illa naue fuerunt, Argonautæ dicti ſunt, de quibus apud Græcos Apollonius, apud nos Val. Flaccus ſcripſit. QVID SI NE PARVÆ QVIDEM. Amplificatio, qua docet exemplis non tantum paruas, ſed etiam maximas ſæpe cauſas eſſe, in quibus de iure ciuili certatur, atque impudenter eum facere patronum, qui huiuſmodi cauſas ſine cognitione iuris ſuſcipiat, Ac primum quidem exemplum eſt huiuſmodi, Iuuenis quidam militabat, cuius patri nunciatum eſt, eum eſſe mortuum, pater re credita, teſtamentum mutauit, in quo filius hæres ſcriptus fuerat, & alium hæredem inſtituit, deinde mortuus eſt, poſt mortem patris iuuenis ille, qui falſo mortuus fuiſſe credebatur, domum reuertitur, & bona paterna iam ab eo, qui teſtamento factus hæres fuerat, occupata petit: res ad centumuiros eſt delata, hæc ſine dubitatione grauiſsima cauſa fuit, neque ſine iuris ciuilis cognitione tractari potuit. Val. Max. lib. 7. recitat hanc hiſtoriam, & ait militem, omnibus non ſolum conſilijs, ſed etiam ſententijs ſuperiorem diſceſſiſſe, & omnia paterna bona recuperaſſe. EXHÆRES FILIVS. hæreditate priuatus: non quidem nomine, quia mortuus putabatur, ideo non fuit nominatus, ſed re ipſa, quia fuit alter inſtitutus. Caius Iuriſconſultus ait, filio qui in poteſtate eſt prætерito, inutile eſt teſtamentum, debet enim nominatim appellari, cum ab hæreditate excluditur, alioqui legitimè non erit exhæres.

Quid, qua de re inter Marcellos, & Claudios patricios centumuiri iudicarunt? cùm Marcelli ab liberti filio ſtirpe, Claudij patricij eiuſdem hominis hæreditatem, gente ad ſe rediiſſe dicerent, nònne in ea cauſa fuit oratoribus de toto ſtirpis,

ac

ac gentilitatis, iure dicendum? Quid quod item in cētumuirali iudicio certatum eſſe accepimus? qui Romam in exilium ueniſſet, cui Romæ exſulare ius eſſet, ſi ſe ad aliquem quaſi patronum applicuiſſet, inteſtatoque eſſet mortuus, nónne in ea cauſa ius applicationis, obſcurum ſanè, & ignotum, patefactum eſt in iudicio, átque illuſtrà tum à patrono.

QVID QVA DE RE INTER MARCELLOS. Alciatus noſter libro Parergon. 1. cap. 12. locum hunc eruditè & aperte explicat: licet Gallus quidam, ineptè conetur tanti viri interpretationem fruſtra euertere. Ac primo docet Alciatus, gẽtem in patricijs fuiſſe, in plebeis ſtirpem, erat autem (inquit) duplex Claudiorum familia, altera Patricia altera Plebeia, nec potentia minor, nec dignitate, vt Trãquillus in Tiberio eſt auctor. Plebeiã autẽ Marcellorum fuiſſe, patriciam Pulchrorum tradit. Pedianus in Ciceronis Orationem pro M. Scauro, videturq; cũ ſine hærede mortuus fuiſſet aliquis claudius libertinæ conditionis vir, inter patricios exortam litem, & Marcellos, quod Marcelli, erant enim & ipſi Claudij, ſed plebei, ex eorum ſtirpe ortum, vel ab aliquo ſtirpis ſuę manumiſſum aſſerebant, patricij iure gentis hęreditatem uendicabant. Exiſtimatur autem id iuris patricijs fuiſſe, vt excluſo fiſco, cuiuſlibet cognominis ſui hæreditatem gentilicio iure àd ſe traherent, vnde apparet gentiles proprie dictos, ipſos patricios inter ſe. Hęc Alciatus. Ex quibus ſane totus hic locus illuſtratur. Quod autem Gallus oſtendere laborat, libertinos gentem non habuiſſe, neque propriè gentiles dici poſſe, fruſtra verba fundit, quaſi nõ hæc eadem Alciatus diſerte dicat. Licet enim liberti propriè gentem non haberent, neque propriè gentiles dici poſſent, tamen eorum caducæ hæreditates, ad eos pertinebant, quorum in manumiſsione nomina conſequebantur. Quòd ſi Claudij tantum patricij fuiſſent, nulla controuerſia extitiſſet, quin àb eius liberti filio hæreditas gente, hoc eſt nomine gentili, quo uocabatur, ad eos redijſſet. Sed cum eſſent etiam Cladij Plebeij, qui Marcelli dicebantur, nata eſt controuerſia, propter ſtirpem, quoniam ille liberti filius in plebeis agnatos haberet. Gentiles ergo duobus modis dicuntur, communiter, & propriè, communiter gentiles ij dicuntur, qui eodem inter ſe nomine ſunt, etiam ſi non ſint eiuſdem cognationis. vt Ciceró in Tuſcul. Ser-

uium

uium Tullium gentilem ſuum vocat. Et hac ratione etiam liberti gentiles dicebantur, qui patriciorum dominorum nomina ſortiebantur, vt Plin. oſtendit libro 33. cap. 1. Singuli Marcipores, ideſt Marci pueri, Lucipores vè dominorum gentiles vitam in promiſcuo habebant. Propriè vero gentiles dicebantur ipſi patricij inter ſe. T. Liuius libro 10. de patricijs loquens; Semper iſta audita ſunt penes vos auſpicia eſſe, nos ſolos gẽtem habere. Hinc etiam, inquit Alciatus agnoſci poteſt, quæ ſint gentilitiæ hæreditates, quibus Cæſarem Sylla mulctauit. Itemque nihil ad ſanguinis vinculũ gentem pertinuiſſe, genus vero, vel ſtirpem pertinuiſſe. Hic aperte cognoſcitur error Philippi Melanchthonij, qui ita ſcribit, Gens ſignificat agnatos, ſiue Paternam originem, Stirpis ſignificat cognatos ſeu maternam originem, quibus verbis oſtendit ſe neſcire, quid gens, & ſtirps ſignificet, neque quomodo inter ſe diſtinguantur. QVID QVOD ITEM. Exemplum eſt huiuſmodi, Quidam peregrinus Romam in exilium venit, & ſe cuidam ciui Romano tanquam patrono applicuit, à quo fuit hoſpitio ſuſceptus, & adiutus, is poſtea inteſtato mortuus eſt, exulis agnati petunt hæreditatem, petit eam ciuis etiam ille, ad quem ſe exul applicuerat, quæritur cuius eſſe debeat hæreditas. In hac cauſa, inquit Craſſus, totum ius applicationis, quod perquam obſcurum eſt, à patrono fuit in iudicio patefactum, de hoc iure applicationis nihil in Pandectis legitur, quoniam rariſſime accidit. Meminit Terent. in Andria.

Tum ille egens forte applicat primum
Ad Chryſidis patrem ſe.

CVI ROMÆ EXVLARE. Neque enim cuiuis Romæ exulare licebat, nam ſæpe exules peregrini, Roma ſubmouebantur. Exilium verò triplex eſſe dicunt Iuriſconſulti, nam, aut eſt certi loci, vt cum quis in vrbem aliquam ita relegatur, vt ab ea non liceat ei diſcedere; aut eſt latæ fugæ, vt cũ nuſquam tutus eſſe poteſt? aut eſt inſularis vinculi, vt cum quis in inſulã deportatur. De quo genere intellexit Iuuenalis cum ait.

Aude aliquid breuibus gyaris & carcere dignum
Si vis eſſe aliquid.

Quid nuper, cum ego C. Sergij Auratæ contra hunc noſtrum Antonium iudicio priuato cauſam defenderem, nónne omnis noſtra in iure verſata

de-

defenſio eſt ? Cùm enim Marius Cratidianus ædeis Auratæ vendidiſſet, neque ſeruire quandam earum ædiũ partem in mancipij lege dixiſſet:defendebamus,quidquid fuiſſet incommodi in mancipio, id ſi venditor ſciſſet,neque declaraſſet,præſtare debere.

QVID NVPER CVM EGO. hoc exemplum de Off. 3. ſic exponit Cicero, M. Marius Gratidinanus propinquus noſter C. Sergio Auratæ vendiderat ædes eas, quas ab eodem ipſe paucis ante annis emerat. Hæ Sergio ſeruiebant, ſed hoc in mancipio Marius non dixerat: adducta res in iudicium eſt, Auratam Craſſus, Gratidianum defendebat Antonius, ius Craſſus vrgebat, quod vitium venditor non dixiſſet, ſciens id oportere præſtari : æquitatem Antonius, quoniam id vitium ignotum Sergio non fuiſſet, qui illas ædes vendidiſſet, nihil fuiſſe neceſſe dici. NEQVE SERVIRE QVANDAM. Seruitutes autem ſunt vrbanorum prædiorum, aut ruſticorum. Vrbana prædia dicuntur omnia ædificia, etiam ſi ruri ſint, atque in villa ædificata, vt ait Iuſtinianus Inſt de ſeruit. præd. Inter urbanorum prædiorum ſeruitutes ſunt, vt uicinus onera uicini ſuſtineat, ut in parietem eius liceat uicino tignum immitere, vt ſtillicidium uel flumen recipiat quis in ædes ſuas, uel in aream, uel in colocam, neue altius quis tollat ędes ſuas, ne luminibus uicini officiat. Ruſticorum prędiorum ſeruitutes ſunt; iter, actus, uia, aquæductus. Iter ius eſt tantum ambulandi, Actus etiam agendi iumẽtum, uia & ambulandi, & agendi iumentum, & carros, ac uehicula. IN MANCIPII LEGE. ideſt in forma uenditionis, qua libere ædes uendebat. Cum enim quis ita uenderet, ut mancipio daret, præſtare debebat, quicquid incommodi ex ea re emptori accidiſſet, uulgo nunc dicunt in forma communi uendere, cum quis, & euictionem, & uitia latentia, & alia incommoda ſe præſtaturum ſpondet. Antiquitus lex mancipij dicebatur.

Quo quidem in genere familiaris noſter M. Bucculeius, homo neque meo iudicio ſtultus, & ſuo valde ſapiens, & à iuris ſtudio non abhorhens, ſimili in re quodammodo nuper errauit. Nã cũ ædeis L. Fuſio venderet : in mancipio lumina, vti

tum

tum eſſent, ita recepit. Fuſius autem, ſimul atque ædificari cœptum eſt in quadam parte vrbis, quę modò ex illis ędibus conſpici poſſet, egit ſtatim cum Bucculeio, quòd cuicumque particulæ cæli officeretur, quamuis eſſet procul, mutari, lumina putabat.

QVO QVIDEM IN GENERE. Aliud exemplum ferè ſimile, quo docet etiam Bucculeium licet eſſet peritus iuris, tamen erraſſe. Cũ enim ædes L. Fuſio uẽderet, promiſit ſe præſtaturũ ut lumina non mutarentur: At uerò cum ædificari cæptum fuiſſet, in quadam urbis parte, unde ab illis ædibus proſpectus eſſet, Fuſius agere cũ Bucculeio, lege mancipij cępit. Notat autem Craſſus Bucculeium, nõ tantum imprudentię, quod plus in mancipio promiſiſſet, quam præſtare poſſet, ſed etiam arrogantię, quòd ſibi ualde ſapiens uideretur. LVMINA VTI. Sic enim ſtipulatus fuerat in mancipio Bucculeius, lumina uti nunc ſunt ita recipio, quæ legis formula eſt, ita ſignificans, ac ſi dixiſſet, promitto fore, ut lumina ædium nihil penitus à quoque immutentur, quia ædes, quia nemini ſeruiunt, & ſi lumina mutata fuerint, ego totum incommodum pręſtabo. Fuit igitur nimis lata promiſsio, quod euentus indicauit: Nam ſi dixiſſet Bucculeius à propinquis ædificijs lumina vti nunc ſunt, recipio, non erraſſet. CONSPICI POSSET. quia proſpectus impediebatur, atq; ita lumina mutari videbantur, notandæ ſunt locutiones iuris ciuilis elegantes, Cælo officere, Mutari lumina. Propſectus verò eſt vel ſeruitus proſpiciendi, qua præſtatur, vt non tantum cælum videatur, ſed vt procul ſpectemus etiam alia ædificia.

Quid verò? clariſsima M. Curij cauſa, & M. Coponij, nuper apud centumuiros, quo concurſu hominum, qua expectatione defenſa eſt? cum Q. Scæuola, æqualis, & collega meus, homo omnium & diſciplina iuris ciuilis eruditiſsimus, & ingenio, prudentiaque acutiſsimus, & oratione maximè limitatus, atque ſubtilis, atque, vt ego ſoleo dicere, iuris peritorum eloquentiſsimus,

eloquentium iuris peritiſsimus, ex ſcripto ſia ſtamentorum iura defenderet, negaretque, teil poſtumus & natus, & anquam in ſuam tutenm-veniret, mortuus eſſet, heredem eum eſſe poſſe, qui eſſet, ſecundum poſtumum & natum, & mortuum heres inſtitutus: ego autem defenderem, hac eum mente fuiſſe, qui teſtamentum feciſſet, vt, ſi filius non.eſſet, qui in tutelam veniret, M.Curius eſſet hęres.

QVID VERO CLARISSIMA. De hac cauſa multis in locis meminit Cicero, quia certè memorabilis fuit, vt in oratione pro A.Cæcina, in Bruto, in orat.ad Brutum, ea verò fuit eiuſmodi: Coponius quidam moriens, cum vxorem ſuam eſſe grauidam putaret, ita teſtamentum fecit. Filius qui naſcetur ex vxore mea hæres eſto, quod ſi filius meus Poſthumus antequam in ſuam tutelam veniat, mortuus fuerit, tum M. Curius hæres eſto. Hoc teſtamento facto Coponius moritur, vxor eius, quæ falſo grauida putabatur, nullum parit filium hinc controuerſia naſcitur inter M. Coponium agnatum mortui, & M.Curium hæredem ſubſtitutum. M. Coponium Sceuola defendit, M.Curium Craſſus. Scæuola lege agnationis Coponium hęreditatem cernere debere ait, quia Poſthumus nō eſt natus, & ideo M.Curij ſubſtitutio locum nō poteſt habere, quia ita ſcriptum eſſet, ſi poſthumus mortuus fuiſſet, antequam in ſuam tutelam veniſſet, nullo enim modo fieri poſſe, vt quis moriatur, ſi natus non fuerit. Craſſus, æquitatem contra ſcriptum defendebat, eam fuiſſe teſtatoris mentem, ut nullus in hæreditate M.Curio præponeretur, pręter poſthumum: Cum uerò Poſthumus natus nō ſit.M.Curij hęreditatem eſſe. Hęc cauſa magno hominum concurſu fuit acta, & L. Craſſus ſuperior euaſit. ut pro A.Cęcina teſtatur Cic. ÆQVALIS ET COLLEGA. Nā eadem erant penè ętate, & ambo conſules, cum illam cauſam egerunt laudat autem magnopere Sceuolam, ſicut etiam Cicero in Bruto & à ſcientia iuris ciuilis, & eloquentia, & ab ingenij acumine. EX SCRIPTO. fuit enim controuerſia ſcripti & ſententię, quam Gręci dicunt, ἐκ ῥητοῦ καὶ διανοίας, quo in genere ſępe fit, ut ſentētia magis attendatur, quia ſcriptum ſolum ſequi calumniatoris eſt, unde illud, ſummum ius, ſumma iniuria: qua de re copioſiſsime Cicero pro A.Cęcina. IN SVAM TVTELAM. Nam ante annos plenę puber-

pubertatis ſub tutoribus erant, poſt annum autem decimum, & octauum, dicebantur in ſuam tutelam uenire. Poſthumus dicitur, qui poſt patris mortem naſcitur, poſthumi quoque liberi, inquit Iuſtinianus, uel hęredes inſtitui debet, uel exhęredari. Alciatus libro Parergon. c. 13. declarat qui proprie poſthumi dicantur, & illum locum Virgilij, qui eſt in 6. Æneid. exponit.

Syluius albanum nomen tua poſthuma proles
Quem tibi longęuo ſerum Lauinia coniux.
Educit ſyluis.

Serum, inquit, tibi longęuo, ideſt tardum tibi ſeni, qui non poteris cũ uidere, ſed prius è uita migrabis, quam ipſe naſcatur, atque ita poſthumus erit. HAC EVM MENTE. Sententiam inquit, ego teſtatoris defendebam, qui uolebat Curium hęredem eſſe, ſi filius poſthumus non fuiſſet. Itaque mentem hoc loco pro ſententia capimus.

Num diſtit vterque noſtrum in ea cauſa, in auctoritatibus, in exemplis, in teſtamentorum formulis, hoc eſt in medio iure ciuili verſari? Omitto iam plura exempla cauſarũ ampliſsimarum, quę ſunt innumerabilia. capitis noſtri ſæpe poteſt accidere, vt cauſæ verſentur in iure:

NVM DESTITIT. tribus argumentorum generibus, uterque in ea cauſa uſus eſt. primò auctoritatibus clariſsimorum hominum, qui ita cenſuerunt, Deinde exemplis eorum, qui eodem modo locuti ſunt: poſtremo formulis teſtamentorum, qui ita ſcribi ſolent. Cic. pro A. Cęcina, cum eodem modo ſententiam interdicti contra ſcripta uerba defendat, & auctoritatibus, & exemplis, & ſimilitudinibus, & dicendi formulis probat, non in uerbis inſiſtendum eſse, ſed ſcriptoris uoluntatem ſemper eſse ſpectandam. Cicero idem in Bruto. Interpretando, in definiendo, in explicanda ęquitate, nihil erat Craſso copioſius. OMITTO IAM PLVRA. Multas & paruas, & magnas cauſas in iure uerſari docuit, nunc etiam probare contendit ſępe accidere, ut cauſę capitis in iure uerſentur. Dicuntur autem cauſę capitis, in quibus agitur de ſtatus mutatione, ſiue de capitis diminutione. Capitis autem diminutio tribus modis accidit, Iuſtinianus Inſtit. 1. Nam aut maxima eſt capitis diminutio aut minor, quam quidam mediam uocant, aut minima. Maxima eſt, cũ aliquis

ſimul & ciuitatem, & libertatem amitdt. Media cum ciuitas quidem amittitur, libertas vero retinetur. Minima cum ciuitas retinetur, & libertas, ſed ſtatus hominis commutatur, vt cum ſe quis in adoptionē tradit. Cauſæ capitis etiam illæ dicuntur, in quibus agitur de exiſtimatione, de fama, de ſalute alicuius hominis.

Etenim ſic C. Mancinum, nobiliſſimum, atque optimum virum, ac conſularem, cum eum propter inuidiam Numantini fœderis pater patratus ex S. C. Numantinis dedidiſſet, eumque illi non recepiſſent, poſteaquę Mancinus domum reueniſſet, neque in ſenatum introire dubitaſſet, P. Rutilius M. filius, tribunus pl. de ſenatu iuſſit educi, quod eum ciuem negaret eſſe: quia memoria ſic eſſet proditum, quem pater ſuus, aut populus vendidiſſet, aut paterpatratus dedidiſſet, ei nullum eſſe poſtliminium.

ETENIN SIC C. MANCINVM. De hoc C. Mancino ita ſcribit Florus in Epitoma libri LV. T. Liuij, C. Mancino Hoſtilio conſule ſacrificante, pulli ex cauea euolauerunt; conſcendenti, deinde in nauim, vt in Hiſpaniam proficiſceretur, accidit audiri Mane mane Mancine. Mancino auſpicia triſtia fuiſſe probatum eſt: victus enim à Numantinis, & Caſtris exutus, cum ſpes nulla ſeruandi exercitus eſſet, pacem cum eis fecit ignominioſam, quam ratam eſſe Senatus vetuit. Triginta millia Romanorum à Num antinorum millibus quatuor victa erant, Plinius autor eſt, in eo bello Viginti millia Romanorum à quatuor millibus Num antinis cæſa fuiſſe. & Tiberium Gracchum fuiſſe auctorem pacis illius ignominioſæ. Cicero tertio de Officijs, ait poſtea Mancinum populo Rom. ſuæ deditionis ſuaſorem, & auctorem fuiſſe. Cum L. Furius de eo hoſtibus dedendo rogationem tuliſſet, ſed Numantini eum recipere noluerunt. Itaque cum domum Mancinus reueniſſet, quæſitum eſt, an ullum ei poſtliminium eſſet, hoc eſt, an ciuitatem recuperare poſſet. PROPTER INVIDIAM. Propter odium, quòd fœdus cum Numantinis plenum ignominiæ percuſſerat. PATER PATRATVS. Hic erat Fecialium præfectus, nam feciales erant ſacerdotes, quibus indi-

cendi

cendi belli, pacis firmandæ, fęderum faciendorum, aut reſcindendorũ cura commiſſa erat, Feciales à fœderibus faciendis appellati. Pater Patratus, vnus erat è numero fecialium, qui ad patrandum, ideſt faciẽdum iuſiurandum, adhibebatur, de quo multa. Feneſtella. QVEM PATER SVVS. Nam filij ita erant in poteſtate patris, vt eos etiam vendere poſſet, ſed qui ſemel venditus à patre fuiſſet, aut à populo Rom. aut qui eſſet deditus à patre patrato, numquam poſtea poterat amplius ciuis Romanus fieri. NVLLVM ESSE POSTLIMINIVM. Poſtliminium iuris verbum eſt, & ſignificat ius amiſſę rei recuperandæ, & in priſtinum ſtatum reſtituendæ. Dicitur autem poſtliminium, quod ad idem limen, vnde exierat, reuertatur, vt ſi quis recuperet ea, quæ bello amiſerat, dicitur poſtliminio recipere. Cicero in Topicis de poſtliminio multà verba facit, & ad extremum ita inquit; Quo in genere etiam Mancini cauſa defendi poteſt, poſtliminio redijſſe, deditum non eſſe, quoniam non ſit receptus; nam neque deditionem, neque donationem ſine acceptione intelligi poſſe.

Quam poſſumus reperire ex omnibus rebus ciuilibus cauſam contentionemque maiorem, quàm de ordine, de ciuitate, de libertate, de capite hominis conſularis, præſertim cum hæc non in crimine aliquo, quod ille poſſet infitiari, ſed in ciuili iure conſiſteret? Similique in genere, inferiore ordine, ſi quis apud nos ſeruiſſet ex populo fœderato, ſeſeque liberaſſet, ac poſtea domum reueniſſet: quæſitum eſt apud maiores noſtros num is ad ſuos poſtliminio redijſſet, & amiſiſſet hanc ciuitatem.

QVAM POSSVMVS REPERIRE. Amplificatio, qua docet cauſam hanc eſſe grauiſsimam, in qua agitur de ordine. Vtrum Mancinus Senator ſit, nec ne. De ciuitate, vtrum ciuis Rom. dici debeat. De libertate, vtrum ſit liber, an hoſtium ſeruus, quibus fuerat deditus. De capite, vtrum capite ſit diminutus: vt neque ciuitatis, neque libertatis ius ei competat. QVOD ILLE POSSIT INFICIARI. Nam oratoris vis, in eo præcipuè dominatur, cum aliquid inficiari poteſt, & facti quæſtionem introducere, Vnde quæ-

ſtio

ſtio coniecturalis exoriatur, quæ propria eſt oratoris: ſed in hac cauſa nullum eſt crimen, quod inficiari Mancinus poſsit, itaque de iure ciuili diſceptandum eſt. SIMILIQVE IN GENERE. Exemplum eſt huiuſmodi, Quidam erat ciuis in ciuitate fœderata, Poſtea Romæ tempus aliquod ſeruiuit, inde manumiſſus, libertatem recuperauit: erat autem hoc ius, vt ſerui cum liberè manumittebantur, ciues Romani fierent, itaque ille factus erat ciuis Rom. verum ad ſuos poſtliminio redijt, quæſitum eſt igitur vtrum ciuitatem Romanam amiſiſſet. Nam vt ait Cic. pro Cor. Balbo, iure ciuili Romano nemo duarum ciuitatum ciuis eſſe poterat.

Quid? de libertate, quo iudicium grauius eſse nullum poteſt: nonne ex iure ciuili poteſt eſse contentio, cum quæritur, is, qui domini voluntate cenſus ſit, ſi modo ſit conditum luſtrum, ſitne liber. Quid, quod vſu, memoria patrum, venit, vt paterfamilias, qui ex Hiſpania Romam veniſset, cum vxorem prægnantem in prouincia reliquiſſet, Romæque alteram duxiſſet, neque nuntium priori remiſiſſet, mortuusq́ne eſſet inteſtatò, & ex vtraque filius natus eſſet, mediocrìsne res in controuerſiam adducta eſt? cùm quæreretur de duobus ciuium capitibus, & de pucro, qui ex poſteriore natus erat, & de eius matre: quæ, ſi iudicaretur, certis quibuſdam verbis, non nouis nuptijs, fieri cum ſuperiore diuortium, in concubinæ locum duceretur. Hæc igitur, & horum ſimilia iura ſuæ ciuitatis ignorantem, erectum, & celſum, alacri, & prompto ore, ac vultu, huc atque illuc intentum vagari magna cum caterua toto foro, præſidium clientibus, atque opem amicis, & propè cunctis ciuibus lucem ingenij, & conſilij ſui porrigentem,

tem, atque tendentem, nonne in primis flagitioſum putandum eſt? Et, quoniam de impudentia dixi, caſtigemus etiam ſegnitiem hominum, atque inertiam. Nam ſi eſſet iſta cognitio iuris, magna, ac difficilis, tamen vtilitatis magnitudo deberet homines ad ſuſcipiendum diſcendi laborem impellere.

QVID DE LIBERTATE. Nullum iudicium grauius eſſe poteſt, quam de libertate, quia libertas, vt ait Iuſtinianus, bonum eſt inæſtimabile, & in iure ciuili poteſt eſſe contentio de libertate, quare grauiſſima iudicia ſolent interdum in ciuili iure verſari. CVM QVÆRITVR. Tribus modis aliquis libertatem acquirebat; teſtamento, vindicta, cenſu. Ci. in Top. ſi neque cenſu, neque vindicta, nec teſtamento liber factus eſt, non eſt liber, neque eſt vlla earum rerum, non eſt igitur liber. Siquis enim teſtamentum faciens, ſeruum ſuum liberum eſſe iuſſiſſet, ille teſtamento liber dicebatur. Vindicta vero virga quædam erat, qua prætor caput ſerui manumittendi leuiter percutiebat, & quibuſdam ſolennibus verbis, liberum eſſe iubebat.

Perſius. Vindicta poſtquam meus à Prætore receſſi.

Cenſu liberi ſerui ita fiebant, nã ex inſtitutione Seruij Tullij regis, ciues Ro. quinto quoq; anno cẽſebãtur. Ergo ſi quis ſeruus cõſentiẽte, vel iubẽte domino, nomẽ ſuũ in cenſum detuliſſet ciuis Ro. efficiebatur, & ſeruitutis vinculo ſoluebatur. Quomodo autẽ Seruius Tullius cẽſum inſtituerit declarat T. Liuius libr. 1. cenſebantur tantum ij, qui ciues erãt, qui caput habebant, niſi volente domino cenſerentur. tunc enim cenſu liberi fiebant. quod ſi quis nihil in bonis habuiſſet, & tamen ciuis Rom. eſſet, capite cenſus dicebatur. Luſtrum verò quinto quoque anno condebatur, & cenſus peragebatur. itaque cenſura quinquẽnalis erat magiſtratus & cẽſores quinto quoque anno creabantur. QVID QVOD VSV. Leges Romanorum tantum vnam vxorem habere concedebant. nam plures vxores habere, mos barbarorum fuit. Salluſtius, alij denas, alij plures pro opibus habent vxores. quin etiam Iudæis olim morem fuiſſe legimus, vt duas vxores, & plures concubinas haberent. Romani tantum vnam, vt diximus vxorem habebant, quam tamen repudiare poterant, ſi iuſta cauſa extitiſſet. Caius Iuriſconſultus dig. de Diuortijs, oſtẽdit fuiſſe receptum, vt diuor

tium his verbis perageretur, Tuas res tibi habeto, tuas res tibi agito; quorum altero reddit dotem, altero abdicat à ſe tutoris munus in rebus vxorijs, in repudijs verò ita dicebant, conditione tua non vtar, Erat autem repudium ſponſarum, antequam conuenirent, & ſimul rem haberent, diuortium vxoris & mariti, qui ſimul fuiſſent, fiebat etiam inter abſentes diuortium, vt ſi quis Romæ degens, vxorem in Hiſpania haberet, poterat ei nuncium remittere. & eam repudiare. Quod igitur ait hoc loco Craſſus eſt huiuſmodi, Quidam Rom. paterfamilias, qui uxorem haberet in Hiſpania prægnantem Romam venit, & alteram duxit vxorem, neque priori nuncium remiſit, quam cũ prægnantem feciſſet, inteſtato mortuus eſt, & ex utraque uxore natus eſt filius, quæſitũ eſt an ſecũda poſſet eſſe vxor, & filius ex ea natus poſſet eſſe legitimus. nempe tota is ex eo pendet, vtrum nouæ nuptiæ prius matrimonium diſſoluant re ipſa, ſine alijs cerimonijs, an oporteat certis quibuſdam verbus vxori priori nuncium remittere? DE DVOBVS CIVIVM CAPITIBVS. de matre, & eius filio. nam periculum erat, ne mater concubinæ loco duceretur, & filius ex ea natus ſpurius exiſtimaretur. HÆC IGITVR. Concluſio primæ partis, qua docet impudentes eſſe, qui ſine iuris cognitione cauſas omnes forenſes amplectuntur. hoc autem probauit à turpi & indecoro, cum quis amicis opem in ijs rebus polliceatur, quas penitus ignorat. vtitur autem exornatione Rhetorica, quæ notatio dicitur, qua patronorum arrogantiam, & ignorantiam notat. ET QVONIAM. hæc eſt tranſitio, dixit enim de impudentia: nunc autem de inertia dicere aggreditur. NAM SI ESSET ISTA. Expetuntur ea, quæ ſunt vtilia, honeſta & iucunda, ſicut ait Ariſtoteles Ethic. ſecundo. probare igitur Craſſus contendit, vtile, honeſtum, & iucundum eſſe ius ciuile oratori, vt concludat eſſe ab oratore expetendum. ſed hactenus exemplis oſtendit, & honeſtatem, & utilitatem eſſe maximam in iure ciuili, reſtat vt etiam magnam in eo iucunditatem & delectationem ineſſe oſtendat. Sed quæ valde difficilia ſunt, iucunda eſſe non poſſunt. primo igitur probat iuris cognitionem eſſe facilem, vt deinde probet etiam eſſe iucundam. ac primo vtitur argumento à maiori: ſi eſſet magna & difficilis cognitio iuris, tamen propter vtilitatem expeti deberet. nunc cum facilis ſit, multo magis eſt expetenda. vis argumenti ex ea ratiocinatione pendet, quęcunque magnam in ſe iucunditatem habent, etiã ſi magna & difficilia ſint, tamẽ expeti debent, Sed ius ciuile magnam in ſe vtilitatem habet, ergo quamuis eſſet magna & difficilis eius cognitio, tamen expeti deberet, & ab hoc Enthymemate, quod conſtat ex propoſitione, & ratione, homines laborem diſcendi iuris ciuilis ſuſcipere debent, eſt enim in eo maxima vtilitas.

Sed,

Sed, ò dij immortales: non dicerem hoc, audiente Scæuola, niſi ipſe dicere ſoleret, nullius ſibi artis faciliorem cognitionem videri. Quod quidem certis de cauſis à pleriſque aliter exiſtimatur: primùm quia veteres illi, qui huic ſcientiæ præfuerunt, obtinendæ, atque augendæ potentiæ ſuæ cauſa, peruulgari artem ſuam noluerunt: deinde, poſtea quàm eſt editum, expoſitis à C. Flauio primùm actionibus, nulli fuerunt, qui illa artificiose digeſta generatim componerent.

SED O DII IMMORTALES. per hanc exclamationẽ ab auctoritate Q. Scæuolæ probat iuris ciuilis cognitionem eſſe facilem, vnuſquiſque de arte ſua verè iudicare poteſt. Sed Scæuola Iuriſconſultus iudicat iuriſprudentiæ cognitionem eſſe facilem, ergo illi credendum eſt. Cic. pro L. Murena de iure ciuili verba faciens, difficilis, (inquit) res ideo non putatur, quòd & perpaucis, & minime obſcuris literis continetur. Itaque ſi mihi homini vehementer occupato ſtomachum moueritis, triduo me iuriſconſultum eſſe profitebor. QVOD QVIDEM CERTIS. Duas affert cauſas potiſsimum, quare cognitio iuris ciuilis, exiſtimetur eſſe difficilis. prima eſt, quia veteres peruulgari artem ſuam noluerunt, altera, quia nemo, quæ ſunt in iure ciuili artificioſè digeſta generatim compoſuit. PERVVLGARI. Patefieri, in vulgum emitti, hoc autem faciebant, vt obtinerent, & augerent potentiam ſuam, ſi ipſi ſoli iuriſprudentes eſſe viderentur. Sunt enim nonnulli eo ingenio, ut nolint ea, quæ ſciunt alios docere, quo maiorem ipſi dignitatem obtineant. Cic. pro L. Mur. Poſſet agi lege nec ne, pauci quondam ſciebant, faſtos enim vulgo non habebant, erant in magna potentia qui conſulebantur, à quibus etiam dies, tanquam à Caldæis petebantur: Inuentus eſt ſcriba quidam Cn. Flauius, qui cornicum oculos confixerit, & ſingulis diebus ediſcendos faſtos populo propoſuerit. Pomponius de origine iuris ſic ait. Eodem penè tempore tria hæc iura nata ſunt, leges duodecim tabul. ex his fluere cæpit ius ciuile, ex eiſdem legis actiones compoſitæ ſunt, omnium tamen harum, & interpretandi ſcientia, & actiones apud collegium pontiſicum erant, ex quibus conſtituebatur quis quoque anno præeſſet priuatis. Et ferè populus annis prope centum, hac conſuetudine vſus eſt. poſtea cum Appius Claudius com

 poſuiſſet,

poſuiſſet, & ad formam redegiſſet has actiones Cn. Flauius ſcriba eius libertini filius, ſurreptum librũ populo tradidit, & adeo gratum fuit id munus populo vt tribunus pleb. fieret, & Senator, & Ædilis curulis. hic liber, qui actiones cõtinet, appellatur ius Flauianum. de hoc eodem Flauio meminit Liuius lib. 9.

Nihil eſt enim, quod ad artem redigi poſsit, niſi ille prius, qui illa tenet, quorum artem inſtituere vult, habeat illam ſcientiam, vt ex iis rebus, quarum ars nondum ſit, artem efficere poſsit. Hoc video, dum breuiter voluerim dicere, dictum à me eſſe paullo obſcurius: ſed experiar, & dicam, ſi potero, planius. Omnia ferè, quæ ſunt concluſa nunc artibus, diſperſa, & diſsipata quondam fuerunt, ut in muſicis, numeri, & voces, & modi: In geometria, lineamenta, formę, interualla, magnitudines: In aſtrolngia, cęli conuerſio, ortus, obitus, motusque ſiderum: In grammaticis, poetarum pertractatio, hiſtoriarum cognitio, verborum interpretatio, pronunciandi quidam ſonus: In hac denique ipſa ratione dicendi, excogitare, ornare, diſponere, meminiſſe, agere, ignota quondam omnibus, & diffuſa latè videbantur. Adhibita eſt igitur ars quædam extrinſecus ex alio genere quodam, quod ſibi totum philoſophi aſſumunt, quæ rem diſſolutam, diuulſamque conglutinaret, & ratione quadam conſtringeret.

NIHIL EST ENIM. Nemo poteſt inquit artem nouam inſtituere, ſi Philoſophiam ignoret, quæ omnium laudandarum artium mater eſt, docet enim Philoſophia methodum, ideſt viam & rationem, qua artes omnes inſtituuntur. Dialectica verò clauis quędam eſt, & organum totius Philoſophiæ, quæ genera, ſpecies, differentias,

pro-

proprietates, euenta cuiuſque rei, diligenter inueſtigat, ex quibus omnis ars inſtituitur. HOC VIDEO DVM BREVITER. hoc ferè fieri ſolet, vt qui breuiter loquuntur, & præciſe, fiant obſcuri. quod ait Horat. in Arte.

Breuis eſſe laboro obſcurus fio.

quod multis in locis fecit Ariſt. Vt igitur vitet obſcuritatem Craſſus, ea multis verbis explicat, quæ breuiter dixerat. OMIA FERE. Docet quomodo ſint artes inuentæ, & perfectæ, cum initio nullæ eſſent, & omnia eſſent indigeſta, & confuſa. Sunt autem duo præcipua quæ artem faciant, definitio, & diuiſio, nam primo finem conſtituere oportet, ad quem omnia, quæ ſubijciuntur arti dirigantur, vt in grammatica finis eſt emendatè loqui, deinde quærenda ſunt omnia, quæ ad eum finem tendant, & in ſua genera tanquam in claſſes digerenda. quæ item genera ſingula definienda ſunt, & in partes, ſiue formas diuidenda, poſtea formarum differentias & proprietates quærere opus eſt, & euenta, quæ ſi omnia reperta fuerint, & ad finem accommodata, iam ars ipſa perfecta erit. VT IN MVSCVLIS. Tres partes Muſicæ ſupponit, numeros, uoces, modos. Numerus eſt ratio quędam, qua cócinnè voces mouentur, vt ſeſquialtera proportio, quæ dia pente dicitur ſeſquitertia, quæ vocatur diateſſaron. dupla, quę diapaſon appellatur. vnde in numerum ludere dixit Virgilius, pro eo, quòd eſt concinnè, & modulate ſaltare.

Tum verò in numerum faunosque ferasque videres,

Ludere. & alibi dixit,

Numeros memini ſi verba tenerem.

Vbi ratione carminis intelligimus. Capella numerum in Muſicis vult eſſe compoſitionem quandam ex certis temporibus collocatam ad aliquem habitum, atque ordinem connexam. Eſt numerus corporis, cum apte mouetur, numerus orationis, cū verba collocantur, vt concinne cadant, numerus Poeticus, cum apte pedes in carmine ſtatuuntur, numerus muſicus, cum vox apte vel attollitur, vel deprimitur, vel inflectitur. Voces aliæ ſunt graues, aliæ acutæ, aliæ inflexæ, quæ ita in Muſica diſponuntur, & temperantur, vt ſuauem cócentum efficiant. Modi ſiue modulationes ex numeris, & vocibus fiunt, qui apud ueteres à gentibus nomina ducebant. Nam quatuor potiſſimum modorum genera celebrantur. Dorius, Phrygius, Æolius, Lydius. Dorius modus, vt Caſſiodorus ait, prudentiæ largitor eſt, & caſtitatis effector. Phrygius pugnas excitat, & quaſi furore quodam animum inflammat. Æolius animi perturbationes ſedat, ſomnumque iam pacatis

attribuit. Lydius intelligentiam acuit, & à terrenis rebus ad cęleſtes animum erigit. IN GEOMETRIA. Quatuor ſunt Mathematicæ diſciplinæ, quarum duæ numeros conſiderant, duæ magnitudines, ſiue continuas quantitates, numeros Arithmetica, & Muſica, magnitudines Geometria, & Aſtrologia. Geometria proprie ratio eſt terræ demetiendæ, quamuis ad omnes menſuras pertineat, ea primo lineamenta conſiderat, id eſt linearum deſcriptiones, deinde formas, ſiue figuras, quæ vel planæ ſunt, uel ſolidæ, tum interualla, diſtantiaſque rerum, ac locorum poſtremo cuiuſque generis magnitudines, de hac ſcientia copioſe, ſubtiliterq; ſcripſit Euclides. IN ASTROLOGIA. Primo traditur quomodo cęlum conuertatur, nam ſuprema ſphera à dextra in ſiniſtram perpetuo torquetur, hoc eſt ab oriente in occidentem. Planetarum autem Spheræ contrario motu mouentur atque cęlum deinde, qui ſunt ortus, & obitus ſyderum, qui tres aſsignantur, Coſmicus, Chronicus, Heliacus, poſtremo quomodo ſingula ſydera moueantur. IN GRAMMATICIS. Debet Grammaticus quatuor potiſſimum præſtare. Primo ut Poetas intelligat, & pertractet, deinde ut Hiſtorias cognoſcat, tum verba interpretur, denique ut recte literas appellare, & pronunciare ſciat. IN HAC DENIQVE. Rhetoricæ partes quondam fuerunt ignotæ, donec arte fuit deprehēſum eſſe quinq;, excogitatio, quæ inuētio dicitur, ornatio, quæ uocatur elocutio, diſpoſitio, memoria, pronuntiatio, hæc erant olim omnia late diffuſa, & ignota, donec ars fuit adhibita, quæ diſperſa conglutinaret. ARS QVÆDAM. τὴν ἀναλυτικὴν intelligit, ideſt artem reſoluendi, & iudicandi, quam ſibi Philoſophi totam aſſumunt, nam Stoici, quod in Topicis ait Cic. iudicandi vias diligenter perſecuti ſunt, ea ſcientia, quã Dialecticen appellant. Ariſt. de hac arte tam multa ſcripſit, ut eam ipſe ſolus perfeciſſe iudicetur.

Sit ergo in iure ciuili finis hic legitimæ, atque vſitatæ in rebus, cauſisque ciuium, æqualitatis conſeruatio. Tum ſunt notanda genera, & ad certum numerum, paucitatemque reuocanda. Genus autem eſt id, quod ſui ſimileis communione quadam, ſpecie autem differenteis, duas, aut plureis complectitur parteis. Partes autem ſunt, quæ generibus ijs, ex quibus emanant, ſubiiciuntur,

tur, omniaque, quæ ſunt vel generum, vel partium nomina, definitionibus, quam vim habeant, eſt exprimendum. Eſt enim definitio, earum rerum, quæ ſunt eius rei propriæ, quam definire volumus, breuis, & circumſcripta quædam explicatio.

SIT ERGO IN IVRE CIVILI. Docet quomodo ius ciuile poſſet ad artem redigi. Primo enim eius definitio ponenda eſt, deinde genera, parteſque requirendæ. Definitio iuris hæc eſt. Ius ciuile eſt cõſeruatio ęqualitatis legitimę, atque vſitatę in rebus, cauſiſque ciuium: in Topicis ita Cic. ius ciuile definit. Ius ciuile eſt ęquitas conſtituta ijs, qui eiuſdem ciuitatis ſunt, ad res ſuas obtinendas, quæ parum differt à ſuperiore. porro ęquitas bipartito cernitur ut ibidem ait Cicero, & natura, & inſtituto, Natura partes habet duas, tuitionem ſui, & ulciſcendi ius, inſtitutio autem ęquitatis tripartita eſt, Vna pars legitima eſt, altera conueniens, tertia moris uetuſtate confirmata. Atque etiam rurſus Æquitas tripartita dicitur eſſe una ad ſuperos deos, altera, ad manes, tertia ad homines pertinere, prima pietas, ſecunda ſanctitas, tertia iuſticia, aut æquitas nominatur: conſtat autem ius ciuile ex legibus & moribus, & hoc eſt, quod ait Craſſus legitimè & uſitate. Papinianus ita inquit, ius ciuile eſt, quod ex legibus plebiſcitis, Senatuſconſultis, decretis principium, auctoritate prudentum uenit. Caius ita, quod quiſque populus ipſe ſibi ius conſtituit, id ipſius proprium ciuitatis eſt, uocaturque ius ciuile, quaſi ius proprium ipſius ciuitatis, nam ſi quis uelit Solonis, uel Draconis leges appellare ius ciuile Athenienſium non errauerit. Sic enim & ius quo populus Rom. utitur ius ciuile Romanorum appellamus, uel ius Quiritum quo Quirites vtuntur. TVM SVNT NOTANDA GENERA. Omnis enim, quæ de aliqua re ſuſcipitur inſtitutio debet à definitione proficiſci, vt intelligatur quid ſit id, de quo diſputatur. poſt definitionem, genera prima quærenda ſunt, & reducenda ad paucitatem. Non poſſunt autem eſſe pauciora, quam duo. nam, vt Dialectici uolunt, omnis bona diuiſio, eſt bimembris, igitur ius ciuile, aut eſt publicum aut priuatum, publicum ius eſt, quod ad ſtatũ reip. ſpectat, priuatum, quod ad ſingulorum vtilitatem. GENVS AVTEM EST. Declarat quid ſit genus, ut intelligatur quomodo ius ciuile poſſit ad genera reuocari. Genus eſt (inquit) quod duas, aut plures partes complectitur, quæ cõmunione quadã ſui ſimiles ſint, ſpecie autem diffe-

differentes, ut animal eſt genus, quod duas partes complectitur, hoc eſt hominem, & beſtiam, hę uerò duæ partes communione quadam ſui ſimiles ſunt, quoniam tam beſtia, quam homo ſenſum habet, & uitam, & motum, & corpus, ſed ſpecie differunt, quoniam homo rationis particeps eſt, beſtia verò expers. ita virtus genus eſt, quod partes quatuor complectitur, prudentiam, iuſtitiam, fortitudinem, temperantiam, quę omnes generis cōmunione ſimiles ſunt, quia ſunt habitus animi rationi conuenientes. verum inter ſe ſpecie differunt, quoniam prudentia bonorum & malorum diſcrimen habet, Iuſticia ſuū cuique tribuit, fortitudo pericula mortemque contemnit. Temperantia efficit, vt appetitus rationi pareat. PARTES AVTEM SVNT. Vocat Craſſus partes, quæ proprie dicuntur ſpecies. & hoc ſimilitudine quadam, ſicut enim partes à toto continētur, ita etiam ſpecies à genere. Cic. in Top. ſpecies appellat formas, & à partibus diſtinguit: ſic enim ait; Formæ igitur ſunt hæ, in quas genus ſine ullius prętermiſſione diuiditur. Vt ſi quis ius in legem, morem, æquitatem diuidat, formas qui putat idem eſſe, quod partes, confundit artem, & ſimilitudine quadam conturbatus, non ſatis acutè quæ ſunt ſecernenda diſtinguit, & paulo poſt. Formarum enim certus eſt numerus, quæ cuique generi ſubijciantur. Partium diſtributio ſępe eſt infinitior, tanquam riuorum à fonte deductio. OMNIA QVE QVÆ SVNT VEL GENERVM. Poſtquam genera & partes notatæ fuerint, tunc oportet ſingula definire, & quid ſint, quamque vim habeant, aperire. nam definitio eſt explicatio quædam breuis, & circumſcripta rerum earum, quæ ſunt eius rei propriæ, quam definire volumus. Vt Hereditas eſt pecunia, quæ morte alicuius ad quēpiam peruenit iure, nec ea aut legata teſtamento aut poſſeſſione retenta. Dialectici docent veram definitionem ex genere, & differentijs conſtare, vt homo eſt animal particeps rationis, & mortale, nam quæ differentijs non conſtat aut proprietatibus, non eſt vera definitio, ſed deſcriptio, vt, ſi quis dicat, homo eſt animal prouidum, ſagax, erecta ceruice, memor, implume, plenum conſilij. Sed oratores non tam exquiſitè vt Dialectici definire ſolent. itaque definitionem, & deſcriptionem pro eadem vſurpant. Seuerinus Boethius multas eſſe definitionum ſpecies docet, quæ omnes magnam vtilitatem in artibus habent.

Hiſce ego rebus exempla adiungerem, niſi, apud quos hæc haberetur oratio, cernerem. nunc complectar quod propoſui, breui. Si enim aut mihi facere licuerit, quod iamdiu cogito, aut alius quiſpiam

ſpiam, aut, me impedito, occuparit, aut mortuo effecerit, vt primum omne ius ciuile in genera digerat, quæ perpauca ſunt: deinde eorum generum quaſi quædam membra diſpertiat: tum propriam cuiuſque vim definitione declaret, perfectam artem iuris ciuilis habebitis, magis magnam, atque vberem, quàm difficilem, & obſcuram. Atque interea tamen, dum hæc quæ diſperſa ſunt, coguntur, vel paſsim licet carpentem & colligentem vndique, repleri iuſta iuris ciuilis ſcientia.

HISCE EGO REBVS. Exempla ſolent adhiberi, vt diſcentes melius intelligant, vt ait Ariſtoteles, quod ſi res per ſe ſatis intelligatur, ſuperuacanea ſunt exempla. non vult igitur Craſſus exemplis vti, quia ſciebat verba ſua rectè ab audientibus intelligi. SI ENIM AVT. Notandum eſt hoc loco Craſſum cogitaſſe, de redigendo ad artem iure ciuili, quamuis id poſtea non præſtiterit. Cicero ſanè, ſicut A. Gel. auctor eſt, libellum ſcripſit de iure ciuili in artem digerendo. Tria vero ſunt, quæ artem omnem perficiunt, notatio generum, diuiſio generum in formas, definitio cuiuſque formæ, quæ ſi facta fuerint in iure ciuili, magnam atque vberem artem conficient, & facilem, atque planam. ATQVE INTEREA. Occupatio, qua docet etiam ſi ius ciuile nondum ad artem reductum ſit, tamen eſſe facilè, quoniam licet ex varijs ſcriptoribus quæ ſunt diſperſa colligere & apum more carpere ac delibare quæ ad eius ſcientiam ſpectant.

Nonne videtis, equitem Romanum, hominem acutiſsimo omnium ingenio, ſed minimè cæteris artibus eruditum, C. Aculeonem, qui mecum viuit, ſemperque vixit, ita tenere ius ciuile, vti, cùm ab hoc diſceſſeritis, nemo de ijs, qui peritiſsimi ſunt, anteponatur? Omnia enim ſunt poſita ante oculos, collocata in vſu quotidiano: in congreſ-

ſione

ſione hominum, atque in foro: neque ita multis literis, aut voluminibus magnis continentur: eadem enim ſunt elata primum à pluribus: deinde, paucis commutatis verbis, etiam ab iiſdem ſcriptoribus ſcripta ſunt ſæpius.

NON NE VIDETIS. Aculeonis exemplo probat iuris ciuilis facultatem, qui cum eſſet cæterarum artium rudis, tamen erat juriſperitiſsimus. Fuit C. Aculeo eques Rom. L. Craſsi amiciſsimus, qui Ciceronis materteram vxorem habebat, ideo filios Aculeonis Cicero conſobrinos ſuos vocat in ſecundo de oratore. Vbi ſunt etiam illa verba; & Aculeio, quo cum erat noſtra matertera, quem Craſſus dilexit ex omnibus plurimum. OMNIA ENIM SVNT. Ab adiunctis probat ius ciuile facile eſſe, quod quę tractantur in iure, ſint ante oculos poſita. Vt non opus ſit ex abdito eruere, aut è tenebris in lucem educere, quod fit in alijs ſcientijs, ſed in vſu quotidiano verſentur. Vt ea quiuis percipere poſsit, pauci ſunt libri, eadem ſunt dicta à pluribus, & vnus atque idem ſcriptor ſæpe eadem repetit mutatis tantum verbis, ab his, quæ Craſſus ait, diuerſa videntur ea, quæ Suetonius ait in Cæſare: nam. Craſſus ait non multa fuiſſe iuris volumina. Suetonius autem ita, Deſtinabat ius ciuile, ad certum modum redigere, atque ex immenſa, diffuſaque legum copia, optima quæque & neceſſaria in pauciſsimos conferre libros, niſi forte dicamus breui illo tempore, quod inter Craſsi ſupremum diem & Cæſaris dominationem interfuit, plurimos de iure ciuili fuiſſe libros conſcriptos, nam vnus Seruius Sulpitius, centum & octoginta libros de iure ciuili reliquit, Vt Pomponius auctor eſt, multos etiam Q. Tubero Sulpitij gener. multos C. Trebatius Teſta, Ciceronis familiaris ſcripſit.

Accedit verò, quo facilius percipi, cognoſcique ius ciuile poſsit, (quod minimè plerique arbitrantur) mira quædam in cognoſcendo ſuauitas, & delectatio. Nam, ſiue quem aliena ſtudia delectant, plurima eſt & in omni iure ciuili, & in pontificum libris, & in XII. tabulis, antiquitatis effigies, & quod & verborum priſca vetu-

ſtas

ſtas cognoſcitur, & actionum genera quædam, maiorum conſuetudinem, vitamque declarant: ſiue quis ciuilem ſcientiam contempletur, quam Sceuola non putat oratoris eſſe propriam, ſed cuiuſdam ex alio genere prudentiæ, totam hanc deſcriptis omnibus ciuitatis vtilitatibus, ac partibus, XII. tabulis contineri videbitis: ſiue quem iſta præpotens, & glorioſa philoſophia delectat, (dicam audaciùs,) hoſce habet fonteis omnium diſputationum ſuarum, qui iure ciuili & legibus continentur.

ACCEDIT VERO. à facilitate tranſit ad delectationem, quam in iure ciuili miram eſſe vult. Leuat enim laborem delectatio, neque ſinit ſtudium vllum, licet alioqui laborioſum, & arduum mole ſtum videri, ſi tamen verum quærimus, nulla ſcientia eſt, quæ minus iu cunditatis habeat, quàm ius ciuile; quod controuerſijs, & opinionibus varijs, totum refertum eſt, ideo Craſſus alienis illud exornat laudibus, hoc eſt à vetuſtate, ab vtilitate Reip. à ſententijs Philoſophicis, & à præſcriptione benè viuendi. NAM SI QVEM ALIENA STVDIA. Primo ius ciuile ab antiquitate laudat, quia multi ſunt qui rebus antiquis delectentur, qui ideo vocantur antiquarij. Iuuenal. VI. Satyra,

Ignotosq; mihi tenet antiquaria verſus.

In iure ciuili in libris Pontificum, in XII. tabulis multa eſt effigies antiquitatis, libri Pontificum erant, in quibus ſacrorum cerimoniæ tradebantur à Numa Pompilio rege inſtitutæ. T. Liuius ſcribit à Numa Pompilio Martium. Marci filium, ex patribus pontificem fuiſſe creatum, eique omnia exſcripta, exſignataque attributa, quibus hoſtijs, quibus diebus, ad quæ templa ſacra fierent, atque vnde in eos ſumptus pecunia erogaretur. Erant autem Pontifices initio quatuor, vt ait Feneſtella, poſtea quatuor alij ex plebe fuerunt addicti, itaque octo facti ſunt, inter quos vnus cæteris præerat qui Pontifex Maximus dicebatur, dicti verò ſunt Pontifices, vt Mutius Sceuola putauit, à poſſe & facere, quam Etymologiam Varro non probat, nam à ponte, & facio pontifices appellatos putat, quòd ab eis primum pons ſublicius factus

ac ſæpe reſtitutus eſſe perhibeatur, in 7. tabulis multa erant verba priſca, & quandam antiquitatis maieſtatem referentia, vt in libris de legibus apud Ciceronem videre licet, qualia ſunt illa, Inceſtum Pontifices ſupremo ſupplicio ſanciunto, Impius ne audeto placare donis iram Deorum, Sanctè vota reddunto, Pœna violati iuris eſto. Præterea ex generibus, & formulis actionum vita conſuetudoque maiorum declaratur, vt apud T. Liuium primo, primo. Lex horrendi carminis erat, Duumuiri perduellionem iudicent, ſi à duumuiris prouocarit, prouocatione certato, ſi vincent, caput obnubito, infelici arbori reſte ſuſpendito. SIVE QVIS CIVILEM. Ciuilis ſciẽtia differt à iure, quæ πολιτικὴ græcè dicitur. Eſt vis ac facultas benè adminiſtrandæ Reip. de qua multa Philoſphi diſputant, nam Plato & Ariſt. de Repub. multos libros conſcripſerunt. Scripſit etiam Cicero ſex libros de Repub. qui temporum iniuria perierunt. Sceuola dixerat ſcientiam ciuilem non eſſe propriam oratoris, ſed ad aliam quandam prudentiam pertinere. Craſſus autem totam in 12. tabulis contineri affirmat, ſed hoc facit, vt cauſæ ſuæ ſeruiat, nam omnino falſum eſt: noſtro tamen etiã tempore videmus Remp. magna ex parte à Iuriſconſultis adminiſtrari. SIVE QVEM ISTA. Philoſophiam præpotentem, & glorioſam vocat, quod magnam hominibus gloriam, & dignitatem afferat. Plato in Timeo ſic ait, vt Cicero interpretatur, quibus ex rebus Philoſophiam adepti ſumus, quo bono nullum præſtantius, nullum optabilius, neque datum eſt mortaliũ generi deorum cõceſſu atque munere, neque dabitur. leges autem, & boni mores, & omnia quæ ſunt apud homines laudabilia à Philoſophiæ fontibus emanarunt, quod lib. 5. Tuſcul. Cicero teſtatur, O vitæ Philoſophia dux, ò virtutis indagatrix, expultrique vitiorum, & quæ ſequuntur: ideo Craſſus hoc loco ſtudio iuris ciuilis extollendi, falſas illi laudes aſcribit: non enim à iure ciuili Philoſophia nata eſt, ſed cõtra potius à Philoſophia ius ciuile ortum habuit, ait enim Cicero de Philoſophia, tu inuentrix legum, tu magiſtra morum, & diſciplinæ fuiſti.

Ex his enim & dignitatem maximè expetendam videmus, cùm verus, iuſtus, atque honeſtus labor honoribus, præmijs, atque ſplendore decoratur: vitia autem hominũ, atque fraudes, damnis, ignominijs, vinculis, verberib. exſilijs, morte mulctãtur, & docemur non infinitis, concertationum-

que

que plenis diſputationibus,ſed auctoritate, nutuque legum domitas habere libidines, coercere omneis cupiditates,noſtra tueri, ab alienis menteis,oculos,manus abſtinere.

EX HIS ENIM ET. Solonis dictum eſt ſapientiſſimum omnem Reip.ſalutem præmio,& pœna contineri, cum boni viri prœmia conſequuntur,improbi pœnis afficiuntur, excitantur enim ad dignitatem,qui vero,iuſto,atque honeſto labori honores præmia, ſplendorem propoſitum vident.Notanda verò ſunt hoc loco paria paribus relata,& contraria contrarijs,quo iucundior ſit oratio, vbi de iucunditate tractatur. Vlpianus etiam ait Iuriſconſultos veram philoſophiam non ſimulatam affectare. Iuſticiam namque colimus,(inquit) boni & æqui notitiam profitemur,æquum ab iniquo ſeparantes, licitum ab illicito diſcernentes. VITIA AVTEM HOMINVM. Hæc ſuperioribus contraria ſunt, quæ deterrent homines à vitijs, numerat autem ſex pœnarum genera, quæ certo ordine procedunt, vt alia ſint alijs grauiora,primo loco damnum ponitur, cum quis pecunia mulctatur,quæ pœna omnium eſt leuiſſima, niſi ex permutatione maioris fiat,aut pecuniæ magnitudine creſcat. Secundo loco ponitur ignominia,quæ grauior eſt quam amiſſio pecuniæ. Tertio uincula,cũ enim quis in carcerem conijcitur, grauius eſt, quàm ſi aliqua tantum ignominia afficiatur. Quarto uerbera,quæ multò ſunt etiam grauiora,quam carcer. Quinto exilium,cum quis cogitur ſolum uertere, & patriæ fines excedere. Sexto mors,quæ omnium pœna eſt grauiſſima, his igitur pœnis à legibus conſtitutis, uitia tolluntur. ET DOCEMVR. Philoſophos leuiter perſtringit, qui certant inter ſe uarijs diſputationibus, & plerunque diuerſas ſequuntur opiniones, nam ſæpe nimium altercando ueritas amittitur. Leges autem ſine contentione,tantum,auctoritate,nutuq; ſuo docent homines eſſe temperantes,& iuſtos,ac temperantes quidem in domandis libidinibus, & coercendis cupiditatibus, iuſtos autem in tuendis ſuis rebus, & ab alienis abſtinendo.non autem ſatis eſt manus ab alienis abſtinere, ſed oportet etiam oculos & mentes coercere.

Fremant omnes licet: dicam quod ſentio, bibliotheca mehercule omnium philoſophorum, vnus mihi videtur XII. tabularum libellus, ſi quis legum fonteis, & capita viderit, & auctorita-

tis pondere, & vtilitatis vbertate ſuperare. Ac, ſi nos, id quod maximè debet, noſtra patria delectat, cuius rei tanta eſt vis, ac tanta natura, vt Ithacam illam, in aſperrimis ſaxulis, tanquam nidulum, affixam, ſapientisſimus vir immortalitati anteponeret, quo amore tandem inflammati eſſe debemus in eiuſmodi patriam, quæ vna in omnibus terris domus eſt virtutis imperii, dignitatis?

FREMANT OMNES LICET. Quia nimis iuris ciuilis laudes amplificat, ideo præmunitione utitur, non curo, inquit, Philoſophorum fremitum, maioris facio libellum unum 12. tabularum, quàm bibliothecas omnium Philoſophorum, hoc dicit, quoniam eo tempore plena erant omnia Philoſophorum libris, quorum plurimæ erant ſectæ, & in unaquaque ſecta plurimi ſcriptores, & unuſquiſque ſcriptor plurimos edebat libros, quare Philoſophorum bibliothecæ in immenſum creuerant. Libellus autem 12. tabularum ſemper idem erat, in quo fontes, & capita legum deſcripta fuerant: eius autoritatem, & utilitatem, Philoſophię auctoritati, & utilitati, longè anteponit. AC SI NOS ID. Argumentum à minori, ſi omnis patria ſuis grata, & cara eſt, quæ præſtantior eſt patria, ea etiã carior eſſe debet. Sed Romana patria omnium eſt præſtantisſima; ergo etiam nobis omnium carisſima eſſe debet. At uero ſi nobis patria noſtra carisſima eſt, eius mentem morem, & diſciplinam percipere debemus. Hæc autem ſunt in iure ciuili poſita, ius igitur ciuile à nobis perdiſcendum eſt. CVIVS REI TANTA EST VIS. Vlysſis exemplo docet, quanta uis patriæ ſit. Nam apud Homerum, Odyſſeę libro 5. Calypſo promittit immortalitatem Vlysſi, modo ſecum perpetuo manere uelit. Vlyſſes autem conditionem eam recuſat, & ait ſe magis patriam deſiderare, quam immortalitatem, quamuis Ithaca Vlysſis patria ſterilis eſſet, ac montana, quod in 4. Odyſſeæ Thelemachus ait. Cicero 2. de legibus idem ait, Si quidem etiam ille ſapientisſimus vir Ithacam, ut uideret, immortalitatem ſcribitur repudiaſſe. Ouid. 1. de Ponto.

Non dubia eſt Ithaci prudentia, ſed tamen optat
Fumum de patrijs poſſe videre focis. Et alibi

Ne-

Neſcio qua natale ſolum dulcedine cunctos
Ducit, & immemores non ſinit eſſe ſui.

TANQVAM NIDVLVM. Ab auibus ſumpta metaphora, quæ ſæpe nidos ſuos in aſperis ſaxis affigunt, ut pulli tutiores ſint. Vnde etiam domorum ſubſtruendarum ratio ſumpta dicitur, nam Plinius ſcribit Doxium Cæli filium, luti ædificij inuentorem fuiſſe exemplo ſumpto, ab hirundinum nidis.

Cuius primum nobis mens, mos, diſciplina, nota eſſe debet, vel quia eſt patria, parens omnium noſtrum, vel quia tanta ſapientia fuiſſe in iure conſtituendo putanda eſt, quanta fuit in his tantis opib. imperij comparandis. Percipietis etiam illam ex cognitione iuris lætitiam, & voluptatẽ, quòd, quantum præſtiterint noſtri maiores prudentia cæteris gentibus, tum facillimè intelligetis, ſi cum illorum Lycurgo, & Dracone, & Solone noſtras leges conferre volueritis.

CVIVS PRIMVM NOBIS. Mens ad leges refertur. Sunt enim leges quaſi anima ciuitatis; mos ad conſuetudinem, quæ legis habet vim, & legibus confirmatur: diſciplina ad ciuilem ſcientiam, & Reip. adminiſtrationem. Duplex redditur cauſa, cur hæc ſint perdiſcenda. Prima quia patria parens eſt omnium noſtrum; altera quia fuerunt hæc à ſapientiſsimis hominibus inſtituta, qui eadem ſapientia leges, & ius ciuile perſcripſerunt, qua totius penè terrarum orbis imperium adepti ſunt: nam hæ Romanorum artes fuerunt, vt Virgilius in 6.

Tu regere imperio populos Romane memento
Hæ tibi erunt artes pacique imponere morem
Parcere ſubiectis, & debellare ſuperbos.

PERCIPIETIS ETIAM ILLAM. Magna voluptas & lætitia eſt, intelligere ſe à maioribus prudentiſsimis originem habuiſſe. Prudentia verò cùm per ſe cognoſcitur, tum ex aliorum comparatione: Sed comparatio longè melius ſolet rerum differentiam oſtendere, ideo prouerbio dicitur, purpura iuxta purpuram eſt dijudican-

dican-

dicanda. Si quis igitur (inquit Craſſus) Romanas leges cum legibus Lycurgi, & Draconis, & Solonis contulerit, facilè intelliget quantum Romani prudentia cæteris gentibus præſtiterint. Nam Lycurgus cum multas regiones peragraſſet, domum tandem reuerſus, Lacedæmonijs ciuibus ſuis, leges ſeueras inſtituit. de quibus multa Plutarchus in eius vita, & Ariſtoteles 2. Polit. conſtitutis legibus iureiurando obligat ciuitatem (vt libro tertio Iuſtinus ſcribit) nihil eos de legibus mutaturos, priuſquam reuerteretur, & ſimulat ſe ad oraculum Delphicum proficiſci, conſulturum quid addendum, mutandumque legibus videretur, proficiſcitur autem Cretam, ibique perpetuum exilium egit, abijcique in mare oſſa ſua moriens iuſsit, ne relatus Lacedæmona ſolutos ſe Spartani religione iuſiurandi, in diſſoluendis legibus arbitrarentur. Cicero Tuſcul. 5. Lycurgum Homeri temporibus fuiſſe ſcribit. Draco Athenienſis fuit ætate ſeptem ſapiētum, aut paulo ſenior, in ſenectute ſua leges Athenienſibus ſcripſit adeo ſeueras, vt Demades orator dixerit, eas non atramento, ſed ſanguine ſcriptas fuiſſe: nam omnibus ferè delictis, pœna mortis erat conſtituta, ſicut Aul. Gel. lib. 11. cap. 18. teſtatur. Scribit Suidas Draconem poſt cō ditas à ſe leges Æginam veniſſe, atque in Theatrum ingreſſum, vbi tanto plauſo totius populi fuerit exceptus, vt coniectis in eum veſtibus, petaſis, & pallijs ſuffocatus interierit, quem poſtea Æginenſes honoris gratia in eodem theatro ſplendide tumularunt. Poſtea verò Athenienſes tacito conſenſu Draconis leges obliterarunt, & alijs mitioribus à Solone compoſitis, vſi ſunt. Fuit autem Solon vnus è ſeptem ſapientibus, cuius vitam, & inſtituta, copioſe Plutarchus ſcribit.

Incredibile eſt enim, quàm ſit omne ius ciuile, præter hoc noſtrum, inconditum, ac penè ridiculum: de quo multa ſoleo in ſermonibus quotidianis dicere, cùm hominum noſtrorum prudentiam cæteris hominibus, & maximè Græcis, antepono. His ergo de cauſis dixeram, Scæuola, iis, qui perfecti oratores eſſe vellent, iuris ciuilis cognitionem eſſe neceſſariam. Iam verò ipſa per ſe quantum afferat iis, qui ei præſunt, honoris, gratiæ, dignitasis, quis ignorat? vt apud Græcos infimi homines, mercedula adducti, miniſtros ſe præbent

bent in iudiciis oratoribus, ii, qui apud illos πραγματικοὺς vocantur: ſic in noſtra ciuitate contrà amiciſsimus quiſque, & clariſsimus vir, vt ille, qui propter hanc iuris ciuilis ſcientiam ſic appellatus à ſummo poeta eſt, Egregiè cordatus homo, Catus Aelius Sextus.

INCREDIBILE EST ENIM. Cicero multis in locis Romanorum prudentiam Græcis anteponit, ſicut hoc loco, & primo Tuſcul. vbi ita inquit, Sed meum iudicium ſemper fuit omnia noſtros aut inueniſſe per ſe ſapientius, quàm Græcos, aut accepta ab illis feciſſe meliora, quæ quidem digna ſtatuiſſent, in quibus elaborarent: Nam mores, & inſtituta vitæ, resque domeſticas, ac familiares nos perfectò & melius tuemur, & lautius, rem verò publicam noſtri maiores certè melioribus temperarunt & inſtitutis, & legibus. PENE RIDICVLVM. Vt Licurgus eiecto auro, & argento, ferreos nummos inſtituit, vt nudæ virgines cum adoleſcentibus luctarentur, vt quiuis impunè furari poſſet, modo id occultè faceret, vt ne quis plus vna veſte haberet, vt iuuenes nihil ſibi ſomni cauſa ſubſternerent, & multa eius generis. Solon inſtituit, vt mulieres vnum quem vellent, ex mariti propinquis ad rem veneream admitterent: qui lupum vinctum attuliſſet, quinque drachmas haberet ex publico. Principem ſi ebrius fuiſſet deprehenſus, impunè occidi poſſe: nonnullaq; alia, quæ ridicula eſſe videntur: At in Romanis legibus, nihil erat niſi graue, ſanctum, laudabile, ſumma prudentia ſtatutum. HIS EGO DE CAVSIS. Breuis epilogus, vt ad alias iuris ciuilis laudes accedat, Docuit enim hactenus oratori iuris ciuilis cognitionem eſſe neceſſariam: deinceps oſtendit quantum in ſe dignitatis, & honoris habeat. IAM VERO IPSA PER SE SE. Nunc ipſum ius ciuile per ſe ab oratoria arte ſeparatum, conſiderat, & oſtendit maximam hominibus dignitatem afferre, nam apud Romanos, ſicut etiã hodie apud nos, valentes Iuriſconſulti, in magno honore ac precio habebantur; quod apud Græcos contra fiebat, vbi iuriſconſulti ſolebant in cauſis forenſibus ſe miniſtros oratoribus præbere, & mercede cõducebãtur, vt oratori dicenti leges ſuggererent: qui ideo Pragmatici fuerunt appellati. Budeus ita inquit, Pragmatici erant homines quidam forenſis profeſsionis. qui cauſarum actores interdum iuris ignaros, monebant, iuris reſponſa, formulasque actionum ſubminiſtrantes. nam infra etiam hoc eodem libro ſic legitur. Itaque illi di

ſer-

ſertisſimi homines, miniſtros habent in cauſis iuriſperitos, cum ipſi ſint peritiſsimi, qui, vt abs te paulo ante dictu m eſt, pragmatici uocantur. Igitur Craſsi tempore, atque etiam Ciceronis, Romanum forum pragmaticis non vtebatur; poſtea verò vti cępit. Hinc illud Iuuenalis Sat. 7.

Si contigit aureus vnus
Inde cadunt partes in fœdera pragmaticorum.

Martialis 12.

Frumentum, milium, ptiſanamque fabamque ſolebas
Vendere pragmaticus, nunc emis agricola.

Cicero ad Atticum libro 14. pragmaticum uocat, quicquid in Rep. geſtum eſt, vt Budeum interpretari uideo. Tu ſi quid pragmaticum habes, ſcribe. mihi magis placet vt de iudicijs tantum intelligatur. Rogat autem Atticum ut ad ſe ſcribat, ſi quid in foro noui acciderit. SIC IN NOSTRA. Apud Romanos (inquit) clariſsimi viri, atque ampliſsimi de iure reſpondent; qualis fuit Sextus Ælius. Qui propter iuris ciuilis ſcientiam, ab Ænnio poeta fuit eo verſu laudatus.

Egregie cordatus homo Catus Aelius Sextus.

Cordatus enim ab antiquis dicebatur, qui ualde prudens ac ſapiens eſſet, quia cor ipſum exiſtimabant animum eſſe, ut primo Tuſcul. ait Cicero, vbi ſunt hæc verba; alijs cor ipſum animus videtur, ex quo excordes, vercordes, concordesque dicuntur. & Naſica ille prudens bis conſul, corculum appellatus, & Egregiè cordatus homo Catus Ælius Sextus, dicebatur etiam Catus, id eſt prudens, & cautus, ut Tuſcul. 2. Sed homo Catus nunquam terminat nec magnitudinis nec diuturnitatis modum. Horatius.

Poſthac ille Catus, quantumuis ruſticus ibit.

Sextus Ælius Petus inſignis uir fuit, qui omnes in Repub. magiſtratus geſsit, cum ſumma laude: nam & ædilis, & prætor, & conſul, & cenſor fuit. Tanta verò iuris ciuilis ſcientia præſtabat, vt tranſuerſo foro ambularet, vt ciuibus omnibus conſilij ſui copiam faceret, & ad eum non ſolum de iure ciuili, ſed etiam de filia collocanda, de fundo emendo de agro colendo, de omni denique aut officio, aut negocio referretur, vt in 3. de Oratore legitur. Pomponius de origine iuris ita inquit, Sex. Aelium etiam laudauit Ennius, & extat illius liber, qui inſcribitur tripartita, qui liber veluti iuris cunabula continet. Triparti-

ta autem dicitur, quod lege duodecim tabul. præpoſita, iungitur interpretatio, deinde ſubtexitur legis actio. Cicero multis in locis huius Sexti Aelij mentionem facit, in Bruto vero ſic ait, Numeroque eodem fuit Sex. Aelius, iuris quidem ciuilis omnium peritiſsimus, ſed etiam ad dicendum paratus, Aeliorum familia multos quidem illuſtres uiros tulit, ſed adeo fuerunt pauperes, vt ſexdecim eodem tempore Aelij fuerint, quibus vna domuncula erat, & vnus in agro Veientano fundus, vt Val. Max. auctor eſt, lib. 4. cap. quarto, apud antiquos Ælij dicebantur, quibus duæ ſorores nupſiſſent, vt ait Alciatus lib. Diſpunctionum 2.

Multique præterea, qui cùm ingenio ſibi auctore dignitatem reperiſſent, perfecerunt, vt in reſpondendo iure, auctoritate plus etiam, quàm ipſo ingenio valerent. Senectuti verò celebrandæ, & ornandæ, quod honeſtius poteſt eſſe perfugium, quàm iuris interpretatio? Equidem mihi hoc ſubſidium iam ab adoleſcentia comparaui, non ſolum ad cauſarum vſum forenſem, ſed etiam ad decus atque ornamentum ſenectutis, vt cùm me vires (quod ferè iam tempus aduentat) deficere cœpiſſent, iſta ab ſolitudine domum meam vindicarem. Quid eſt enim præclarius, quàm honoribus, & reip. muneribus perfectum ſenem, poſſe ſuo iure dicere idem, quod apud Ennium dicat ille Pythius Apollo, ſe eſſe eum, vnde ſibi, ſi non populi, & reges, at omnes ſui ciues conſilium expetant,

Suarum rerum incerti? quos ego mea ope ex
Incertis certos, compoteſque conſili
Dimitto, vt ne res temere tractent turbidas.

MVLTIQVE PRÆTEREA. Fuerunt etiam alij multi clariſsimi viri, ſcientia iuris ciuilis præſtantes. Vt P. Sempronius Sophus.

phus. T. Coruncanus, Attilius ſapiens Scipio Naſica, Q. Fabius Labeo, M. Cato, Manilius Torquatus. M. Brutus. Mutius Scæuola. P. Craſſus Mutianus, P. Rutilius Rufus. Q. Ælius Tubero, nonnullique alij, qui cum ingenio valerent, magnam ſibi authoritatem ex iure ciuili acquiſiuerunt. Nam vt ait Cicero in Top. ingenium & ars, auctoritatem facilè comparare ſolet, ingenium autem artis, quaſi autor eſt. SENECTVTI VERO CELEBRANDÆ. Prudentia ſenectutis eſt propria, quæ maximè perſpicitur in reſpondendo iure. vnde etiam hæc ſcientia iuris prudentia vocatur, quo fit, vt nullum honeſtius perfugium Craſſus ſenectuti eſſe cenſeat, quàm iuris interpretatio, & certè reliquarum ſcientiarum profeſſores, etiam in iuuentute maxime florent, Iuriſconſulti autem in ſenectute longè maiorem habent auctoritatem, & fidem. EQVIDEM MIHI. à perſona ſua argumentatur, & duplici de cauſa ius ciuile ſe didiciſſe oſtendit. Primo ut melius cauſas forenſes tractaret, deinde ut decus & ornamentum ſenectutis haberet. Neque enim ſemper eoſdem labores homo tolerare poteſt. Itaque uir in Rep. Clarus, efficere debet, ut cum non amplius Rempub. adminiſtrare poteſt propter ſenectutem, multi domum ſuam frequententur, quod iuriſperitus facile conſequi poterit. Cicero primo de Off. Senibus (inquit) labores corporis minuendi, exercitationes animi etiam augendæ uidentur: Danda uerò opera, vt & amicos, & iuuentutem, & maximè Remp. conſilio, & prudentia quamplurimum poſsint, adiuuent. QVID ENIM PRÆCLARIVS. Pulcherrima, & plena dignitatis comparatio, nam Iuriſconſultum ſenem, qui magnos honores, & munera in Rep. geſſerit, Apollini Pythio comparat: Sicut enim Apollo quondam de rebus dubijs oracula fundebat, & reges, & populos quid agendum eſſet admonebat, ita ſenex, & prudens iuriſconſultus, iuris nodos, (ut ait Iunendis) & legum ænigmata ſoluit: & in dubijs rebus de iure reſpondet, controuerſiaſque diſsoluit. Citat autem quædam Ennij carmina, in quibus Apollo gloriatur populos & reges à ſe conſilium expetere, Se uerò, quid ſit agendum, explanare, & homines cõſilij compotes reddere, ne dubijs in rebus in errorem incidant. Iuriſconſultus autem (inquit) ſi non poteſt dicere populos & reges à ſe conſilium petere, vt Apollo Pythinus dicit, at ſalutem ſuos ciues poteſt conſilijs adiuuare. & de rebus dubijs certiores reddere, vt ne res temerè tractent turbidas. SVARVM RERVM. Tres ſunt verſiculi ſenarij Iambici ab Ennio ſumpti, in quibus Apollo de ſe loquens inducitur. Dicuntur autem incerti, qui ſunt in aliqua moleſtia, vel periculo, vel calamitate conſtituti. Vnde res etiam incerta dicitur miſeria, & calamitas ab eodem Ennio. hinc ille ſenarius, quem in Lælio Cicero citat.

Ami-

Amicus certus in re incerta cernitur.

Ideſt veri amici fides in aduerſis rebus perſpicitur.

Eſt enim ſine dubio domus iuriſconſulti, totius oraculum ciuitatis: Teſtis eſt huiuſce Q. Mucij ianua, & veſtibulum, quod in eius infirmiſsima valetudine, affectaque iam ætate, maxima quotidie frequentia ciuium, ac ſummorum hominum ſplẽdore celebratur. Iam verò illa non longam orationem deſiderant, quamobrem exiſtimem publica quoque iura, quæ ſunt propria ciuitatis, atque imperij, tum monumenta rerum geſtarum, & vetuſtatis exempla, oratori nota eſſe debere.

EST ENIM SINE DVBIO. Præclarum encomium iuriſconſulti, vt dicatur totius ciuitatis oraculum. Nam Apollinis oracula veriſsima habebantur, vnde veteres cum aliquid vehementer verum eſſe ſignificare vellent, dicere ſolebant, ex tripode, vel ex oraculo Apollinis profecta. Cicero ad Brutum, Hæc ex oraculo Apollinis Pythij, edita tibi puta. Terentius,

Non Apollinis magis verum, atque hoc reſponſum eſt.

Ita prudens etiam, & longo rerum vſu peritus iuriſconſultus vera tũ rñdet, vt eius de iure reſponſa meritò dici oracula poſsint. TESTIS EST HVIVSCE. Probat ab exemplo Q. Scæuolæ ſoceri ſui, quod ſupra dixerat. Nam licet (inquit) hic Q. Mutius iam ualde ſenex ſit, & infirma valetudine, tamen ad eum quotidie conſuiendi gratia multi ciues, & ſummi homines accedũt. AFFECTAQVE IAM. id eſt quaſi ad finem deducta. A. Gel. lib. 3. cap. 16. ſic ait. Affecta enim, ſicut M. Cicero, & veterum elegantiſsimi locuti ſunt, ea proprie dicebantur, quæ, non ad finem ipſum, ſed proximè fini progreſſa, deductàue erant. Hoc verbum ad hanc ſententiam in Ciceronis oratione fuit, quam dixit de prouincijs conſularibus. verba verò Ciceronis idem Aul. Gel. citat lib. 15. cap. 5. quæ ſunt hæc, bellum affectum videmus, & verè vt dicam penè confectum. Item infra; Nam ipſe Cæſar, quid eſt, quod in ea prouincia commorari uelit, niſi

vt ea, quæ per eum affecta ſunt, perfecta Reip. tradat. idem Cicero in Oeconomico, cum verò affecta iam prope æſtate, uuas à ſole miteſcere tempus eſt. IAM VERO ILLA. Hactenus docuit ius ciuile, quod priuatum eſt, & ad ſingulorum vtilitatem pertinet, oratori neceſſarium eſſe. Deinceps autem oſtendere conatur, etiam ius publicum, quod pertinet ad ſtatum totius Reip. neceſſarium eidem eſſe oratori. neque longa opus eſſe oratione (inquit) quoniam hoc per ſe ferè manifeſtum eſt, & ex eis, quæ dicta ſunt, manifeſtius etiam euaſit, ſicut etiam monumenta rerum geſtarum, & vetuſtatis exempla, quæ Annalibus & hiſtorijs traduntur, ſunt oratori neceſſaria.

Nam vt in rerum priuatarum cauſis, atque iudicijs depromenda ſæpe oratio eſt ex iure ciuili, & idcirco, vt antè diximus, oratori iuris ciuilis ſcientia neceſſaria eſt: ſic in cauſis publicis iudiciorum, contionum, ſenatus, omnis hæc & antiquitatis memoria, & publici iuris auctoritas, & regendæ reipub. ratio ac ſcientia, tanquam aliqua materies, ijs oratoribus, qui verſantur in rep. ſubiecta eſſe debent. Non enim cauſidicum neſcio quem, neque proclamatorem, aut rabulam hoc ſermone noſtro conquirimus, ſed eum virum, qui primum ſit eius artis antiſtes, cuius cùm ipſa natura magnam homini facultatem daret, tamen eſſe deus putatur, vt & ipſum, quod erat hominis proprium, non partum per nos, ſed diuinitus ad nos delatum videretur: deinde qui poſsit non tam caduceo, quàm nomine oratoris ornatus, incolumis vel inter hoſtium tela uerſari: tum qui ſcelus, fraudemque nocentis poſsit dicendo ſub iicere odio ciuium, ſupplicioque conſtringere: idemque ingenii præſidio, innocentiam, iudiciorum pœna liberare: idemque languentem, la-

bentemque populum aut ad decus excitare, aut ab errore deducere, aut inflãmare in improbos, aut incitatum in bonos, mitigare: qui denique, quemcumque in animis hominum motum res & cauſa poſtulet, eum dicendo vel excitare poſsit, vel ſedare. Hanc vim ſi quis exiſtimat aut ab iis, qui de dicendi ratione ſcripſerunt, expoſitam eſſe, aut à me poſſe exponi tam breui, vehementer errat; neque ſolùm inſcitiam meam, ſed ne rerũ quidem magnitudinem perſpicit.

NAM VT IN RERVM PRIVATARVM. à ſimili argumentatur. Sicut enim ius aliquod priuatum eſt, aliquod publicum: ita ſunt etiam cauſæ aliquę priuatæ, aliquæ publicæ: Sed in priuatis cauſis ſupra demonſtratum eſt, iuris priuati cognitionem eſſe oratori neceſſariam, ergo etiam in cauſis publicis cognitio iuris publici neceſſaria eſt. Cauſæ publicæ, vel iudiciorum ſunt, vt in quibus de maleficio agitur, vt de repetundis, de veneficio, de ſiccarijs, de ambitu, de cæde, de maieſtate, vel concionum, quæ apud populum habentur, vt de Comitijs, de magiſtratibus, de legibus ferendis, aut abrogandis, de prouincijs, & reliquis eiuſmodi, quæ in populi poteſtate conſtituta erant: vel denique Senatus, vt de pace, de bello, de fœderibus, de inducijs. de adminiſtratione Reip. His omnibus publicis cauſis, tanquam materia quam tractent, & in qua verſentur, tria ſubiecta ſunt. Primo ius publicum, deinde ciuilis ſcientia, quam politicam vocant, tum antiquitatis memoria, quæ hiſtorijs, & annalibus continetur. NON ENIM CAVSIDICVM. Oſtendit ſe non infimũ oratorem, ſed perfectum quęrere. Cauſidici proclamatores, & rabulæ dicũtur à Cicerone, viles homines qui lucrandi gratia cauſas agunt, & cum imperiti ſint, tamen clamore ſunt odioſi, ac moleſti litigatores. In Oratore ad Brutum eadem penè verba dixit, cum ita inquit, non enim declamatorem aliquem de ludo, aut rabulam de foro, ſed doctiſsimum, & perfectiſsimum quærimus. EIVS ARTIS ANTISTES. Princeps, qui primum locum obtineat. Nam Antiſtes propriè ſacrorum eſt, quòd alijs anteſtet, ſed etiam ad alias res transfertur, vt Seruius Sulpitius iuris Antiſtes appellatus eſt, ſicut ait Quintil. libro 11. cap. 1. Plinius Platonem ſapientiæ Antiſtitem vocat. lib. 7. ca. 30. & hoc loco Craſſus dixit, artis antiſtes, hoc eſt

Prin-

Princeps,& Catullus dixit,ver anni omnibus è meis amicis Antiſtes. CVIVS CVM IPSA NATVRA. Natura dat omnibus loquendi facultatem,ſed orator ſermonem, quem habet à natura ſic excolit, vt non ab omnibus didiciſſe, ſed à Deo habuiſſe videatur. Vnde perfectus orator, quaſi mortalis quidam Deus exiſtimatur, vt ait Quintilianus. DEINDE QVI POSSIT. Caduceatores legati pacis dicuntur, nam Caduceus virga erat,quæ pacis inſigne putabatur, qui eam geſtabant, iure gentium vbique tuti, atque incolumes eſſe poterant. Orator igitur, inquit Craſſus, non tam caduceo, quam oratoris nomine tutus eſſe debet, etiam inter hoſtium tela. Magna uis eſt eloquentiæ, quod Val. Max. libro 8.cap.9.docet,quod M.Antonius docuit: ad quem cum milites ut eum interficerent à Mario atque Cinna miſſi fuiſſent, ex oratione eius obſtupefacti,diſtrictos iam gladios uaginis reddiderunt.Piſiſtratus tantum dicendo ualuiſſe traditus eſt, ut ei Athenienſes regium imperium oratione capti permitterent. Pericles dicendo Athenienſes arbitrio ſuo uerſauit.Hegeſias Cyrenaicus tanta eloquentia miſerias huius uitæ cõmemorabat,ut multi eo audito ſibi mortem conſciſcerent. TVM QVI SCELVS. Debet etiam orator ſceleratos homines accuſare,& efficere,ut condemnentur, & omnes uitium odio proſequantur,innocentes autem defendere,& à periculis liberare.Cuius rei extant exempla apud Ciceronem ut accuſationis in Verrem,in Catilinam, in Antonium, defenſionis pro Roſcio Am. pro Milone, pro Cor.Balbo,item excitare languentes ad decus & honorem ut pro Lege Man.pro P.Seſtio nonnullis in Philippicis. inflammare in improbos,ut in Catilinam,in Piſonem,in Antonium,mitigare,ut pro M. Cælio pro Q.Ligario. QVEMCVNQVE MOTVM. Vt miſericordiam,clementiam,uel contra, ſæuitiam, odium inuidiam De quibus Ariſtoteles ſecundo Rhetoricorum, quibus in motibus concitandis Cicero regnaſſe dicitur. HANC VIM SIQVIS. Reuertitur ad id,quod initio dixerat, facultatem oratoriam à ſcriptoribus artis,non eſſe traditam,ut concludat præcepta quidem artis utilia eſſe,ueruntamen ad eloquentiam acquirendam non ſufficere.Vim autem intelligimus,quam Ariſtoteles δύναμιν uocat,& Cicero alibi facultatem,quæ ex uarijs artibus,& ſcientijs conſtat. Sunt autem multi in hoc errore,qui putent cognitis præceptis Rhetoricæ, ſe diſertos, & eloquentes futuros,qui ſanè rerum magnitudinem non aduertunt. Nam in eloquentia duo ſpectantur, rerum cognitio,& dicendi ratio. Cognitio rerum ex uarijs ſcientijs,& auctoribus percipitur: dicendi ratio,ac uia,ab artis Rhetoricæ ſcriptoribus.

Equi-

Equidem vobis,quoniam ita voluiſtis,fonteis, vnde hauriretis, atque itinera ipſa, ita putaui eſſe demonſtranda:non vt ipſe dux eſſem, (quod & infinitum eſt, & non neceſſarinm,) ſed vt commonſtrarem tantum viam,&, vt fieri ſolet, digitum ad fonteis intenderem.Mihi verò inquit Mucius, ſatis,ſuperque abs te uidetur iſtorum ſtudiis, ſi modò ſunt ſtudioſi, eſſe factum. nam, vt Socratem illum ſolitum aiunt dicere, perfectum ſibi opus eſſe, ſi quis ſatis eſſet concitatus cohortatione ſua ad ſtudium cognoſcendæ, percipiendæque virtutis: (quibus enim id perſuaſum eſſet, vt nihil mallent ſe eſſe, quàm bonos viros, iis reliquam facilem eſſe doctrinam) ſic ego intelligo,ſi in hæc, quæ patefecit oratione ſua Craſſus,intrare volueritis:facillimè vos ad ea,quæ cupitis, peruenturos ab hoc aditu,ianuaq; patefacta.

EQVIDEM VOBIS. Concludit ſermonem ſuum Craſſus, & oſtendit nihil à ſe prætermiſſum eſſe eorum,quæ ad perfectam eloquentiam ſpectant. Nam & fontes oſtendit,hoc eſt artes,& ſcientias, vnde ius omnis, ac facultas oratoria manat, & itinera, hoc eſt artis præcepta. Sed quoniam hæc longe pluribus verbis indigebant, ideo dicit Craſſus ſe voluiſſe ducem eſſe,quoniam hoc fuiſſet infinitum & non neceſarium,ſed tantum digito fontes oſtendere voluiſſet,adquos hauriendi gratia poſſent adoleſcentes accedere. Eleganter autem dicuntur digitum ad fontes intendere, qui diſcendi cupido, rationem aperiunt,vnde quæ cupit intelligere, addiſcere poſſit: Tranſlatio ab ijs ſumpta,qui ſitientibus fontes præmonſtrant, vnde ſedare ſitim valeant. Nam diſcendi cupiditas ſiti comparatur vt Cato apud Ciceronem de ſenectute; literas græcas ſic auidè arripui, quaſi diuturnam ſitim explere cupiens, & pro Cn. Plancio, deinde me ſitientem virtutis tuæ deſeruiſti. MIHI VERO INQVIT MVTIVS. Laudat Sceuola Craſſi orationem, & ait eam ſufficere

re ad excitandum duorum illorum adoleſcentium ſtudium, vt nihil amplius ab illis ſit requirendum. Nam ſi ſtudioſi fuerint reliqua per ſe facile poſſe adiungere. Atque hoc Socratis au&oritate probat, qui dicere ſolebat hanc viam ad virtutem eſſe compendiariam, ſi cui perſuaſum eſſet, nihil ſe malle eſſe quam bonum virum. SATIS SVPERQVE. Copioſe, & tantum, vt nihil amplius quæri debeat. Locutio Ciceronis familiaris, vt de Amic. Satis ſuperque eſſe ſibi ſuarum cuique rerum curam, ſecundo de Nat. Deor. nam contra Epicurum ſatis ſuperq; dictum eſt. Virgilius II. Æneid.

Satis vna ſuperque
Vidimus excidia. Horatius Epod. I.
Satis ſuperq; me benignitas tua ditauit.

NAM VT SOCRATEM. Argumentum ab auctoritate, & ſimili. Socrates nunquam ceſſabat adoleſcentes ad virtutem excitare. Cum autem videbat aliquem cohortatione ſua ſatis eſſe concitatum, dicebat perfectum ſibi opus eſſe: nam qui virtutem amare incipit, vt ait Ariſtoteles, is breui tempore magnos in ea progreſſus facit. Et hoc eſt, quod etiam Socrates dicebat: facilem eſſe doctrinam ijs, qui nihil malunt ſe eſſe, quam bonos viros. SIC EGO INTELLIGO. Accommodat argumentum ſuum ad Socratis dictum. Si Cotta, inquit, & Sulpitius intrare voluerint in ea ſtudia, quæ Craſſus oratione ſua patefecit, facilè fient eloquentes. ADITV, IANVAQVE. Allegoria eſt. Difficile eſt in aliquem locum intrare, cum aditus atque ianua clauſa eſt. Verum ſimul atque patefit aditus, & ianua recluditur, facilis eſt ingreſſus. Seruius ſuper eo Virgilij carmine,

Quo lati ducunt aditus centum, oſtia centum:

Sic ait, non ſine cauſa, & aditus dixit, & oſtia, nam Vitruuius, qui de Architectura ſcripſit, ait, cum ab aliquo arcemur ingreſſu id oſtium dici ab oſtando, cum ingredimur aditum, ab adeundo. Apud Ciceronem frequentes ſunt illæ dicendi formulæ, patefacere aditum, munire aditum, atque his contrariæ, Claudere aditum, obruere aditum.

Nobis verò, inquit Sulpicius, iſta ſunt pergrata, per que iucunda: ſed pauca etiam requirimus, in primiſq; ea quæ valde breuiter à te, Craſſe, de ipſa arte percurſa ſunt, cùm illa te & non contemnere, & didiciſſe confiterere. ea ſi paullo latiùs

dixeris, expleris omnem exſpectationem diuturni deſiderij noſtri. Nam nunc, quibus ſtudendum rebus eſſet, accepimus, quod ipſum eſt tamen magnum: ſed vias earum rerum, rationemque cupimus cognoſcere.

NOBIS VERO INQVIT SVLPITIVS. Sceuolæ videbatur huic diſputationi ſatisfactũ, quia Craſſum audiuerat, & de amplitudine, magnitudineque eloquentiæ diſputantem, & quæ a natura petenda eſſent, & quæ à præceptis artis, & quæ ab exercitatione, poſtremo quæ in oratore maxima eſſe debeant. Verum Sulpitius oſtendit nondum ſibi planè ſatisfactum, quia cupiebat ſibi diffuſius explicari, quæ de arte breuiter à Craſſo decurſa fuerãt. Hoc eſt igitur, quod à Craſſo petit. ISTA SVNT PERGRATA; Laurentius Valla libro 4. cap. 89. Iucundus, inquit, & gratus ſic differunt, quod iucundus propriè in proſperis, gratus in aduerſis. Et hanc differentiam nonnullis probat exemplis, quæ tamen non eſt perpetua, quia frequenter in eadem re coniunguntur, vt hoc in loco, & 4. in Catil. Eſt mihi iucunda in malis, & grata in dolore, veſtra erga me voluntas: illud verius, quòd iucundum ad amænitatem, gratum ad fructum ſæpius refertur. CVM ILLA TE, ET NON. Duas cauſas affert, quod Craſſus explicare debeat, quæ ad artem pertinent: prima eſt, quòd ea non contemnat, ſed ingenuo, & libero homine digna eſſe exiſtimet. Altera, quod ea ſe didiciſſe confeſſus fuerat, itaque facile etiam docere poterat. Hoc vnum ad explendam expectationem deſiderij ſui deeſſe ait. NAM NVNC QVIBVS. intelleximus, inquit, quæ ſit materia, quam tractet, & in qua verſetur orator, nunc viam, & rationem dicendi cupimus intelligere. Viam autem intelligit, quam Græci μέθοδον vocant, vt in Partitionibus. Quid definitionis, quæ ratio, & quæ via? & in Bruto, nam antea neminem ſolitum via nec arte, ſed accurate tamen, & de ſcripto pleroſque dicere. Quintilianus, duas grammaticæ partes facit Methodon & hiſtoriam. Methodon appellans inquit Budæus, quam Cicero viam, artem, & rationem uocat. Hinc methodici dicti ſunt, qui rationem artis, & diſcendi compendia ſequuntur, quo nomine ſe vocarunt quidam medici, quod ait Galenus, Theſſali ſectatores. Nam Theſſalus medicus fuit Neronis tempore, qui ſe iatronicen, ideſt medicorum uictorem appellauit, vt Plinius ait libro 29. hunc qui ſequebantur, Galenus ait, amethodos fuiſſe id eſt, ſine via, ac ratione.

Quid ſi, inquit Craſſus quoniam ego, quo faciliùs vos apud me tenerem, veſtræ potiùs obſecutus, ſum voluntati, quàm aut conſuetudini, aut naturæ meæ, petimus ab Antonio, vt ea, quæ continet, neque adhuc protulit, ex quibus vnum libellum ſibi excidiſſe iamdudum queſtus eſt, explicet nobis, & illa dicendi myſteria enuntiet? Vt videtur, inquit Sulpicius. nam Antonio dicente, etiam quid tu intelligas, ſentiemus.

QVID SI INQVIT CRASSVS. Craſſus iam à ſe dicendi onus in Antonium cupit reijcere, quod artificioſe fit, vt Antonio dicendi detur occaſio. Sunt enim hi libri in diſputatione ac dialogo more Ariſtotelico conſcripti, ſicut in Epiſtolis ait Cicero. Cauſa reijciendi oneris à Craſſo hæc eſt, quod hactenus contra conſuetudinem & naturam ſuã dixit, vt adoleſcentium voluntati obſequeretur, & ne uel inhumanus, uel ſuperbus uideretur; nunc autem æquum eſt, vt etiam Antonius ea dicat, quæ nondum protulit, de quibus ſe libellũ quendam compoſuiſſe dixerat, qui ſibi inuito excidiſſet. ILLA DICENDI MYSTERIA. Rhetorum arcana & ſecreta præcepta, quæ tanquam myſteria occultãtur. Nam myſteria, ſicut ait Cęlius, erant ſacra quædam, quæ à latinis ſecluſa vocabantur, quę ita erant arcana, vt ea vulgare nefas eſſet. Myſteriorum duo fuiſſe genera dicuntur apud græcos, Magna, quę Cereri ſacra erant, & parua, quæ Proſerpinæ, in quibus quæcunque agebantur ſummo ſilentio occultabantur, & qui ea vulgaſſet impius putabatur.

Horatius, *vetabo, qui Cereris ſacrum*
Vulgarit arcana, ſub ijſdem
Sit ratibus, fragilemq; mecum
Soluat phaſellum.

Cic. 2. de Nat. quod quale ſit ex miſterijs intelligi poteſt. & 4. Epiſt. ad Att. ait epiſtolas ſuas multum habere myſteriorum, & 4. Tuſcul. ita inquit, de quibus dici non neceſſe eſt, ne Rhetorum aperiamus myſteria. Myſtæ uerò dicebantur myſteriorum periti, & Myſtagogi, myſteriorum principes, ſicuti res myſticæ, quæ in myſterijs agebantur. Virgilius,

& my-

Et myſtica vannus Iacchi.

Tradunt autem à Dyoniſio myſteria fuiſſe inſtitituta, quæ ſecluſa ſacra dicebantur, vt Feſtus ait, & opertanea; de quibus etiam Plinius meminit. Cicero 2. de leg. initia fuiſſe vocata docet, cum ſic ait; Tu nihil melius illis myſterijs, quibus ex agreſti, immanique vita exculti ad humanitatem, & mitigati ſumus, initiaque vt appellantur, ita re vera principia vitæ cognouimus. Et initiari dicebantur, qui ius adeundi myſteria percipiebant. Tuſcul. 1. reminiſcere, quoniam es initiatus, quæ trandantur myſterijs. VT VIDETVR. Sulpitius ne contemnere videatur Antonium, concedit vt Antonius de Arte loquatur, ſed tamen oſtendit, ſe cupidum eſſe intelligendi quid Craſſus ſentiat.

Peto igitur, inquit Craſſus, à te quoniam id nobis, Antoni, hominibus id ætatis, oneris ab horum adoleſcentium ſtudiis imponitur, vt exponas, quid iis de rebus, quas à te quæri vides, ſentias. Deprehenſum equidem me, inquit Antonius, planè video, atque ſentio, non ſolùm quòd ea requiruntur à me, quorum ſum ignarus, atque inſolens, ſed quia, quod in cauſis valde fugere ſoleo, ne tibi, Craſſe, ſuccedam, id me nunc iſti vitare non ſinunt.

PETO IGITVR INQVIT CRASSVS. Summam modeſtiam & humanitatem Craſſo vbique Cicero attribuit, Comiter igitur etiam hoc loco petentem facit ab Antonio, quid de oratoria facultate ſentiat, quoniam ipſe iam multa verba fecerat, vt adoleſcentibus obſequeretur: æquum eſſe cenſet, vt etiam Antonius ſententiam ſuã exponat, & cauſam addit, quoniam id onus ab adoleſcentium illorum ſtudijs non ſibi tantum, ſed etiam Antonio fuerat impoſitum. DEPREHENSVM EQVIDEM ME. Antonius plurimum in refellendo ualebat, & artis ſuæ diſſimulator erat. Volebat enim imperitus exiſtimari, quamuis eſſet eruditiſſimus: quoniam ita populo gratiorem futuram orationem ſuam exiſtimabat, ſi non didiciſſe putaretur. Itaque facultatem vbique ſuam extenuat, ut in hoc exordio, Craſſum autem extollit. Duas uero cauſas affert, cur ſe derpehenſum ſentiat, prima quod ſit ignarus artis, & de ea loqui non

ſoleat. Altera quod in dicendo Craſſo ſuccedere cogatur, quod antea uitare conſueuerat. Sumit tamen diſputandi prouinciã, & Craſsi ſententiam quodammodo corrigit. Neque enim oratori tã multa eſſe neceſſaria cenſet, quam Craſſus dixerat, ſed certam illi materiam, & certas cauſas attribuit, in quibus uerſetur & ualeat, quibus uerſetur & ualeat, quamuis alias artes & ſcientias non perceperit. DEPREHENSVM. Metaphora ab illis ſumpta, qui in aliquo facto reperiuntur, in quo ipſi minime uellent, ut in furto deprehendi, aut in adulterio Cicero 7. in Verr. Quaſi eſſet in aliquo manifeſto ſcelere deprehenſus. Ouid. 3. Metam.

Quis enim deprehendere poſſet Furta Iouis.

Pro Aulo Cluentio; cum manifeſto uenenum deprehendiſſet. Primo ad Att. P. Clodius deprehenſus domi Cæſaris, cum muliebri ueſte. NON SOLVM. Prima cauſa ignarus quatenus ad artem, inſolens quatenus ad diſputationem de arte. SED QVIA. Altera cauſa, nam qui eloquentiſſimo ſuccedit in dicendo, uix vnquam ſatis auditoribus facere poteſt, ut qui bono principi ſuccedit modicam laudem, aut nullam aſſequitur, ſæpe etiam in dedecus, & ignominiã delabitur. Tradunt Octauium Auguſtum ſibi Tiberium ſucceſſorem deſtinaſſe, ut ex eius uitijs, maius de ſe Romanis deſiderium concitaret, & ipſe in morte maiorem laudem conſequeretur.

Verùm hoc ingrediar ad ea, quæ vultis, audaciùs, quòd idem mihi ſpero vſu eſſe venturum in hac diſputatione, quod in dicendo ſolet, vt nulla exſpectetur ornata oratio. neque enim ſum de arte dicturus, quam numquam didici, ſed de mea conſuetudine: ipſaque illa, quæ in commentarium meum retuli, ſunt eiuſmodi, non aliqua mihi doctrina tradita, ſed in rerum vſu, cauſiſque tractata. quæ ſi vobis, hominibus eruditiſſimis, non probabuntur, veſtram iniquitatem accuſatote, qui ex me ea quæſieritis, quę ego neſcirem: meam facilitatem laudatote, cùm vobis nõ meo iudicio, ſed veſtro ſtudio inductus, non grauatè reſpondero:

VERVM HOC INGREDIAR AD EA. Nihil magis eſt contrarium ijs, qui placere volunt, quam expectatio. Cum autem nihil quod egregium ſit ab aliquo expectatur, tunc ſi quid etiam mediocre ab illo profectum fuerit, magnopere laudatur. Hoc eſt, quod ſe conſolatur Antonius, quod vt in cauſis, ita etiam in hac diſputatione, nemo à ſe ornatam orationem eſſet expectaturus. NEQVE ENIM SVM. Hæc eſt diſtinctio, qua conſuetudinem ſuā ſeruat, vt artem diſſimulet, & quia poterat aliquis obijcere illum de arte ſcripſiſſe, reſpondet, ea, quæ retulit in commentarium ſuum, ſe non ab arte, aut doctrina, ſed ab vſu, atque experientia didiciſſe. Vocat autem libellum ſuum, quem de Rhetorica ſcripſerat, commentarium. Nam commentarius, vel commentarium, idem eſt, quod diarium, & ephemeris, & aduerſaria, hoc eſt, libellus in quo ſummatim ſcribuntur ea, quæ meminiſſe volumus, in ſingulos dies; vt commentarij Cæſaris, quos ideo ſcripſit, vt hiſtoricis latius ſcribendi materiam præſtaret. Cicero ad Att. 1. commentarium conſulatus mei græcè ſcriptum ad te miſi. Cęlius Epiſt. Commentarium rerum vrbanarum primum dedi L. Caſtrinio. Hinc eleganter dicitur in commentarium referre, vt hoc in loco, & Tuſc. 3. In eo eſt diſputatio ſcripta Carneadis, quam ſe ait in commentarium retuliſſe, & commentarios conficere, vt Cic. Epiſt. 5. ſi ſuſcipis cauſam, conficiam commentarios rerum omnium. QVÆ SI VOBIS. Elegans & faceta diſtributio: ſi quæ dixero, inquit, vobis non placebunt, veſtrā erit iniquitas accuſanda, mea vero facilitas laudanda. Nam vos iniqui eſtis, cum ea petatis à me, quæ neſcio, ego verò facilis, qui veſtro ſtudio ſatisfacere cupio.

Tum Craſſus, Perge modò, inquit, Antoni. nullum eſt enim periculum, ne quid tu eloquare, niſi ita prudenter, ut neminem noſtrum pęniteat ad hūc te ſermonem impuliſſe.

TVM CRASSVS. Antonij animum confirmat Craſſus, & eum à prudentia laudat. Nam qui prudenter loquitur, ſemper aliquid eiuſmodi profert, quod dignum memoria eſſe videatur. Eſt enim prudentia, ſicut ait Socrates, virtutum omnium moderatrix, & quaſi magiſtra.

Ego verò, inquit, pergam: & id faciam, quod in principio fieri in omnibus diſputationibus oportere cenſeo: vt, quid ſit, de quo diſputetur, explanetur, ne vagari, & errare cogatur oratio, ſi ii, qui inter ſe diſſenſerint, non idem eſſe illud, de quo agitur, intelligent. Nam, ſi fortè quæreretur, quę eſſet ars imperatoris, conſtituendum putarem principiò, quis eſſet imperator: qui cùm eſſet conſtitutus adminiſtrátor quidam belli gerendi, tum adiungeremus de exercitu, de caſtris, de agminibus, de ſignorum collationibus, de oppidorum oppugnationibus, de commeatu: de inſidiis faciendis, atque vitandis, de reliquis rebus, quæ eſſent propriæ belli adminiſtrandi: quarum qui eſſent animo, & ſcientia compotes, eos eſſe imperatores dicerem: vterque exemplis Africanorum, & Maximorum: Epaminondam, atque Annibalem, atque eius generis homines nominarem.

EGO VERO INQVIT. Antonius id eſſe verum intelligit, quod in Phædro poſitum à Platone, multis in locis à Cicerone vſurpatur, vt cum de aliqua re facere verba volumus, ab eius definitione incipiamus, ne uagari cogatur oratio, cum incertum ſit, quid ſit id, de quo diſputetur. Ponit igitur oratoris definitionem, ad communem opinionem, & conſuetudinem accomodatam: Nam Craſſus perfectum oratorem eum eſſe definiuerat, qui quęcunque res inciderit, quę ſit dictione explicanda, prudenter, & cõpoſitè, & ornatè, & memoriter dicat, cũ quadã etiã actionis dignitate. Antonius aũt ait, oratorem eſſe, qui in cauſis forenſibus, atque communibus & verbis ad audiendum iucundis, & ſentẽtijs ad probandũ accommodatis uti poſsit. Species oratoris, quàm Craſſus ponit perfecta eſt: ea verò quam ponit Antonius, etiam ſi perfecta non ſit, tamen eſt in ſuo genere laudabilis. NAM SI FORTE QVÆRERETVR. A ſimili pro-

bat

bat oratorem eſſe primo definiendum, antequam ſtatuamus quæ oratoriæ facultati ſubijciantur, vt ſi de arte imperatoris nobis dicendum ſit, primò definiendum, quid ſit imperator. Definit autem Imperatorem hoc modo, Imperator eſt belli gerendi adminiſtrator. Sciendum eſt igitur apud antiquos imperatorem quidem fuiſſe nomen dignitatis, ſed tamen non ſignificaſſe, quod noſtro tempore ſignificat, qui dominus omnium, & monarcha eſt. Nam imperatores imperio Senatus, & populi Rom. ſubiecti erant, atque illi parebant, erant enim tantum ductores exercituum, & præfecti copiarum, qui populi Rom. iuſſu, vel bellum adminiſtrabant, uel prouincijs præerant, & ſinguli duos legatos ordinarios habebant, atque interdum etiam plures, ſi res ipſa poſtulare videretur. Quin prætores qui prouincias regebant, honoris gratia imperatores dicebantur, & qui bellum gerentes egregiam aliquam victoriam conſecuti fuiſſent, imperatores ab exercitu ſalutabantur. Cicero in Epiſt. iuſta victoria Imperator apud Iſſum appellatus. Pompeius cum in Africa Domitium ſuperaſſet, ab vniuerſo exercitu fuit imperator ſalutatus. C. Cæſar deinde, cum Rempub. occupaſſet, prænomen imperatoris, tanquam minus inuidioſum accepit, quem ſecuti quicunque poſtea Romæ regnum obtinuerunt, Imperatores appellati ſunt. Ex mulieribus vnam ſolum Zenobiam, Palmyrenorum reginam, ſua uirtute nomen hoc tuliſſe legimus, cum eius auſpicijs multa præclarè geſta fuiſſent. Cicero pro L. Man. in ſummo Imperatore quatuor ait has res ineſſe oportere? ſcientiam rei militaris, virtutem, auctoritatem, felicitatem, quos in Pompeio fuiſſe docet. Itaque concludit Pompeium ſummum eſſe Imperatorem. Cũ autem quid ſit Imperator declaratum fuerit, tum oportet videre quæ illi ſubijciantur, quæ ſeptem potiſsimum ab Antonio nominantur. Primo exercitus, qui habendo delectu conſtituitur, ex legionarijs, & auxiliaribus, ex tyronibus, & veteranis: Secundo caſtra vel maiora quæ ſunt opportuno loco ſtatuenda, & portis diſtinguenda. Tertio agmina, quo ſint ordine ducenda, atque in itineribus cuſtodienda. Quarto ſignorum collationes, quomodo dimicandum ſit, & qua ratione ſint acies in prælijs inſtruendæ, qua laude Pyrrhus Epirotarum rex præſtitit. Quinto commeatus, ne forte militibus deſit victus, prouidenda eſt res frumentaria, cæteraque quæ ad viuendum pertinent. Sexto oppidorum oppugnationes, quomodo ſint vrbes obſidendæ, quomodo oppugnandæ, & quibus arietibus, ac inſtrumentis, Septimo inſidiæ, quomodo faciendæ ſint, aut uitandæ; Neque enim ſemper aperto Marte dimicandum eſt, ſed interdum dolis, & inſidijs vtendum, quibus hoſtes decipiantur, vt ait Virg.

Dolus an uirtus, quis in hoſte requirat.

Ha-

Harum rerum quicunque ſunt animo & ſcientia compotes, merito poſſunt imperatores appellari, quales multi fuerunt apud Romanos. Nominat autem M. Antonius ex Romanis Africanos, & Maximos, ex externis Epaminondam, & Annibalem. Duo Africani Scipiones ſunt hiſtorijs notiſsimi, quorum maior Aſdrubalem, Magonemque fratres Annibalis, Hiſpania expulit; deinde in Africam traiecit conſul factus, & Annibalem ex Italia reuocatum ſuperauit. Victis Carthaginienſibus, leges impoſuit, inferior autem, qui Scipio Aemilianus dictus fuit, conſul Charthaginem rebellantem intra ſex menſes deleuit. Numantiam in Hiſpania fame uicit, & ſolo æquauit. Q. Fabius Maximus Verrucoſus, à verruca in labris dictus. itam ouicula à clementia morum. conſul de Lyguribus triumphauit. Annibalem mora, & patientia fregit, vnde cunctator fuit appellatus. de quo ſic Ennius.

Vnus qui nobis cunctando reſtituit rem.

Epaminondas Thebanorum imperator vir eximius, & Philoſophiæ ſtudijs deditus, qui Lacedæmonios bello ſuperauit. De quo ita Cicero 5. Epiſt. Quem enim voſtrum illi moriens apud Mantineam Epaminondas, non cum quadam miſeratione delectat, qui tum denique ſibi auelli iubet ſpiculum, poſteaquam ei percunctanti dictum eſt, Clypeum eſſe ſaluum. Annibal Romanorum hoſtis perpetuus Saguntum euertit, alpibus patefactis in Italiam traiecit, P. Scipionem apud Ticinum, P. Sempronium apud Trebiam ſuperauit, Flaminium apud Traſimenam lacum. Varronem & Aemilium apud Cannas, tandem in Africam reuocatus à Scipione ſuperiore, victus eſt. Hi quinque ſummi fuerunt imperatores, quos exempli gratia M. Antonius ponit, nam alij etiam plurimi fuerunt.

Sin autem quæremus, quis eſſet is, qui ad rempub. moderandam vſum, & ſcientiam, & ſtudium ſuũ contuliſſet, definirem hoc modo: Qui, quibus rebus vtilitas reipub. pararetur, augereturque, teneret: ijsque vteretur: hunc reipub. rectorem, & conſilii publici auctorem eſſe habendum: prædicaremque P. Lentulum, principem illum, & Tit. Gracchum patrem, & Q. Metellũ, & P. Africanum,

Africanum,& C.Lælium,& innumerabileis alios cùm ex noſtra ciuitate,tum ex cęteris.

SIN AVTEM QVÆREREMVS QVIS ESSET. Secundum exemplum, quo Senatorem optimum deſcribit, hoc eſt Reip.adminiſtratorem.Nam ex his duobus, vniuerſa Reip.ſalus pendet,hoc eſt ex imperatore,& Senatore.Senator domi eſt publici conſilij auctor, Imperator foris bella gerit·Parum autem foris arma proſunt,niſi ſit domi conſilium. Hæc eſt igitur boni Senatoris definitio, Senator eſt,qui quibus rebus vtilitas Reip. paratur,augeturque tenet, ijſque vtitur. Neque enim ſatis eſt alicuius rei ſcientiam habere ſed opus eſt etiam ea uti.Sciendum eſt autem apud Ciceronem,eum, qui peritus ſit adminiſtrandæ Reipub.multis nominibus appellari. Dicitur enim cuſtos, gubernatorque Reip. vt pro Rabirio dicitur, Reip. rector, vt in Somnio Scipionis,ciuitatum rectores, & gubernatores, & hoc in loco,hunc Reip.rectorem,dicitur publici conſilij auctor,vt hic,& conſilij publici auctorem; dicitur bonus Senator, vt in præfattione huius operis,cum boni Senatoris prudentia comparandam putet. Tria verò ſunt, quæ vult Antonius in bono Senatore eſſe, ideſt vſus,ſcientia,ſtudium,quorum ſi vnum deſitn,equaquam bonus Senator eſſe poterit: vſus ad experientiam & exercitationem pertinet, ſcientia ad doctrinam & prudentiam.ſtudium ad amorem,& diligentiam,præterea uult Antonius bonum Senatorem ſibi tantum vtilitatem Reip. proponere, non ſuam propriam aut amicorum, ſed eam vtilitatem, quæ ſemper ſit cum honeſtate copulata, de qua ſecundo de Officijs Cicero diſputat, nihil enim utile putari debet, quod non idem etiam ſit honeſtum, ut Themiſtocles cum de incendēda Lacedæmoniorum claſſe cogitaſſet, illi Ariſtides obſtitit, quoniam licet utile videretur, tamen erat alienum ab honeſtate; cuius ſententiam Athenienſes approbarunt. PRÆDICAREMQVE. Ponit quinque Senatorū optimorum exempla,quamuis plurimi etiam alij Romæ fuerint. Ac primo loco P. Lentulum nominat. fuerunt multi hoc nomine ſed Antonius intelligit eum qui Senatus princeps longo tempore fuit,& qui in Auentino cum C. Graccho dimicauit. de quo ita Val.Max. lib. 5. cap. 3. P. Lentulus Clariſsimus, & amantiſsimus Reip.ciuis,cum in Auentino C. Gracchi nefarios conatus, & aciem pia,ac forti pugna magnis vulneribus exceptis fugaſſet,prælij illius, quo leges,pacem,libertatemque in ſuo ſtatu retinuerat, hanc mercedem tulit, vt ne in noſtra quidem urbe moreretur, hic autem ut ab alijs diſtingueretur,cognomento princeps dicebatur, ut hoc in loco, & in Bruto ubi ſic ait Cicero, Tum etiam P. Lentulus ille princeps

ad Remp. duntaxat, quod opus eſſet ſatis habuiſſe eloquentiæ dicitur. TIBERIVM GRACCHVM PATREM. Patrem addidit, ut à filio, quem Scipio Naſica interfecit, diſtingueretur, fuit autem hic uir inſignis in adminiſtranda Rep. ſicuti ſupra declaratum eſt, hic Corneliam ſuperioris Africani filiam uxorem duxit, ex qua Tiberium, & Caium ſuſcepit, qui legibus ſuis Reip. ſtatum perturbarunt, ipſe uero cum cenſor eſſet, libertinos in urbanas tribus tranſtulit, quæ res ciuitati maximè utilis fuit. Q. METELLVM. Licet multi Metelli fuerint hoc prenomine, tamen intelligimus eum, qui Macedonius, à Macedonia deuicta fuit appellatus, quem in primis eloquentẽ habitum fuiſſe, ſcribit in Bruto Cicero, hic eſt ille Q. Metellus, quem hiſtoriæ felicem ac beatum fuiſſe memorant, quem Val. Max. libro 7. uehementer admiratur, ut nihil ei defuiſſe putet ad ſummam beatitudinem, cum nobiliſſimus fuerit, & ſapientiſſimus, & fortiſſimus, & uxorem habuerit pudicitia, & fœcunditate conſpicuam, conſulatus inquit, decus, imperatoriam poteſtatem, ſpecioſiſſimi triumphi prætextum ei fortuna largita eſt, ut eodem tempore tres filios conſulares, unum etiam cenſorium, duos triumphales, & quartum prætorium uideret, ut tres filias nuptui daret, earumque ſobolem ſinu ſuo exciperet & quæ ſequuntur: de hoc Tuſcul. 1. Cicero meminit, Metellum, inquit, multi filij, filiæ, nepotes, neptes in rogum impoſuerunt, & paulo poſt, Metelli ſperat, ſibi quiſque fortunam. P. AFRICANVM. Scipionem Æmilianum intelligit, qui non tantum imperatoria laude præſtitit, ſed etiam Senatus princeps, & publici conſilij auctor egregius fuit. Plinius libro 7. cap. 27. ait Scipionem Æmilianum, tres ſummas res in homine præſtitiſſe, ſicuti etiam Catonem, quod fuerit optimus orator, optimus imperator, optimus Senator. Cicero ſuis in libris de Rep. fecerat hunc P. Scipionem diſputantem ut in fragmento ſexti libri, quod Somnium Scipionis inſcribitur, uidere licet. C. LELIVM. Hic Scipionis AEmiliani ſocius fuit, at huius pater cum Africano ſuperiore in Africa militauit, & Syphacem Numidarũ regem uinctum ad Scipionem duxit. Lelius autem filius cognomento ſapiens dictus Q. Scæuolæ ſocer, quem Cicero de Amicitia diſputantem inducit, unde etiam liber Ciceronis de Amicitia Lelius inſcribitur, hunc in primis eloquentem fuiſſe conſtat, atque etiam poetam, quippe qui Terentium in conſcribendis comœdijs adiuuare ſolitus tradatur.

Sin autem quæreretur, quiſnam iuriſconſultus verè nominaretur: eum dicerem, qui legum, & conſuetudinis eius, qua priuati in ciuitate vterentur,

& ad reſpondendum, & ad augendum, & ad cauendum, peritus eſſet: & ex eo genere Sex. Aelium, M. Manilium, P. Mucium nominarem. Atq;, vt iam ad leuiora artium ſtudia veniam, ſi muſicus, ſi grammaticus, ſi poeta quæratur, poſſim ſimiliter explicare, quid eorum quiſq; profiteatur, & quo non amplius ab quoque ſit poſtulandum. Philoſophi denique ipſius, qui de ſua vi, ac ſapientia vnus omnia pene profitetur, eſt tamen quædam deſcriptio, vt is, qui ſtudeat omnium rerum diuinarum, atque humanarum vim, naturam, cauſaſque noſſe, & omnem benè viuendi rationem tenere, & perſequi, nomine hoc appelletur.

SIN AVTEM QVÆRERETVR. Tertiũ exemplũ, quo iuriſconſultum deſcribit. Eſt autem Iuriſconſultus, inquit, qui peritus eſt legum, & conſuetudinis eius; qua priuati in ciuitate vtuntur, nã ius ciuile partim in legibus, partim in cõſuetudine verſatur, præterea debet iuriſconſultus de iure reſpondere, cauſas agere ciuiles, cauere clientibus, ne decipiantur, dicuntur enim iuriſconſulti in iure cauere, & Recanta dicuntur, quæ alias apochæ dici poſſunt, vt ſcribit Alciatus lib. Parerg. 8. cap. 17. nempe confesſiones, quibus creditor ſibi ſatisfactum affirmat, & cautiones dicuntur chirographa quibus aliquis teſtatur ſe pecuniam debere. ET EX EO GENERE. Tres iuriſconſultos celebres. Sex. Ælium M. Manilium. P. Mutium. de Sex. Aelio ſupra diximus M. Manilius, vir nobiliſſimus tertio bello punico fuit Conſul, cui Scipio Æmilianus ſucceſſit; is tres libros de iure ciuili ſcriptos reliquit, præſertim de rebus venalibus, & de veterũ verborũ proprietatibus, hũc inter oratores Cicero ponit in Bruto, & ait copioſe, & prudenter loqui ſolitum. P. Mutius Sceuola iuris ciuilis gloriam adeptus eſt, poſt quem multi è Sceuolarum familia iuriſconſulti fuerunt, hic P. Craſſum Mutianum fratrem ſuum ius ciuile docuit, de iure ciuili ſcripſit libros decem: fertur etiam pila, & duodecim ſcrupis, & alea optimè ludere ſolitus, in Bruto Cicero dicit hunc valde prudenter, & acutè dicere ſolitum. ATQVE VT

IAM AD LEVIORA. Tres artes grauiſſimas attigit, hoc eſt, imperatoriam, Senatoriam, & iuris ciuilis, nunc alias leuiores etiã nonnullas nominat, vt ſi definiendus ſit Muſicus, dicemus eum eſſe, qui in numeris, vocibus, & modis verſatur, ſi grammaticus, eum dicemus eſſe, qui emendatè loquendi, & ſcribendi rationem teneat. Si poetã, dicemus eum qui fabulas tractet, & verſus conficiat, atque ex vnaquaque arte, nonnullos præferemus celebres, vt ex Muſicis Timotheum, Ariſtoxenum, Terpandrum, Iſmeniam; ex grammaticis, Ariſtarchum, Didymum, Apollinum; ex poetis Homerum, Heſiodum, Euripidem, Pindarum. PHILOSOPHI DENIQVE IPSIVS. Quamuis Philoſophus omnia profiteri videatur, tamen ita deſcribi poteſt. Philoſophus eſt, qui ſtudet omnium rerum diuinarũ atque humanarum, vim, naturam, cauſaſque noſſe, & omnem bene uiuendi rationem tenere; qua deſcriptione duplex Philoſophia cõprehenditur: naturalis, quæ uim, naturam, cauſasq; rerum inueſtigat, & moralis, quæ benè viuendi rationem docet.

Oratorem autem, quoniam de eo quærimus, equidem non facio eundem, quem Craſſus: qui mihi viſus eſt omnem omnium reum, atque artium ſcientiam comprehendere, vno oratoris officio, ac nomine: atque eum puto eſſe, qui verbis ad audiendum iucundis, & ſententijs ad probandum accommodatis, vti poſſit in cauſis forenſibus, atque communibus. hunc ego appello oratorem, eumq; eſſe præterea inſtructum voce, & actione, & lepore quodam volo.

ORATOREM AVTEM. Tandem venit ad oratoris definitionem, in qua nonnihil à Craſſo diſcrepare ſe fatetur; quoniam nimis amplos oratori terminos Craſſus attribuerat, quem uolebat de omnibus artibus, & ſcientijs diſſerere poſſe. Sed Antonius reuocat eum ad cauſas forenſes, hoc eſt iudiciales, & communes, quæ uel in Senatu, uel in concione tractantur, modo uerba iucunda habeat, & ſententias ad probandum accomodatas: huc accedat oportet vox clara, & ſuauis, actio, ac pronunciatio decora, & lepos quidam facetiarum. Quare ſeptem in oratore potiſſimum conſideranda ſunt, duo ex quibus oratio conficitur, res & uerba, res debent eſſe probabiles, uerba iu-

ba iucunda, duo in quibus oratio uerſatur, cauſæ forenſes, quæ ad iudiciale genus ſpectant, cauſæ communes in Senatu, & concione quæ pertinent ad deliberatiuum, duo in pronunciatione, uox, & motus corporis, quæ actio dicitur, unum denique ad condiendam orationem, qui lepos dicitur, in quo facetiæ ſpectantur, hæc qui habeat, cenſet Antonius, oratorem appellari merito poſſe.

Craſſus verò mihi noſter viſus eſt oratoris facultatem non illius artis terminis, ſed ingenij ſui finibus immenſis pene, deſcribere. nam & ciuitatum regendarum oratori gubernacula ſententia ſua tradidit: in quo per mihi mirum viſum eſt Scæuola, te hoc illi concedere, cùm ſæpiſſimè tibi ſenatus breuiter, impoliteq; dicenti, maximis ſit de rebus aſſenſus. M. verò Scaurus, quem non longè ruri apud ſe eſſe audio, vir regendæ reipub. ſcientiſſimus, ſi audierit, hanc auctoritatem grauitatis, & conſilii ſui vindicari à te, Craſſe, quod eam oratoris propriam eſſe dicas: iam credo, huc veniat, & hanc loquacitatem noſtram vultu ipſo, aſpectuq; conterreat: qui quamquam eſt in dicẽdo minimè contemnendus, prudentia tamen rerum magnarum, magis, quam dicendi arte; nititur.

CRASSVS VERO MIHI. Cum Craſſi definitionem, & ſentẽtiam velit improbare, primo magnoperè ingenium illius laudat; quod eſſet immenſum, ut oſtendat eum oratoris facultatem non arte ipſa, ſed ingenio ſuo dimenſum. Sumpſit autem ab agris metaphoram, qui certis terminis, & finibus reguntur, ut vnuſquiſque ſe intra fines ſuos detineat, & in alienas poſſeſſiones nõ ingrediatur, qui verò ſibi vicinos agros acquirunt, & locupletiores fiunt, dicuntur terminos ac fines ampliare, in primis antem Antonius illud refellit, quod Craſſus ſententia ſua ciuitatum regendorum oratori gubernacula tradiderat, quod quidem etiam Sceuola refutare conatus erat, ſed tandem

quaſi

quaſi victus dixerat,non luctabor tecum Craſſe amplius,quaſi conce dens verum eſſe,quod Craſſus ſentiebat oratorem regendæ Reip. rationem tenere,hoc eſt quod Antonius ait ſe mirari, ſed captioſo argumentandi genere vtitur, vt Craſſum refellat, à Scæuolæ auctoritate. Tu,inquit,ô Scæuola regendæ Reip.rationem tenes, neque tamen es orator,non igitur oratores Reipublicæ regendæ rationem tenent. hoc argumentum,vt dixi,captioſum eſt,nam quamuis alij quidam præter oratores ſciant,quibus rationibus regenda ſit Reſpub. vt Scæuola,Scaurus,nō tamen ideo ſequitur,vt oratores neſciant. Poteſt enim aliquis eſſe peritus adminiſtrandæ Reip. etiam ſi non ſit orator. Sed orator eſſe ſine cognitione regendæ Reip.non poteſt. Quare duo hæc exēpla Scæuolæ & Scauri,nihil Craſſi ſententiam infirmant. BREVITER IMPOLITEQVE. Scæuola quamuis eſſet in iure ciuili doctiſſimus, & Senator optimus, tamen non admodum erat eloquens, itaque dicendi breuitate delectabatur quod etiam in libro de Amicitia docet Cicero, cum ita inquit; Ego autem à patre ita eram deductus ad Scæuolam ſumpta virili toga, vt quoad poſſem, & mihi liceret,à ſenis latere nunquam diſcederem itaque multa abeo prudenter diſputata,multa breuiter & commodè dicta memoriæ mandabam, fieriquc ſtudebam eius prudentia doctior. nam hic idem eſt Scæuola, qui Q.Mutius Augur dictus eſt,& qui C. Lælij gener fuit, quem cum Fannio facit in Lælio Cicero venientem ad ſocerum ſuum, & cum illo de Amicitia colloquētem. M. VERO SCAVRVS. Hunc Cicero multis in locis magnoperè laudat: ut pro Fonteio, ecquem hominem vidimus? ecquem uerè cōmemorare poſſumus, parem cōſilio grauitate,conſtantia,cæteris virtutibus,honoris,ingenij,rerum geſtarum ornamentis M.Æmylio Scauro fuiſſe? in Bruto ſic ait; In Scauri oratione ſapientis hominis,& recti grauitas ſumma, & naturalis quædam inerat auctoritas,hic cum eſſet vir conſularis, & Senatus princeps,miſſus eſt orator ad Iugurtham, vt Salluſtius ait, & à Iugurtha pecunijs corruptus fuit. hunc Plinius ait ab initio pauperem fuiſſe, quamuis eſſet nobilis,ac patricius, ſed eloquētia ſibi gloriā peperiſſe, vſque eo vt poſtea princeps ciuitatis haberetur, huius filius in ædilitate ſua theatrum temporarium fecit, vix triginta dies duraturum, opus maximum omnium, quæ fuerant humana manu, ait Plinius, hoc loco M.Antonius Scauro maximam regendæ Reipub.ſcientiam tribuit,& auctoritatem,& grauitatem. VINDICARI A TE. Quaſi lite uindiciarum à te peti, nam lis vindiciarum eſt, cum de ea re litigatur, cuius incertum eſt, quis debat eſſe poſſeſſor, & ideo qui eam tenet, ſatiſdat pro præde litis vindiciarum aduerſario ſuo, nam vindiciæ,ſicuti Feſtus ait,appellantur res,de quibus controuerſia eſt, vindicare uero dicitur ille,qui rem de qua controuerſia eſt,ſuam eſ-

ſe di-

ſe dicit. ET HANC LOQVACITATEM. iocosè ac facetè, plus inquit, ipſo vultu, & aſpectu Scaurus poterit, quã nos oratione noſtra, hoc autem dicit, vt oſtendat auctoritatem ſolam in Senatore plus poſſe, quam vniuerſam dicendi rationem in oratore. Sæpe autem in ipſo vultu, & aſpectu Seueritas ineſt, quæ ſumma reuerentia digna eſſe videatur. QVIQVANQVAM EST. Valet quidem etiam eloquentia, ſed tamen maior eſt in eo prudentia, quam ars dicendi. Cicero in Bruto dicendi genus, quo Scaurus vtebatur, ait ad patrocinia mediocriter aptum fuiſſe ad Senatoriam, verò ſententiam cuius erat ille princeps, vel maximè, ſignificabat enim non prudentiam ſolum, ſed quod maxime rem continebat, fidem.

Neque verò, ſi quis vtrumque poteſt, aut ille conſilij publici auctor, ac ſenator bonus, ob eam ipſam cauſam orator eſt: aut hic diſertus, atque eloquens, ſi eſt idem in procuratione ciuitatis egregius, aliquam ſcientiam dicendi copia eſt conſecutus. multum inter ſe diſtant iſtæ facultates, longeque ſunt diuerſæ, atque ſeiunctæ, neque eadem ratione, ac via M. Cato, P. Africanus, Q. Metellus, C. Lælius, qui omnes eloquentes fuerunt, orationem ſuam, & reipub. dignitatem exornabant. neque enim eſt interdictum aut à rerum natura, aut à lege aliqua, atque more, vt ſingulis hominibus ne amplius, quam ſingulas, arteis, noſſe liceat Quare non etſi eloquentiſſimus Athenis Pericles, idemque in ea ciuitate plurimos annos princeps conſilij publici fuit, idcirco eiuſdem hominis, atq; artis vtraque facultas exiſtimãda eſt: nec, ſi P. Craſſus idem fuit eloquens, & iuris peritus, ob eam cauſam ineſt in faculate dicendi, iuris ciuilis ſcientia.

NEQVE VERO SI QVIS. Argumentum à differentia, poteſt

proprium eſſe iuris ciuilis, quoniam vtrumque eorum P. Mutius optimè fecerit: eademque ratione dicantur, & quos ποιητὰς Græci nominant, ijdē poetæ, quoniam Empedocles phyſicus egregiū poema fecerit. At hoc ne philoſophi quidem ipſi, qui omnia, ſicut propria, ſua eſſe, atque à ſe posſideri volunt, dicere audent, geometriam, aut muſicam, philoſophi eſſe, quia Platonem omnes in illis artibus præſtantisſimum fuiſſe fateantur. Ac, ſi iam placet, omneis arteis oratori ſubiungere, tolerabilius eſt ſic potius dicere, vt, quoniam dicendi facultas non debeat eſſe ieiuna, atque nuda, ſed adſperſa, atque diſtincta multarum rerum iucunda quadam varietate, ſit boni oratoris multa auribus accepiſſe, multa vidiſſe, multa animo, & cogitatione, multa etiam legendo percurriſſe: neque ea, vt ſua, poſſediſſe, ſed, vt aliena, libaſſe. Fateor enim, callidum quendam hunc, & nulla in re tironem, ac rudem: nec peregrinum, atque hoſpitem in agendo eſſe debere. Neque verò iſtis tragœdijs tuis, quibus vti philoſophi maximè ſolent, Craſſe, perturbor, quòd ita dixiſti, neminem poſſe eorum menteis, qui audirent, aut inflammare dicendo, aut inflammatas reſtinguere, cùm eo maximè vis oratoris magnitudoque cernatur: niſi qui rerum omnium naturam, mores hominum, atque rationes penitus perſpexerit: in quo philoſophia ſit oratori neceſſariò percipienda: quo in ſtudio hominum quoque ingenioſisſiorum, otioſisſimorumque totas ætates

videmus eſſe contritas:quorum ego cópiam, magnitudinemque cognitionis, atque artis non modo non contemno, ſed etiam vehementer admiror:nobis tamen, qui in hoc populo, foroque verſamur, ſatis eſt ea de moribus hominum & ſcire & dicere,quæ non abhorrent ab hominum moribus.

NAM SI QVISQVE. Argumentũ à diſſentaneo, nam quamuis ij,qui ſunt in aliqua arte excellentes ita efficiant, vt quæ præterea ſciunt,id eius in quo excellunt pars quædam eſſe videatur, non tamen ideo ſequitur vt ſcientiæ ſint confuſæ,& vna omnes contineantur,alioquin abſurdum quiddam ſequeretur, vt ſi aliquis egregius iuriſconſultus,qualis P.Mutius Sceuola fuit,pila, & duodecim ſcrupis bene ludere ſciat,dicere cogamur pila,& ſcrupis ludere proprium eſſe iuris ciuilis,de P.Mutio ſupra diximus, is bene pila luſiſſe dicitur, atque etiam duodecim ſcrupis, ſicuti Quintilianus libro 11. capit.de Memoria.erant autem ſcrupi lapilli quidam, quibus in tabella diſtinctis ludebant,& in vtraque parte duodecim locabantur,ſed diuerſi coloris,vt vna pars ab altera diſtingueretur,quod ludi genus vile nunc, & puerile exiſtimatur. EADEMQVE RATIONE DICANTVR. Poetæ multum diſtant à Phyſicis, & tamen aliqui poetæ reperiuntur, qui phyſicarum rerum peritiſſimi ſunt,qualis Empedocles fuit,neque tamen hac de cauſa, qui Phyſici ſunt, iidem etiã ſunt poetæ.Empedocles Siculus ex oppido Agrigento fuit, Parmenidis diſcipulus,tãta exiſtimatione,vt fere ab omnibus coleretur,de quo Lucretius primo libro ſic ait, cum de Sicilia loqueretur.

Nil tamen hoc habuiſſe viro præclarius inſe
Nec ſanctum magis,& mirum, carumq; videtur.
Carmina quin etiam diuini pectoris eius
Vociferantur,& exponunt præclara reperta.
Vt vix humana videatur ſtirpe creatus.

Sed adeo fuit ambitioſus, vt deus haberi vellet, nam auream Cororam capite geſtabat,& in manibus ſtemmata Delphica,tandem vt inter Deos relatus exiſtimaretur in craterem Ætnæ montis ſe præcipitem dedit.Horatius in arte:

Deus immortalis haberi

Dum cupit Empedocles ardentem frigidus Aetnam
Inſiluit.

Scripſit aũt carmine tres libros de rerũ natura, quod M. Anto. egregiũ poema vocat. AT HOC NE PHILOSOPHI. Philoſophorũ exẽplo docet diſtinctas eſſe ſciẽtias, quamuis enim philoſophi videatur omnia profiteri, non tamen Geometriam & Muſicam dicunt eſſe Philoſophorum propriam, ſed artes eſſe à Philoſophia diſtinctas, cum tamen eas ſibi vendicare poſſent, quoniam Plato philoſophorũ Deus in eis præſtantisſimus fuit. Val. Max. libro 8. cap. quo docet ſuæ quemque artis optimum & auctorem eſſe, & diſputatorem, tradit Platonem, cum ab eo quidam homines petiſſent geometricam quæſtionem, iuſiſſe, vt irent ad Euclidem geometram, Scientiæ, inquit, eius cedens, imo profesſioni. AC SI IAM PLACET. Docet quomodo debeat orator varias artes & ſcientias cognoſcere, quoniam oratio debet eſſe varia, multiſque rebus diſtincta, non autem ieiuna, atque nuda: opus eſt oratorem multa habere ex diuerſis ſcientijs nõ vt ea tanquam propria teneat, ſed tanquam aliena cognoſcat. Quatuor autem modis variarum rerum cognitionem habebit, primo ſi multa audiat, nam auditus doctrinæ ſenſus eſt, deinde, ſi multa videat quoniam oculi multarum rerum nobis differentias oſtendunt, & ſunt intelligendi duces. Tertio ſi multa cogitet, nam agitatio mentis, quæ nunquam acquieſcit, poteſt nos in ſtudijs cogitationis, etiam ſine noſtra opera continere. Quarto ſi multa legat; nullus enim eſt tam malus liber, vnde non aliquid boni percipi posſit, ideo voluendum eſt omne ſcriptorũ genus. FATEOR ENIM CALLIDVM. Vult Antonius oratorem callidum, & multarum rerum peritum eſſe, non autem tyronem, & rudem, quales noui milites ſunt, neque peregrinum; & hoſpitem, vt conſuetudinem ſuæ ciuitatis ignoret, Sunt autem duæ translationes, altera à re militari ſumpta tyrones, quos νεοπολίμους græci vocant, propter inexperientiam parum in bello valent, ita imperiti oratores in controuerſijs iudicialibus, & ſicuti peregrini non ſunt apti ad res ciuiles, quia conſuetudinem ignorant, ita qui nullum vſum ciuilis ſcientiæ perceperunt, oratorium munus tueri non poſſunt. NEQVE VERO ISTIS TRAGÆDIIS. Contendit Antonius non eſſe neceſſarium oratori, vt philoſophorum ſcientiam acquirat, & facetè tragædias vocat, quæ ad mouendos animos pertinent, nam in tragœdijs, quæ terribilia ſunt, & miſericordia digna tractantur, vt in Arte poetica tradit Ariſtoteles. Vnde tragicum malum de ingenti calamitate dicitur, & tragædias in nugis agere dicuntur, qui magnos tumultus in re leui concitant. dixerat autem Craſſus neminem poſſe mouere mentem audientium, niſi na-

turam,& mores hominum penitus perſpexerit, atque ideo philoſophiam eſſe oratori neceſſariam, quia in mouendis animis potiſsimũ regnat oratio, cui reſpondet Antonius hoc nullo modo fieri poſſe: uam homines ingenioſiſsimi totas ætates in percipienda philoſophia conſumpſerunt, vt Pythagoras, Democritus, Anaxagoras, alijque innumerabiles propter infinitam ferè rerum varietatem, quæ in philoſophia tractantur, non igitur orator poteſt in philoſphia excellere. Itaque licet egregia ſint, quæ à Philoſophis traduntur, & minimè contemnenda, tamen oratori ſatis eſt, inquit Antonius, ea tenere, quæ ad mores hominum pertinent, & à communi conſuetudine nõ abhorrent. Hoc igitur primum argumentum eſt ab euentis, orator multis negocijs occupatus philoſophiam percipere non poteſt, in qua viri ingenioſiſsimi, & ocioſiſsimi totas ætates conſumpſerunt.

Quis enim vnquam orator magnus, & grauis, cùm iratum aduerſario iudicem facere vellet, hæſitauit ob eam cauſam, quod neſciret, quid eſſet iracundia, feruòrne mentis, an cupiditas puniendi doloris? Quis, cùm cęteros animorum motus aut iudicibus, aut populo dicendo miſcere atque agitare vellet, ea dixit, quæ à philoſophis dici ſolent? qui partim omnino motus negant in animis vllos eſſe debere, quique eos in iudicium mẽtibus concitent, ſcelus eos nefarium facere partim, qui tolerabiliores volunt eſſe, & ad veritatẽ vitæ proprius accedere, per mediocres, ac potius leueis motus debere eſſe dicunt.

QVIS ENIM VNQVAM ORATOR. Alterum argumentum, quod Philoſophorum difinitiones nihil oratori proſunt, ad animos commouendos, orator inquit, cum aduerſario iudicem iratum facere cogitat, non ideo hæſitat, quamuis iracundiæ de finitionem ignoret, definitiones rei naturam explicant, orator non perturbationum naturam, ſed vim & effectum quærit. itaque licet dubitet vtrum iracundia ſit feruor mentis, an cupiditas puniendi doloris, non tamen hæſitabit quibus rationibus aduerſario iudex iratus fiat. Quod autem ait hoc loco M. Antonius de iracundia, declarat Themiſtius primo de Anima apud Ariſt. qui tres ponit definitionis

ſpecies,

ſpecies, quarum prima ducitur à materia, altera à forma, tertia ab vtraque: iracundiæ definitio à materia hæc eſt, iracundia eſt feruor ſanguinis circa cor, à forma vero, Iracundia eſt cupiditas vlciſcendi doloris, ab vtraque, Iracundia eſt feruor ſanguinis circa cor, propter vlciſcendi doloris cupiditatem. QVIS CVM CÆTEROS ANIMORVM. Non modo prodeſſe philoſophiam oratori, ſed etiam obeſſe docet, nam cum in mentibus concitandis regnet oratio, Philoſophi dicunt non decere, vt mentes concitentur, nam aliqui dicunt nullos in animis motus eſse debere, quia ſint contra naturam, & tantum in opinione conſtituti, ſicuti Stoici ſentiebant, vt auctor eſt Cicero: alij verò naturales quidem eſſe motus, ſed eos permedio cres atq; leues eſſe debere, qua in ſententia Peripatetici atq; Academici fuerunt. Ariſtoteles primo Rhetoricorum eos oratores reprehendit, qui de concitandis mentibus multa verba faciunt, & orationes, atque probationes prætermittunt. Quod ſi id, inquit, in omnibus iudicijs fieret, quod in aliquibus ciuitatibus etiam hoc tempore fit, atque in illis præcipue, quæ bonis legibus fundatæ ſunt, nihil ſanè iſti haberent, de quo verbum facere poſſent. omnes enim exiſtimant legibus hoc caueri oportere, quidam etiam eo utuntur, vt prohibent oratorem quicquam extra cauſam dicere. quemadmodũ Athenis fit in Ariopago. & rectè quidem hoc ſentiunt. neque enim conuenit iudicem diſtorquere, atque inflectere ad indignationem, vel inuidiam, vel miſericordiam. idem enim eſt, ac ſi quis eam, qua vſurus eſt regulam, obliquam ac tortuoſam efficeret.

Orator autem omnia hæc, quæ putantur in communi vitæ conſuetudine, mala, ac moleſta, & fugienda, multo maiora, & acerbiora verbis facit: itemque ea, quæ vulgò expetenda, atque optabilia videntur, dicendo amplificat; atque ornat: neque vult ita ſapiens inter ſtultos videri, vti, qui audiant, aut illum ineptum, aut Græculum putent: aut etiam ſi valde probent ingenium oratoris, ſapientiam admirentur, ſe eſſe ſtultos, moleſtè ferant.

ORATOR AVTEM OMNIA HÆC. Philoſophi, & oratoris differentiam oſtendit, quod ad effectus attinet: nam Philoſophus veritatis eſt indagator, ideo quę ſunt in communi opinione poſi-

ta negligit, quoniam vulgaris opinio plerunque falſa eſt. orator autem vulgarem opinionem ſequitur, & quæ mala vulgo putantur ea dicendo amplificat, & acerbiora facit, quæ uterò putantur expetenda magis exornat. NEQVE VVLT ITA SAPIENS. Nō contemnit famam popularem orator, ſicuti Philoſophus facit. nam Philoſophus omnibus rebus veritatem anteponit. ideò Cicero Socratem dixit virum fuiſſe bonum, & ſimplicis veritatis amatorem. & Ariſtoteles ait, amicus quidem Plato, ſed magis amica veritas, orator autem neque vult ab auditoribus contemni, neque eos offendere: Cum id vnum ſtudere videatur, vt dicendo ſibi hominum voluntates deuinciat, contemnuntur autem ſæpe tanquam inepti, & græculi, qui nimis argutè de rebus Philoſophicis diſputāt, vt Stoici, qui cæteros omnes ſtultos, & inſanos vocabant, ſe ſolos ſapientes, reges, diuites, pulchros eſſe dicebant, quos facetiſsimè Cicero pro L. Murena ridet. & Perſius in eo carmine.

Et centum græcos curto centuſſe licetur.

At verò ſæpe fit, vt auditores offendantur, cum ſe ſtultos exiſtimari putant, etiam ſi dicentis ingenium probent. & ſapientiam admirentur.

Sed ita peragrat per animos hominum, ita ſenſus, menteisque pertractat, vt non deſideret philoſophorum deſcriptiones, neque exquirat oratione, ſummum illud bonum in animone ſit, an in corpore: virtute, an voluptate definiatur: an hæc inter ſe iungi, copularique poſsint: an verò, ut quibuſdam uiſum, nihil certum ſciri, nihil planè cognoſci, & percipi poſsit: quarum rerum fateor magnam, multiplicemque eſſe diſciplinā, & multas, copioſas, variasque rationes.

SED ITA PERAGRAT. orator animum mouet ſine Philoſophorum deſcriptionibus, non eſt igitur oratori neceſſaria Philoſophia, de ſummo bono variæ ſunt ſententiæ, quas orator non exquirit oratione ſua Cic. V. Tuſcul. ſic ait; Sunt autem hæ de finibus, vt opinor retentæ, defenſæque ſententiæ. Primum ſimplices quatuor, nihil bonum niſi honeſtum, vt Stoici; nihil bonum niſi voluptatem, ut

Epicurus; nihil bonum, niſi vacuitatem doloris, vt Hieronymus; nihil bonum, niſi naturæ primis bonis, aut omnibus, aut maximis frui, vt Carneades contra Stoicos differebat. Hæc igitur ſimplicia, illa mixta, tria genera bonorum maxima animi. Secunda corporis, externa tertia vt Peripatetici, nec multo veteres Academici ſecus, voluptatem cum honeſtate Clitomachus, & Callipho copulauit indolentiam autem honeſtati, peripateticus Diodorus adiunxit. NIHIL CERTVM SCIRI. De hac re Cicero in Lucullo copioſè. Democritus dicebat veritatem in profundo merſam. Heraclitus bis eundẽ fluuium nos ingredi non poſſe. Socrates hoc unum ſe ſcire dicebat, quod nihil ſciret. Arceſilas ne hoc quidem ſe ſcire dicebat, harum rerum magna eſt, & copioſa ſcientia.

Sed aliud quiddam, longè aliud, Craſſe, quærimus, acuto homine nobis opus eſt, & natura, vſque callido, qui ſagaciter perueſtiget, quid ſui ciues, iiq́ue homines, quibus aliquid dicendo perſuadere velit, cogitent, ſentiant, opinentur, expectent. Teneat oportet venas cuiuſque generis, ætatis, ordinis & eorum, apud quos aliquid aget aut erit acturus, menteis, ſenſusq́ue deguſtet. Philoſophorum autem libros reſeruet ſibi ad huiuſcemodi Tuſculani requiem, atque otium, ne, ſi quando ei dicendum erit de iuſtitia, & fide, mutuetur à Platone, qui, cùm hæc exprimenda uerbis arbitraretur, nouam quandam finxit in libris ciuitatem: vſque eo illa, quæ dicenda de iuſtitia putabat, à vitæ conſuetudine, & à ciuitatum moribus abhorrebat.

SED ALIVD QVIDDAM. Oratorem acutum, & callidũ eſſe oportet, qui ciuium ſuorum mores cognitos habeat, quod uſu, & experientia ſine Philoſophiæ cognitione facile conſequetur. Venas, autem naturam intelligit, quoniam ſicut diuerſæ ſunt metallorum venæ, ut auri, argenti, æris, plumbi, ita etiam hominum naturæ diuerſæ ſunt,

ſunt, vt nobilium, & ignobilium, adoleſcentium, & ſeniorum, patriciorum, & plebeiorum. debet enim genera, ætates, & ordines orator ſpectare. quoniam in ſingulis diuerſi mores ſunt, ut 2. Rhetoricorum docet Ariſt. PHILOSOPHORVM AVTEM. Tantum oblectationis gratia, non neceſsitatis vult ab oratore Philoſophiam percipi, ne à communi conſuetudine diſcedat in dicēdo, ſicuti Plato cum de iuſticia diſputaturus eſſet, nouam ſibi ciuitatem finxit. vt in 2. de Rep. legitur. VSQVE EO ILLA. Epiphonema, amplificandi gratia, quod à Platonis auctoritate ducitur, qui nouam fingēs ciuitatem, indicauit ea, quæ dicturus erat, à uitæ conſuetudine eſſe aliena.

Quòd ſi ea probarentur in populis, atque in ciuitatibus: quis tibi, Craſſe, conceſsiſſet, clariſsimo viro, & ampliſsimo, principi ciuitatis, vt illa diceres in maxima contione tuoruu ciuium quæ dixiſti? Eripite nos ex miſerijs, eripite nos ex faucibus eorum, quorum crudelitas noſtro ſanguine non poteſt expleri, nolite ſinere nos cuiquam ſeruire, niſi uobis vniuerſis, quibus & poſſumus, & debemus.

QVOD SI EA PROBARENTVR. ipſius Craſsi teſtimonio probat ea, quæ diſputantur à Philoſophis vulgo nullo modo probari. nam Craſſus apud Quirites orationem habuerat in qua de equitum ſuperbia, & crudelitate, contra Senatorum ordinem conqueſtus fuerat, & ea verba dixerat, quæ hoc loco recitat Antonius. ERIPITE NOS EX MISERIIS. Apud equeſtrem ordinem erant iudicia. atque ideo aliquoties odio quodā ordinis Senatorij, non tantum acerbè ſed etiam crudeliter & iniquè iudicabant. hæ fuerant miſeriæ, à quibus petebat Craſſus, ut Senatores eriperentur. EX FAVCIBVS. Ab imanibus feris ſumpta metaphora, quæ homines deuorant. Cicero in Paradoxis hæc Craſsi uerba ſic reprehendit; Quid ualet igitur illa eloquentiſsimi viri L. Craſsi copioſa magis, quam ſapiens oratio, eripite nos ex ſeruitute, quæ eſt iſta ſeruitus tam claro homini, tamque nobili? omnis enim animi debilitati & humilis, & fracti timiditas, ſeruitus eſt, nolite ſinere nos cuiquam ſeruire, in libertatem vindicari vult? minime, quid enim adiun

git

git niſi vobis vniuerſis dominum mutare, non liber eſſe vult, quibus, & poſſumus, & debemus, nos verò ſiquidem animo excelſo, & alto, & virtutibus exaggerato ſumus, nec debemus, nec poſſumus.

Omitto miſerias, in quibus, ut illi aiunt, uir fortis eſſe non poteſt: omitto fauceis, ex quibus te eripi vis, ne iudicio iniquo exorbeatur ſanguis tuus: quod ſapienti negant accidere poſſe: ſeruire verò non modò te, ſed vniuerſum ſenatum, cuius tū cauſam agebas, auſus es dicere.

OMITTO MISERIAS. Occupatio qua docet virtutem nulli ſeruire, ex Philoſophorum ſententia, volunt autem ſapientem ſemper eſſe beatum, neque illi mali quicquam accidere poſſe, neque viuo, neque mortuo, vt ait Socrates in Apologia.

Poteſtne virtus Craſſe ſeruire, iſtis auctoribus, quorum tu præcepta oratoris facultate complecteris? quæ & ſemper, & ſola libera eſt, quæque etiam, ſi corpora capta ſint armis, aut conſtricta vinculis, tamen ſuum ius, atque omnium rerum impunitam libertatem tenere debeat. Quæ verò addidiſti, non modò ſenatum ſeruire poſſe populo, ſed etiam debere, quis hoc philoſophus tam mollis, tam languidus, tam eneruatus, tam omnia ad voluptatem corporis, doloremque referens, probare poſſet? Senatum ſeruire populo, cui populus ipſe moderandi, & regendi ſui poteſtatem, quaſi quaſdam habenas, tradidiſſet? Itaque hæc cùm à te diuinitus & ego dicta arbitrarer, P. Rutilius Rufus, homo doctus, & philoſophiæ deditus, non modò parum commodè, ſed etiam turpiter, & flagitioſè dicta eſſe dicebat.

POTEST NE VIRTVS. Contra verba Craſsi pugnat acriter, vt oſtendat ea penitus à Philoſophorum ſententia diſcrepare. Virtus etiam ſi corpora capta ſint, tamen eſt libera. vt in Diogene Cynico, & Epicteto Stoico. QVÆ VERO ADDIDISTI. Sunt aliqui Philoſophi molles, & eneruati, vt Cyrenaici, & Epicurei, qui tamen Craſsi verba non probarent. ITAQVE HÆC CVM ABS TE. P. Rutilij Rufi Stoici philoſophi, & Romani ciuis, itemque Socratis teſtimonio probat, non eſſe mouendos affectus, in oratione, ſi quis Philoſophorum rationem ſequi velit, ex quo concludere vult, oratoriæ facultati Philoſophiam repugnare. nam quæ putat orator diuinitus dicta, Philoſophus turpia, & flagitioſa iudicat, ſicuti P. Rutilius Rufus Craſsi verba ſuperius recitata, turpiter, & flagitioſe dicta eſſe dicebat. Fuit enim Rutilius iuriſconſultus egregius, & prope perfectus in Stoicis, vt ait in Bruto Cicero, nam Panetij Stoici diſcipulus fuit. itaque in quodam triſti, & ſeuerò genere dicendi verſatus eſt. hic accuſatus à M. Scauro repetundarum, ordinum diſcenſione, non vlla ſua culpa condemnatus eſt, vt Val. Max. lib. 6. cap. 4. ſcribit. itaque cum in Aſiam exulatum iret, omnes prouinciæ illius ciuitates ei legatos obuiam miſerunt. Exulare (inquit) Val. Max. lib. 2. cap. 5. aliquis hoc loco an triumphare dixerit, iuſtius? cum autem illi Sylla poſtea concederet, vt in patriam reuerteretur, reſpondit, Malo vt patria exilio meo erubeſcat, quam ur reditu mæreat. auctor Seneca libro de beneficijs 6. De hoc eodem Rutilio Val. Max. lib. 2. cap. 1. ita ſcribit; Armorum tractandorum meditatio à P. Rutilio conſule Caij Manlij collega militibus eſt tradita. Is enim nullius ante ſe imperatoris exemplum ſecutus ex ludo C. Aurelij Scauri doctoribus gladiatorum accerſitis, vitandi, atque inferendi ictus ſubtiliorem rationem legibus ingenerauit, virtutemque arti, & artem rurſus virtuti miſcuit.

Idemque Ser. Galbam, quem hominem probè noſſe, & commeminiſſe ſe aiebat, pergrauiter reprehendere ſolebat, quòd is, L. Scribonio quæſtionem in eum ferente, populi miſericordiam concitaſſet, cùm M. Cato Galbæ grauis, atque acer inimicus, aſperè ad populum R. & vehementer eſſet locutus: quam orationem in Originibus ſuis expoſuit ipſe: Reprehendebat igitur Galbam

Ru-

Rutilius, quòd is C. Sulpitij Galli, propinqui ſui Q. pupillum filium ipſe pene in humeros ſuos extuliſſet, qui patris clariſsimi recordatione, & memoria fletum populo moueret, & ſuos filios, ſuos paruos, tutelę populi commẽdaſſet, ac ſe tanquam in procinctu teſtamentum faceret, ſine libra atque tabulis, populum R. tutorem inſtituere dixiſſet, illorum orbitati.

IDEM Q. SER. GALBAM. Q. Ser. Galba cum prætor Hiſpaniam obtineret, nouem Luſitanorũm millia contra fidem datam trucidauit. itaque poſtea in iudicium vocatus à L. Scribone Trib. pleb. & longa oratione à M. Catone accuſatus, duos filios ſuos, & Sulpitij Galli filium produxit, & ſupplex ac lachrymás populo Rom. cõmendauit, vt eorum tutor eſſet. qua miſeratione Quiritium animos flexit, & abſolutus eſt. autor Val. Max. lib. 8. cap. 1. & Cicero in Bruto eadem ferè dicit, quæ hic commemorat Antonius. & alibi ita inquit, Ser. Galba eloquentia præſtitit, & nimirum is princeps ex Latinis illa oratorum propria & quaſi legitima opera tractauit, ut egrederetur à propoſito ornandi cauſa; vt delectaret animos, aut permoueret, ut augeret rem, vt miſerationibus, vt communibus locis vteretur. L. SCRIBONIO. nam hoc tribunorum pleb. officium erat, vt in ciues Romanos, qui deliquiſſe dicerentur in magiſtratu, atque officio ſuo quæſtionẽ ferrent, & eorum nomina deferrent. quod patricio non licebat. vnde P. Clodius cum eſſet patricius, vt Ciceroni diem diceret, & in iudicium uocaret, ſe in adoptionem dedit homini plebeio, atque ita Trib. pleb. factus in exilium Ciceronem expulit, vocatos autem in iudicium à tribunis ciues, licebat etiam patricijs accuſare. Itaque M. Cato Senator optimus Ser. Galbam accuſauit. C. SVLPITII. hic orator fuit, & Aſtrologus, qui cum eſſet in exercitu L. P. Æmilij, totuſque exercitus Lunę defectione perculſus eſſet, de ecclypſium ratione & cauſa tam aperte diſſeruit, vt omnium animos confirmarit. vt Quintilianus etiam primo lib. teſtatur. TANQVAM IN PROCINCTV. milites cum eſſent in procinctu præliandi, timerentque mortem, ſæpe duobus, aut tribus præſentibus, ſine vllo ſcripto teſtamentum faciebant, & illud teſtamentum in procinctu dicebatur. Aul. Gel. lib. 15. cap. 27. ſic ait; Tria genera teſtamentorum fuiſſe accepimus, vnum quod calatis comitijs in con-

cione populi fieret; alterum in procinctu, cum viri ad prælium faciendum in aciem vocabantur, tertium per familiæ emancipationem, cui æs, & libra adhiberetur. nam is qui teſtamentum faciebat quinq; teſtes ciues Romanos puberes adhibebat, & libripendem, at qui hæres inſtituebatur libram ære percutiebat, & ſuam eſſe familiam, atque à ſe emptam dicebat. erat igitur hæc vt ait Iuſtinianus, imaginaria quędam venditio, atque emptio.

Itaque cùm & inuidia, & odio populi tum Galba premeretur, his quoque eum tragœdijs liberatum ferebat, quod item apud Catonem ſcriptum eſſe video, niſi pueris & lacrimis vſus eſset, pęnas eum daturum fuiſſe.

ITAQVE CVM. Declaratum eſt eo ſane iudicio, quanta vis ſit in commouendis animis; nam cum odio & inuidia Galba premeretur, tamen illis tragædijs eſt à populo liberatus.

Hæc Rutilius valde vituperabat, huic humilitati dicebat, vel exſilium fuiſſe, vel mortem anteponendam. Neque vero hoc ſolum dixit, ſed ipſe & ſenſit & fecit. nam cùm eſſet ille vir exemplum, vt ſcitis, innocentiæ: cumq́ue illo nemo neque integrior eſset in ciuitate, neque ſanctior, non modo ſupplex iudicibus eſse noluit, ſed ne ornatius quidem, aut liberiùs cauſam dici ſuam, quàm ſimplex ratio veritatis ferebat.

HÆC RVTILIVS. non poterat Rutilius probare conſuetudinem mouendorum affectuum. itaque neque in ſuo periculo facere uoluit, quod in alijs vituperabat. nam vt ait Ouidius,

Sic agitur cenſura, & ſic exempla parantur.
Cum iudex alios, quę monet, ipſe facit.

Cum igitur innocens eſſet, & inique accuſatus, noluit iudicibus ſupplicare.

Paul-

Paullum huic Cottæ tribuit partium, diſertiſſimo adoleſcenti, ſororis ſuæ filio. Dixit itē cauſam illam quadam ex parte Q. Mucius, more ſuo: nullo apparatu, purè, & dilucidè. Quid ſi tu tunc Craſse, dixiſſes, qui ſubſidium oratori ex illis diſputationibus, quibus philoſophi vtuntur, ad dicendi copiam, petendum eſse paullo antè dicebas, & ſi tibi pro P. Rutilio non philoſophorum more, ſed tuo licuiſset dicere: quamuis ſcelerati illi fuiſsent, ſicuti fuerunt, peſtiferi ciues, ſupplicioque digni, tamen omnem eorum importunitatem ex intimis mentibus euelliſset vis orationis tuæ: tunc talis vir amiſsus eſt, dum cauſa ita dicitur, vt ſi in illa commentitia Platonis ciuitate res ageretur.

PAVLVM HVIC COTTÆ. Nullos alios oratores uoluit admittere, præter Cottam, & Mutium, ſed Cotta, ſororis eius filius admodum adoleſcēs erat. Q. autem Mutius nullo apparatu, more ſuo dixit, quare deſerta quodammodo cauſa uicerunt aduerſarij: dicitur enim deſerta cauſa, cum nemo repugnat, iuriſconſulti uocant eremodicium, ut Paulus, item & in eremodicijs ei ſubenitur. QVOD SI TV TVNC CRASSE. Ab effectis ipſius Craſsum refellit; nam ſi pro Rutilio Craſsus dixiſset more ſuo, non philoſophorū, ſine dubitatione liberaſset, ſceleratos autem, & peſtiferos ciues uocat publicanos, qui damnandi Rutilij fuerunt auctores, quod ab eorum iniurijs aſiam defendiſset, cū eſset C. Marij legatus. NVNC TALIS VIR. Exilium Rutilij non à culpa aliqua natum eſt, ſed quia eius cauſa non oratorum, ſed Philoſophorum more acta eſt, non aliter atq; ſi Roma fuiſset ea ciuitas, quam in ſuis Dialogis Plato commentus eſt, quam omni perturbatione uult uacare.

Nemo ingemuit, nemo inclamauit patronorum, nihil cuiquam doluit, nemo eſt queſtus, nemo

remp.

remp. implorauit, nemo ſupplicauit. Quid multa? pedem nemo in illo iudicio ſupploſit, credo, ne Stoicis renuntiaretur. Imitatus eſt homo Romanus, & conſularis veterem illum Socratem, qui, quum omnium ſapientiſsimus eſſet: ſanctiſsimeque vixiſſet, ita in iudicio capitis pro ſe ipſe dixit, vt non ſupplex, aut reus, ſed vt magiſter, aut dominus videretur eſſe iudicum. Quinetiam, quum ei ſcriptam orationem diſertiſsimus orator Lyſias attuliſſet, quam, ſi ei videretur, ediſceret, vt ea pro ſe in iudicio vteretur, non inuitus legit, & commodè ſcriptam eſſe dixit: ſed, inquit, vt, ſi mihi calceos Sycionios attuliſses, non uterer, quamuis eſsent habiles, & apti ad pedem, quia non eſsent viriles: ſic illam orationem diſertam ſibi, & oratoriam uideri: fortem, & uirilem non uideri.

NEMO INGEMVIT Anaphora ſeu repetitio cum ſimiliter deſinente tāgit autem ſex genera commouendi animos quę in per orationibus tractari ſolent, quæ ſunt gemitus, exclamatio, dolor, conqueſtio, imploratio, ſupplicatio quæ omnia ponit Cicero in peroratione pro Milone, ut gemitus eſt ibi; o me miſerum, ò infelicem reuocare te me in patriam Milo potuiſti per hos, ego te in patria per eoſdem retinere non potero? exclamatio, ut ibi; ò terram illam beatam, quæ hunc uirum exceperit, hanc ingratam ſi eiecerit, dolor, ut ibi; ſed finis ſit neq; enim præ lachrymis iam loqui poſsum, conqueſtio, ut ibi; O fruſtra ſuſcepti mei labores, o ſpes fallaces, o cogitationes inanes meæ. imploratio, ut ibi; uos appello fortiſsimi uiri, qui multum pro Rep. ſanguinem effudiſtis uos in uiri, & in ciuis inuicti appello periculo centuriones, uoſque milites. Supplicatio, ut ibi; uos obſecro iudices, ut ueſtra beneficia, quæ in me contuliſtis, aut in huius ſalute augeatis, aut in eiuſdem exilio occaſura eſſe iubeatis. ſed huius generis exempla ſunt apud Ciceronem plurima. QVID MTLTA Sermonis abruptio. Solebant autem pedem ſupplodere in contentionibus

aut incipiendis, aut finiendis, ut in oratore Cicero docet. IMITATVS EST HOMO ROMANVS. Addit aliud exemplũ à Socrate ductum, qui cum eſſet accuſatus, noluit Oratoria facultate ſeſe defendere, quem Rutilius eſt imitatus. Veterem autem Socratem uocat, quia fuerunt etiam alij hoc nomine. nam Diogenes Laertius libro 2. quinque Socrates celebrat. Hunc primum qui moralis Philoſophiæ fuit auctor, & omnium hominum ſapientiſsimus ab Apolline iudicatus, alterum hiſtoricum qui Argos diligenter deſcripſit: Tertium Peripateticum ex Bythinia. Quartum poetam Epigrammatum, Quintum Coum, qui Deorum imprecationes, inuocationesque conſcripſit. Cicero in Academicis ait Socratem primum Philoſophiam à rebus occultis, in quibus ante eum Philoſophi occupati fuerant, ad uitam communem adduxiſſe, ut de bonis rebus, & malis quæreret. Cęleſtia uerò atque abſtruſa nihil ad bene uiuendum conferre cenſuit, ideo frequenter dicebat, quæ ſupra nos, nihil ad nos, accuſatus fuit à tribus iuuenibus Melyto, Anyto, & Lycone, quod deos eſſe nõ putaret, & quod diſputationibus ſuis iuuentutem corrumperet. tandem damnatus eſt, & in carcerem coniectus, ueneno ſublatus eſt. Perſius.

Barbatum nec credo magiſtrum
Dicere ſorbitio tollit, quem dira cicutæ.

Extat eius Apologia, quam Plato ſcripſit elegãtiſsima, & grauiſsimis ſententiis referta. Vnde Cicero ſumpſit hæc, quæ facit Antonium commemorantem. Extat & liber de Animi immortalitate, qui Phædon inſcribitur, in quo Plato facit ipſum Socratem, quo die moriturus erat diſptantem, & probantem animum immortalem eſſe. Lyſiam appellat diſertiſsimum oratorem. Fuit autem Lyſias Syracuſanus genere Cephali filius, & Cteſiæ diſcipulus, ſed Athenis natus, quo pater ſe receperat, æqualis Demoſtheni, aut certè paulo ſuperior, puer adhuc cum patre Thurios migrauit, poſtea redijt annos natus ſeptem, & quadraginta, atque inter primos oratores habitus, eius orationes ferebantur ſupra nonaginta ſtyli puritate, & elegantia cunctis, præter Iſocratem præſtare creditus eſt, etiam de arte Rhetorica ſcripſit. Cicero in Bruto ſic ait, Lyſias gracile dicendi genus ſectatus eſt, quanquam in eo ſunt ſæpè lacerti, ſic ut fieri nihil poſsit ualentius: Verum tamen eſt genere toto ſtrigoſior, habet tamen ſuos laudatores, qui hac ipſa ſubtilitate delectentur. Quintilianus ita; Lyſias ſubtilis, atque elegans, & quo nihil, ſi oratori ſatis ſit, dicere queas perfectius, nihil eſt inane, nihil acceſitum, puro tamen fonti quàm flumini propior. de hac oratione quam pro Socrate Lyſias ſcripſit, meminit etiã Quintilianus. Erat autem hæc illo tempore conſuetudo, vt oratores

ſcri-

ſcriberent reis orationes, quas ediſcentes pro ſe recitarent. quod Iſocratem, Lyſiam, & Demoſthenem feciſſe ſæpe legimus. CALCEOS SICYONIOS. Fuit Sicyon vrbs in Achaia, non longe à Corintho, quam Plinius ait fuiſſe patriam omnium officinarum metallicarum. in ea molles, & muliebres calcei confici ſolebāt Sicyonij dicit. Lucilius,

Et pedibus leua Sicyonia demit honeſta.

Ergo ille quoquo damnatus eſt neque ſolum primis ſententijs, quibus tantum ſtatuebant iudices; dānarent, an abſoluerent, ſed etiam illis, quas iterū legibus ferre debebant. Erat enim Athenis, reo damnato, ſi fraus capitalis non eſset, quaſi pęnæ ęſtimatio ex ſententia, cum iudicibus daretur, interrogabatur reus, quam quaſi æſtimationem commeruiſse ſe maxime confiteretur: quod cùm interrogatus Socrates eſset, reſpondit, ſeſe meruiſſe, vt ampliſsimis honoribus, & præmijs decoraretur, & vt ei victus quotidianus in Prytaneo publicè præberetur: qui honos apud Græcos maximus haberetur. Cuius reſponſo ſic iudices exarſerunt, vt capitis hominem innocentiſsimum cōdemnarent. qui quidem ſi abſolutus eſset, (quod mehercule etiam ſi nihil ad nos pertinet, tamen propter eius ingenij magnitudinem vellem) quonam modo iſtos philoſophos ferre poſsemns qui nunc, cùm ille damnatus eſt nullam aliam ob culpam, niſi propter dicendi inſcitiam, tamen à ſe oportere dicunt peti præcepta dicendi?

ERGO ILLE QVOQVE. non aliter atque Rutilius etiam Socrates domnatus fuit, neque ſemel tantum, ſed etiam ſecundis ſen-

ſententijs. Exponit enim Athenienſium conſuetudinem, qui cum reum aliquem damnaſſent primis ſententijs, ſi fraus capitalis non fuiſſet, vt deinde ſecundis ſententijs pœnam æſtimarent. Qua in re ſolebant reum interrogare, vt quaſi ſeipſum condemnaret, & pronunciaret vel quantam pecuniam eſſet daturus, vel quanto tempore exulaturus, vel denique quid paſſurus eſſet. Hoc dicebatur græcè τίμημα, latinè Cicero pœnæ æſtimationem vocat: hoc autem, quod ait Socratem reſpondiſſe, legitur apud Platonem in Apologia. IN PRYTANEO. Erat Prytaneum locus Athenis in arce, ubi de rebus maximis habere conſilia ſolebant iudices, & magiſtratus Athenienſium: ibi etiam publicè alebantur ij, qui de Repub. benè meriti fuiſſent, & qui res egregias geſſiſſent, aut quorum parentes pro ſalute Reip. mortui fuiſſent, qui honos maximus habebatur, vt ex hoc loco apparet. Dionyſius ait Prytanea eſſe curias, in quibus ſacra fiunt ab ijs, qui ſummam in Rep. poteſtatem habent. Suidas auctor eſt Prytanea dicta fuiſſe omnia vectigalia, ſiue redditus publicos, & quicquid à ſubditis ſtipendij nomine præſtaretur. Budæus ait Prytanea fuiſſe pecunias, quas vterque litigantium, tàm actor, quam reus deponebat, latinè ſacramenta dicta, & erant pœnæ temerè litigantium. Erant etiã Prytanes ij, qui Remp. adminiſtrabant, vt apud Romanos Conſules, ſed erant numero quinquaginta, & ſingulis menſibus ſinguli imperabant. Plutarchus in Theſei vita tradit ab ipſo Theſeo vnum Prytaneum, omnibus Athenienſibus commune conſtitutum fuiſſe. Demoſthenes de Mentita legatione docet hanc fuiſſe conſuetudinem Athenis, vt qui ex legatione reuerterentur, ſi bene ſe geſſiſſent, in Prytaneo honorificè exciperentur, & eis conuiuium publicè præberetur. INGENII MAGNITVDINEM. Nam fuit admodum ingenioſius Socrates, quamuis Zopyrus Phyſiognomon, qui ſe profitebatur hominum mores, naturaſque ex corpore, oculis, vultu, fronte pernoſcere, ſtupidum eſſe Socratem dixerit, & bardum quod iugula concaua non haberet, obſtructas eas partes, & obturatas eſſe: addidit etiam mulieroſum, in quo Alcibiades dicitur cachinum ſuſtuliſſe, auctor Cicero de de Fato, & libro 4. Tuſcul. PROPTER DICENDI INSCITIAM. Hoc factum eſt ab Antonio; nam fuit eloquentisſimus Socrates, & in quamcumque partem ſe daret omnium in dicendo facilè princeps, vſque eò, vt illius accuſatores obiecerint ei, tantum dicendo poſſe, vt deteriorem cauſam oratione meliorem efficeret, vt ipſemet Socrates auctor eſt in Apologia apud Platonem, & L. Craſſus libro 3. fatetur Socratem eloquentia, varietate, copia, omnibus præſtitiſſe.

Quibuſcum ego non pugno, vtrum ſit melius, aut verius tantum dico, & aliud illud eſſe, atque hoc, & hoc ſine illo ſummum eſſe poſſe. Nam quòd ius ciuile, Craſſe, tam vehementer amplexus es, video quid egeris. tum, quum dicebas, videbam. Primùm Scæuolæ te dediſti, quem omnes amare meritisſimè pro eius eximia ſuauitate debemus, cuius artem cùm indotatam eſſe, atque incomitatam, & incomtam videres, verborum eam dote locupletaſti, & ornaſti. Deinde quòd in ea tu plus operæ, laboriſque conſumſeras, cum eius ſtudij tibi & hortator, & magiſter eſſet domi, veritus es, niſi iſtam artem oratione exaggeraſſes, ne operam perdidiſſes. Sed ego ne cum iſta quidem arte pugno ſit ſanè tanta, quantam tu illam eſſe vis. etenim ſine controuerſia & magna eſt, & latè patet, & ad multos pertinet, & ſummo in honore ſemper fuit, & clarisſimi ciues ei ſtudio etiam hodie præſunt: ſed vide, Craſſe, ne, dum nouo, & alieno ornatu velis ornare iuris ciuilis ſcientiam, ſuo quoque eam, conceſſo, & tradito ſpolies, atque denudes.

QVIBVS CVM EGO. Cõcludit Antonius ſine Philoſophia ſommam eloquentiam acquiri poſſe, quod ita debemus intelligere, ſene exquiſita Philoſophiæ cognitione. Nam ſupra dixerat ex omni doctrinæ genere quædam oratori delibanda eſſe. NAM QVOD IVS CIVILE. Hactenus Philoſophiam non eſſe oratori neceſſartam probauit, contra Crasſi ſententiam: nunc aggreditur oſtendere, neque ius ciuile neceſſarium eſſe, vt omni ex parte ſententiam Crasſi labefactet. Et quoniam Craſſus ius ciuile maximè laudauerat, ait Antonius non ideo factum à Craſſo, quod ita reuera putaret, ſed vt Sceuolæ gratificaretur, & ſtudium ſuum extolleret. Hoc autem ar-

tificio

tificioſum eſt in refutando,cauſas oſtendere, cur aduerſarius falſa dixerit. Duas autem Antonius affert cauſas, quare putet à Craſſo ius ciuile laudatum,prima eſt,quod Sceuolæ gratificari voluerit eius artem ornando,altera,quod voluerit ſtudium ſuum commendare,quoniam iuri ciuili multum operæ dediſſet. VIDEO QVID EGERIS. Alio detorquet Craſsi ſententiam cum oſtendat Craſsum oratione ſua,laudes non ad rem ipſam, & iuris prudentiam, ſed ad perſonas contuliſse,& re vera ſicuti res non vituperantur,ſed homines malè rebus vtentes ut ait Cor. Gallus :

Non res in vitium, ſed malefacta cadunt,

Ita etiam non deberent ipſæ res laudari, ſed homines benè rebus vtentes,ita verſus ille poteſt hoc modo conuerti,

Non res in laudem,ſed benefacta cadunt.

CVM INDOTAM. Elegantiſsima tranſlatione vtitur, quo iucundior ſit,& minus aſpera refutatio, quàm à muliere ſumit: diues enim mulier tribus præcipue rebus cenſetur, primo ſi magnam dotem habeat, deinde ſi multas pediſequas & ancillas, denique ſi plure ornamenta,vt veſtes pretioſas,lapillos,margaritas, torques , armillas cæteraque eius generis,quæ verò neque dotem, neque ancillas nequa ornamenta poſsidet,illa ſine dubitatione paupercula eſt. Talis eſt,ait Antonius iuris ciuilis ſcientia,eſt enim indotata, incomitata, & incōpta, quo circa voluit eam Craſsus quaſi dote verborum locupletare. Dicitur autem indotata,quia cæterarum artium opibus non abundat, incomitata,quia per ſe poteſt intelligi ſine reliquis ſcientijs vt de C. Aculeone ſupra dictum eſt,incompta, quia caret ornamentis, & floſculis oratorijs,licet enim veteres iuriſconſulti purè & latinè loquantur,non tamen ornatè, & oratoriè, nam aliud eſt latinè,aliud oratoriè aliud grammaticè loqui. DEINDE QVOD IN EA. Altera cauſa;nam vnuſquiſque ſuo ſtudio delectatur,& id admiratur, reliqua vero contemnit,id etiam in quo quis multum laboris & operę poſuit,magnificere ſolet,ne uideatur,ut in prouerbio eſt, oleum & operam perdidiſſe. MAGISTER ESSET DOMI. uel ipſum Sceuolam intelligit Craſsi ſocerum,uel Cælium Antipatrum,de quo ita Cicero in Bruto. L.Cælius Antipater ſcriptor, quemadmodū uidetis,fuit,ut temporibus illis luculentus, iuris ualde peritus, multorum etiam, ut L. Craſsi magiſter. SED EGO NE CVM ISTA. Concedit Antonius iuris ciuilis ſcientiam eſse magnam,& egregiam,Sed tamen non uult eſse oratori neceſsarium:nam impudētiæ eſt,quæ ſunt aperta negare,& bonas artes improbare quæ res etiā fidem abrogat orationi.multa ſunt igitur in diſputando aduerſario cōcedenda,quæ tamen rationes noſtras non euertant. Quinque uerò cōcedit Antonius eſse in iuris ciuilis ſcientia, quæ præſtantem & eam

laudabilem eſse demonſtrent, primum, quòd ſit magna, quoniam in ciuitate, atque in pace, primum ſibi locum poſt eloquentiam uendicat, & cauſas grauiſſimas contineat. Alterum, quòd late pateat, quia leges omnes, & mores ciuitatis amplectitur, ſine quibus nec domus ulla nec ciuitas, nec regio, nec mundus ipſe ſtare poſſet. Tertium quod ad multos pertinet, nempe ad omnes, qui controuerſias habent, & iure experiri, & quod ſuum eſt, obtinere uolunt. Quartum quod ſummo in honore ſemper fuit, ſemper enim iuriſconſulti boni atque eruditi magnos dignitatis gradus obtinuerunt. quod etiam noſtra tempeſtate fieri uidemus. Quintum & ultimum, quod clariſſimi ciues huic ſtudio præſunt. Satis enim conſtat multos Senatus, & ciuitatis principes, olim apud Romanos de iure reſpondere ſolitos; & hodie nemo poteſt in iuriſconſultorum collegium apud nos cooptari, niſi fuerit ex antiqua & nobili familia oriundus, & legitimo matrimonio natus, & nullam uilem & abiectam artem, neque ipſe, neque eius parētes unquam exercuerint. non eſt igitur dubitandum, quin hæc ſcientia ſit maxime laudabilis, & expetenda. SED VIDE CRASSE. Callide ſcientiam iuris ciuilis extulit, & ornauit; ut oſtendat eam à Craſſo non ſimiliter laudatam, ſed potius uituperatam, quoniam eam ſubiecit eloquentiæ tanquam eius ancillam; cum enim ornatum oratorium iuri ciuili tribuerit Craſſus, nouo & alieno uidetur ornatu eam ornaſſe, ſed cum deinde ſubiecerit eloquentiæ, uidetur iterum eam etiam denudaſſe; atque talem, qualis Æſopica cornix fuit, reliquiſſe.

Nam, ſi ita diceres, qui iuriſconſultus eſſet, eſſe eum oratorem, itemque qui eſſet orator, iuris eundem eſſe conſultum, præclaras duas arteis conſtitueres, atque inter ſe pareis, & eiuſdem ſocias dignitatis. nunc verò iuriſconſultum hac eloquentia, de qua quęrimus, fateris eſſe poſſe, fuiſſeque plurimos: oratorem negas, niſi illam ſcientiam aſſumſerit, eſſe poſſe: ita & tibi iuriſcō ſultus ipſe per ſe nihil, niſi leguleius quidam cautus, & acutus, præco actionum, cantor formularum, auceps ſyllabarum. Sed quia ſæpe vtitur orator ſubſidio iuris in cauſis, idcirco iſtam iuris ſciē

tiam eloquentiæ tanquam ancillulam, pediſequamq; adiunxiſti.

NAM SI ITA DICERES. Oſtendit quomodo Craſſus potius vituperarit, quàm laudarit iuris prudentiam, & argumentatur a fictione hoc eſt ab eo, quod non dixit Craſſus. Sed dicere potuit, quia poterat duas artes conſtituere, hoc eſt eloquentiam, & iuriſprudentiam inter ſe pares, & eiuſdem ſocias dignitatis; quod non fecit; ſed dixit iuriſconſultum eſſe poſſe præſtantem ſine eloquentia, oratorem autem ſine iuriſprudentia eſſe non poſſe, atque ita iuriſprudentiam eloquentiæ, tanquàm eius ancillam ſubiecit. ITA ET TIBI IVRISCONSVLTVS. Hæc per irriſionem quandam ab Antonio dicuntur. Sunt autem Leguleij, qui formulas legum tantum ediſcunt, & album ac rubricas ſequuntur. Quintilianus libro 12. quorum alij ſe ad album, & rubricas tranſtulerunt, & formularij, vel (vt Cicero ait) leguleij quidam eſſe maluerunt. Tales autem cauti eſſe debent, ne clientes decipiātur, & acuti, vt etiam quæ minima ſunt in litibus videant. PRÆCO ACTIONVM. Qui declaret, quando, & quomodo agi lege poſſit, aut non Eſt enim actio ius perſequendi in iudicio, quod ſibi debetur, vt ait Iuſtinianus libro 4. eius duo ſunt genera, alterum in rem, alterum in perſonam. Actio in rem eſt, quà quis cum eo agit, qui nullo iure ei obligatus eſt, mouet tamen ei de aliqua re controuerſiam, vt de poſſeſſione aut iure prædiorum. Actio in perſonam, qua quis agit cum eo, qui ei obligatus eſt, vel ex maleficio. Ex hac diſtinctione variæ naſcuntur actionum ſpecies, quas omnes noſſe, & prædicere clientibus iuriſconſultus debet; vnde præco actionum ab Antonio dicitur. CANTOR FORMVLARVM. Formulæ dicebantur, quædam verba concepta in iure, quibus vti opus erat in conteſtanda lite, vt: Ego hoc mancipium iure Quiritum meum eſſe dico, qui autem litem amittebat dicebatur formula cadere, vocabant autem antiqui tales verborum conceptiones carmina vt Liuius in primo, Lex horrendi carminis erat. Duumuiri perduellionem iudicent, ſi à Duumuiris prouocarit, prouocatione certato. Hac de cauſa dicitur cantor formularum, quia carmina canūtur. AVCEPS SYLLABARVM. Iuriſconſulti nonnunquam in ſyllabis & dictionibus, quę pariunt ambiguitatem conſiſtunt & de illis altercantur, quæ dicuntur aucupia verborum, vt pro A. Cecina Cicero vocat. Hoc autem calumniatoris proprium eſt, verba ſequi, & ſententiam relinquere, quod qui faciunt ſummo iure agere dicuntur.

Quod verò impudentiam admiratus es eorum patronorum, qui aut, cùm parua neſcirent, magna profiterentur, aut ea, quæ maxima eſſent in iure ciuili, tractare auderent in cauſis, cùm ea neſcirent, numquamque didiciſſent: vtriuſque rei facilis eſt, & prompta defenſio. Nam neque illud eſt, mirandum, qui, quibus verbis coemptio fiat, neſciat, eundem eius mulieris, quæ coemptionem fecerit, cauſam poſſe defendere. Nec ſi parui nauigij, & magni eadem eſt in gubernaculo ſcientia, idcirco, qui, quibus verbis herciſceri oporteat, neſciat, idem herciſcundæ familiæ cauſam agere non poſſit.

QVOD VERÒ IMPVDENTIAM. Craſſus duobus criminibus oratores iuris imperitos accuſauerat, impudentia, & inertia, vtrũmque refellit Antonius; Ac primo nullam in eis impudentiã eſſe docet, qui ſine iuris cognitione maximas quaſque cauſas tractare poſſunt. Argumẽtatur autem à differentia, & à ſimilitudine, quoniam aliud eſt ius ſcire, aliud cauſas agere. Vt iuriſconſultus tradit quibus verbis coemptio fiat inter virum & mulierem, & quæ ſit eius matrimonij formula, orator autem defendit cauſam mulieris, quæ coemptionem fecerit: Aliud autem eſt facere coemptionem, aliud defendere coemptionem, aliud eſt ſcire, quibus verbis herciſcunda familia ſit, aliud herciſcundæ familiæ cauſam agere. Coemptio genus erat matrimonij, quo mulier in manum viri conueniebat, & quæcunque habebat, viro dabat dotis nomine, quaſi virum ſibi emeret ſuis bonis vnde Virgilius;

Teq; ſibi generum Thetis emat omnibus undis.

Quæ autem mulier ita virum emiſſet, & in manum illi conueniſſet, mater familias dicebatur, reliquæ licet matrimonio copulatæ fuiſſent, tamen ſi coemptionem non feciſſent, matronæ tantum, non autem matres familias dicebantur. Herciſcere dicebant antiqui hæreditatem diuidere, vnde apud Iuriſconſultos actio herciſcundæ familiæ: nam fami-

familiæ vox omnem hæreditatem, ac res hæreditarias complectitur. Porro tribus modis grammatici putant hoc verbum proferri in infinitó hercíſcere, hercíſceri, & hercíſci; ſunt etiam qui ſine aſpiratione ſcribant.

Nam quòd maximas centumuiraleis cauſas in iure poſitas protuliſti: quæ tandem earum cauſa fuit, quæ ab homine eloquenti, iuris imperito non ornatiſsimè potuerit dici? quibus quidem in cauſis omnibus, ſicut in ipſa M. Curij, quæ abs te nuper eſt dicta, & in C. Hoſtilij Mancini controuerſia: atq; in eo puero, qui ex altera natus erat vxore, non remiſſo nuntio ſuperiori, fuit inter peritiſsimos homines ſumma de iure diſséſio.

NAM QVOD MAXIMAS. Non negat maximas cauſas centumuirales ab oratore tractari, ſed ſine cognitione iuris, benè agi poſſe oſtendit: argumentum eſt à cauſa efficiente. Nam in cauſis ſupradictis Curij, Mancini, pueri ex ſecunda vxore nati, fuit controuerſia de iure, inter iuriſconſultos; hoc quidem verum eſt, ſed quæ cauſa efficiens fuit victoriæ? hoc eſt quis nam in cauſa ſuperior fuiſſet? non ſanè qui ſcientior eſſet in iure, ſed qui maiore eloquentia præditus fuiſſet; non igitur in cauſis forenſibus ius ciuile, ſed eloquentia cauſa victoriæ eſt.

Quæro igitur, quid adiuuerit oratorem in his cauſis iuris ſcientia, cum hic iuriſconſultus ſuperior fuerit diſceſſurus, qui eſſet non ſuo artificio, ſed alieno hoc eſt, non iuris ſcientia, ſed eloquentia, ſuſtentatus. Equidem hoc ſæpe audiui, cum ædilitatem P. Craſſus peteret, eumque maior natu, etiam conſularis, Ser. Gal aſſectaretur, quòd Craſsi filiam C. filio ſuo deſpondiſſet, acceſsiſſe ad Craſſum conſulendi cauſa quendam ruſticanum: qui cum Craſſum ſeduxiſſet,

atque

atque ad eum retuliſſet, reſponſumque ab eo verum magis ad ſuam rem accommodatum abſtuliſſet: vt eum triſtem Galga vidit, nomine appellauit, quęſiuitque, qua de re ad Craſſum retuliſſet. ex quo vt audiui, commotumque vt vidit hominem, Suſpenſo inquit, animo, & occupato, Craſſum tibi reſpondiſſe video, deinde ipſum Craſſum manu prehendit.

QVAERO IGITVR. Interrogatio urgendi gratia, quia falſum fuiſſet, ſi ipſe affirmaſſet ius ciuile nihil prodeſſe, nam eiuſdem effectus poſſunt eſſe multæ conficientes cauſæ; ut imperatorem ad victoriam conſequendam adiuuant milites, adiuuant arma, machinę, tormenta, locorum opportunitates, commeatus, inſidiæ, cæteraque eius generis. Ita oratori non tantum eloquentia prodeſt, ſed etiam teſtes, tabulæ, iuris cognitio, vitæ probitas, & alia multa. EQVIDEM HOC SAEPE AVDIVI. Exemplum affert ex hiſtoria, ad probandam ſententiam ſuam accommodatum, quod orator eloquentia ſua poſsit facilè ius ciuile ſubuertere, quod Ser. Galba diſertus orator contra P. Craſſum fecit, animi tantum gratia. ASSECTARETVR. Suffragij gratia propter affinitatem. DESPONDISSET. Sic enim de patre ſponſi dicitur, vt Terentius,

Nam aliam ei pater deſponderat.

A. Gellius libro 4. cap. 4. qui vxorem ducturus erat, ab eo vnde ducenda erat, ſtipulabatur, eam in matrimonium ductum iri, qui daturus erat itidem ſpondebat: is contractus ſtipulationum ſponſionumque dicebatur ſponſalia, tunc quæ promiſſa erat ſponſa appellabatur: qui ſponderat ducturum, ſponſus. Sed ſi poſt eas ſtipulationes vxor non dabatur, aut non ducebatur, qui ſtipulabatur ex ſponſo agebat, iudices cognoſcebant. SVSPENSO INQVIT ANIMO. hoc eſt alia cogitantem, & ad cauſam tuam animum non aduertentem. Dicitur enim ſuſpenſus animus, cum aliqua de re non cogitat, in alijs occupatus, ita ſuſpendere animum dicitur, qui incertus eſt, & ſuſpenſus, dubius, & incertus. Virg. 6.

Dicam equidem, nec te ſuſpenſum nate tenebo. idem. 3.
Quæ me ſuſpenſam inſomnia terrent. idem. 2.
Suſpenſi Eurypylum ſcitatum oraculi Phœbi,
Mittimus.

Signi-

Significat etiã ſolicitum, & anxiũ, vt ad Tyronem Cicero, Ego valde ſuſpenſo animo expecto. ita ſuſpenſus ſomnus dicitur leuis, & inquietus. Cicero 1. Tuſcul. tu quæ curam ſomno ſuſpenſo leuas, & ſuſpenſa manu ſignificat leuiter, parumque accuratè, ſicuti notauit Eraſmus in prouerbijs. Plinius in Epiſt. lib. 6. tu verò non debes ſuſpenſa manu commendare mihi, quos tuendos putas. Suſpenſis auribus bibere, eſt diligenter audire. Propert. 3.

Incipe, ſuſpenſis auribus iſta bibam.

Suſpenſo gradu ideſt placide & quietè. Terentius in Phormione; Ad fores ſuſpenſo gradu placidè ire perrexi.

Et heus tu, inquit, quid tibi in mentem uenit ita reſpondere? Tum ille fidenter, homo pertitiſsimus, confirmare, ita ſe rem habere, vt reſpondiſſet: nec dubium eſſe poſſe. Galba autem alludens uarie, & copioſe, multas ſimilitudines afferre, multaque pro æquitate contra ius dicere: atque illũm, cùm differendo par eſſe non poſſet (quamquam fuerit Craſſus in numero diſertorum, ſed par Galbæ nullo modo) ad auctores confugiſſe, & id, quod ipſe diceret, & in P. Mucij, fratris ſui, libris, & in Sex. Aelii commentariis ſcriptum protuliſſe, ac tamen conceſsiſſe Galbæ, diſputationem ſibi probabilem, & propè veram videri.

ET HEVS TV INQVIT. Dialogiſmus eſt, quo recta ratione, & obliqua factum refert. ALLVDENS VARIE. Dicitur is alludere, qui ex alia re aliqua ducit argumenta ſimilia, ad cauſam ſuam probandam. Sunt autem variæ alluſiones, nam tranſlationes, allegoriæ, collationes, imagines, exempla, ſimilitudines dicuntur alluſiones, quæ partim valent ad probandum, partim ad exornandũ.

Quoties autem contra ſcriptum æquitas defenditur, plurimum alluſiones ad probationem valent. Quod aperte Cicero pro A. Cecina declarat, qui contra ſcriptum pro æquitate dicens, varie alludit, & multas ſimilitudines affert. AD AVTORES CONFVGISSE. Hæc eſt eorum fuga, qui parum in diſputando valent, vt ſe non rationibus, ſed auctoritatibus defendant, quod P. Craſſus fecit, cum Galbæ reſiſtere diſputando non poſſet. De P. Mutio ſupra dictum eſt, & quomodo eſſet P. Craſsi frater, itemque de Sex. Ælio. PROBABILEM ET PROPE VERAM. Plurimum enim diſtat probabile à vero, nam verum eſt, quod aliter eſſe non poteſt, & quod eſt neceſſarium, probabile verò, quod & eſſe, & non eſſe poteſt, & quod eſt in opinione; vnde græcè ἔνδοξον dicitur, quod ita definitur ab Ariſtotele primo Topic. probabilia ſunt, quæ probantur aut vel omnibus aut plurimis, aut certè ſapientibus, atque ijs uel omnib. vel plurimis, uel ijs, quorum ſpectata eſt, & perſpecta ſapientia. Probabile igitur opinionem gignit, & poteſt eſſe uel uerum, uel falſum: uerum autem gignit ſcientiam, & aliter eſſe nunquam poteſt, ueritas enim res quædam eſt ſempiterna, neque unquam mutatur.

Attamen quæ cauſæ ſunt eiuſmodi, vt de earum iure dubium eſſe non posſit, omnino in iudicium vocari nō ſolent. Num quis eo teſtamento, quod paterfamilias antè fecit, quàm ei filius natus eſt, hęreditatem petit? nemo: quia conſtat, agnaſcendo rumpi teſtamentum. Ergo in hoc genere iuris iudicia nulla ſunt. Licet igitur impunè oratori omnem hanc partem iuris in controuerſijs ignorare, quæ pars ſine dubio multo maxima eſt.

ATTAMEN QVÆ CAVSÆ. Dilemma eſt, quo probare contendit, non eſſe neceſſarium oratori, ius ciuile. Nam ius inquit, aut eſt certum, aut incertum. Si certum non uenit in iudicium, itaque nō opus eſt, ut orator, qui iudiciales cauſas agit, id ediſcat, quod in iudiciū omnino non uenit. Si incertum, cum inter iuriſconſultos de eo, controuerſia ſit, orator apprehendet, eam partem quam voluerit, & eam uiribus eloquentiæ defendet. NAM QVIS EO TESTA-

STAMENTO. Exemplum,quo probat ius certum in iudicium non uenire,quod eiuſmodi eſt,ſi Fabius paterfamilias non habens filios,teſtamento Cornelium hæredem facit,deinde Fabio filius naſcitur,certè Cornelius nō petet hæreditatem, quia certi iuris eſt,poſt ortum filium, teſtamentum nullius eſſe ponderis. AGASCENDO. Dicuntur agnaſci,qui poſterius naſcuntur,vt filij,nepotes, ab nepotes,qui etiam agnati uocantur, qui per uirilis ſexus perſonas ſanguine coniuncti,prodeunt in lucem.Filius autem agnatorum primus eſt,Antiqui,ſicut ait Paulus,libero uentri ita proſpexerunt,ut in tempus naſcendi omnia ei iura integra reſeruarent. LICET IGITVR IMPVNE, Primam partem dilemmatis concludit,poteſt orator ius certum ignorare, quod latisſimè patet.

In eo autem iure, quod ambigitur inter peritisſimos,non eſſe difficile oratori,eius partis, quamcumque defendat,auctorem aliquem inuenire:à quo cum amentatas haſtas acceperit, ipſe eas oratoris lacertis viribuſque; torquebit. Niſi vero (bona venia huius optimi viri dixerim Scæuolæ) tu libellis,aut præceptis ſoceri tui cauſam M.Curij defendiſti.nonne arripuiſti patrocinium æquitatis, & defenſionem teſtamentorum, ac voluntatis mortuorum?

IN EO AVTEM. Altera pars dilemmatis, cum dubium eſt ius, aliud alij uidetur, itaque uariant iuriſconſultorum ſententiæ. Quocirca orator auctorem aliquem iuriſconſultum inueniet, qui ſit in ea ſententia,quam ipſe defendere conatur, & ab eo rationes accipiet,quibus utatur in cauſa ſua. AMENTATAS HASTAS. A militibus ſumpta metaphora,qui ſæpe miniſtros habent in prælio qui ſibi tela ſuggerant,quæ in hoſtes torqueant,ut Achates ille Virgilianus, quem Æneas in 10.ſic alloquitur.

Suggere tela mihi,non vllum dextra fruſtra,
Torſerit in Rutulos.

Eſt autem amentum lorum quoddam,quo haſtilia in medio religabātur,ita ut manus miſceri poſſet,ut longius torquerentur, unde haſtæ amentatæ huiuſmodi loro ligatæ.Virg.9.

Intendunt acres arcus,amentaq; torquent.

Vbi Seruius amenta,inquit,torquent,pro tela amentis torquent. Eraſmis in prouerbijs ita inquit: Arma parata ad pugnam. M. Tullius appellat haſtas amentatas. Transferri poteſt ad dictum, aut orationem ab alio ſuppeditatam:in Bruto etiam ſic ait Cicero;ut haſtæ uelitibus amentatæ,ſic apta quędam & parata ſingulis cauſarum generibus argumenta traduntur;& in Topicis loquens Iuriſconſultis,patronis inquit,diligentibus ad eorum prudentiam confugientibus haſtas miniſtrāt. Quintil. lib. 12. qui uolunt ad arculas ſedent, & tela agētibus ſub miniſtrant. NISI VERO. Nunc ad exempta tranſit, & docet ipſum Craſſum in cauſis dubij iuris non iuriſprudētia ſed eloquentia uti ſolitum,ac pręcipuè in cauſa M.Curij de qua iam ſupra dictū eſt, in qua Craſsus ęquitatis patrocinium contra ſcriptum ſuſcepit,& ſuperior fuit,non cognitione iuris,ſed eloquentię uiribus.

Ac mea quidem ſententia (frequens enim te audiui, atque affui) multo maiorē partē ſententiarū ſale tuo, &, lepore, & politiſsimis facetijs pellexiſti, cum, & illud nimium acumen illuderes, & admirarere ingenium Scæuolæ,qui excogitaſſet, naſci prius oportere, quàm emori, cumque multa colligeres ex legibus, & ex ſenatuſconſultis, & ex vita, ac ſermone communi, non modò acute, ſed etiam ridicule ac facete: vbi ſi verba, non rem ſequeremur,confici nil poſſet.Itaq; hilaritatis plenum iudicium, ac lætitiæ fuit: in quo quid tibi iuris ciuilis exercitatio profuerit, nō intelligo:dicendi vis egregia, ſumma feſtiuitate,& venuſtate coniuncta profuit.

AC MEA QVIDEM SENTENTIA. Explicat quomodo Craſsus in cauſa Curiana ſuperior fuerit,quia pręſens ipſe Antonius fuerat.Non enim inquit,iure ciuili, ſed ſale, & facetijs oratorijs,quę quantum ualeant,infra dicetur, ſuperior fuiſti, quia mentes iudicum pellexiſti. ACVMEN ILLVDERES. Res abſurdę

dę plerunque riſum mouent. Abſurdum autem eſt aliquem acutum in ea re uocare, quę apertiſſima eſt: nemo enim eſt, qui neſciat prius oportere naſci, quam emori. Huic ferè ſimile eſt, quod Cicero cuidam de ętate ſua multum mentieni, dixit, ergo cum vna declamabamus, tu nondum natus eras. ET EX LEGIBVS. Hęc omnia pro A. Cecina Cicero ipſe perſecutus eſt, ubi docet, ſi uerba nõ res ſequi uoluerimus, nihil recte in uita confici poſse. Ideo Socrates ad monet, ut de uerbis controuerſiam non moueamus, ſed res ipſas ſpectemus. Cic. dum res ipſę maneant, uerba fingant arbitratu ſuo. ITAQVE HILARITATIS. Hoc dicit, ut oſtendat, urbanitatem & facetias, plus in iudiciis ſępe ualere, quam iuris ciuils cognitionem Nam in cauſa illa Curiana, neque Craſſo, neque Scęuolę iuriſprudentia profuit, feſtiuitas autem multum Craſso profuit.

Ipſe ille Mucius paterni iuris defenſor, & quaſi patrimonij propugnator ſui, quid in illa cauſa, cum contra te diceret, attulit, quod de iure ciuili depromtũ videretur? quã legẽ recitauit? quid pate fecit dicẽdo quod fuiſſet imperitis occultius? nẽpe eius omnis oratio verſata eſt in eo, vt ſcriptũ plurimũ valere oportere defenderet. At in hoc genere pueri apud magiſtros exercentur omnes, cum in eiuſmodi cauſis, alias ſcriptum, alias æquitatem defendere docentur. Et credo in illa militis cauſa, ſi tu aut hęredem, aut militem defendiſſes, ad Hoſtilianas te actiones, non ad tuam uim, & oratoriam facultatem contuliſſes. tu verò vel ſi teſtamentum defenderes, ſic ageres, vt omne omnium teſtamentorum ius in eo iudicio poſitum uideretur, vel ſi cauſam ageres militis, patrem eius, vt ſoles, dicendo à mortuis excitaſſes: ſtatuiſſes ante oculos: complexus eſſet filium, flensq́ue eum centumuiris commendaſſet. lapides mehercule omneis flere ac lamentari coe

giſſet,

giſſet, ut totum illud, vti lingua nuncupaſſet, non in 12. tabulis, quas tu omnibus bibliothecis anteponis, ſed in magiſtri carmine ſcriptum videretur. Nam quòd inertiam accuſas adoleſcentium, qui iſtam artem primum facillimam non ediſcant: quæ quàm ſit facilis, illi viderint, qui eius artis arrogantia, quaſi difficillima ſit, ita ſub nixi ambulant: deinde etiam tu ipſe videris, qui eam artem facilem eſſe dicis, quam concedis adhuc artem omnino non eſſe, ſed aliquando, ſi quis aliam artem didicerit, vt hanc artem efficere poſsit: tum eſſe illam artem futuram: deinde, quòd ſit plena delectationis, in qua tibi remittunt omnes iſtam voluptatem, & ea ſe carere patiuntur, nec quiſquã eſt eorum, qui, ſi iam ſit ediſcendum ſibi aliquid, non Teucrum Pacuuij malit, quàm Manlianas venalium vendendorum leges ediſcere.

IPSE ILLE MVTIVS. Argumentum ab adiunctis per conſecutionem, quod ita formatur: Si ius ciuile prodeſſet in cauſis, Mutius Iuriſcõſultiſsimus, in cauſa Curij legẽ aliquã recitaſſet, aliquid ex iure ciuili protuliſſet, quod eſſet imperitis occultius, ſed nullã legem recitauit, nihil ex iure ciuili protulit, nihil igitur ius ciuile prodeſt in cauſis PATRIMONII. Quia in familia Scæuolarum plurimi fuerunt egregij Iuriſconſulti, & à parentibus filij diſcebant, & quaſi patrimonium quoddam iuris ſcientiam à maioribus accipiebant: nã patrimonia propriè ſunt facultates, & bona, quæ filijs à patribus relinquuntur. Iuuenalis Sat. 12.

Non propter vitam faciunt patrimonia quidam.
Sed vitio cęci propter patrimonia viuunt.

Vnde patrimonium conficere, diſsipare, deuorare dicuntur, qui bona paterna profundunt, dicuntur etiam helluones patrimonii: a Cicerone ſæpè dicitur amplum, copioſum, lautum patrimonium, vt pro Roſc. Am.

ſc. Am. & pro L. Flacco dicitur etiam tranſlatè, vt hoc in loco, & pro A. Cęcina, Non minus diligenter publica patrimonia iuris, quam priuatæ rei veſtræ retinere debetis. NEMPE EIVS OMNIS. Auxilium ſumpſit ab arte Rhetorica, vt ſcriptum contra ſententiam defenderet. quo in genere pueri ſolent apud Rhetores exerceri, ut aliquando æquitatem defendant: quæ controuerſia, quomodo tractanda ſit, in 2. de Inuent. Cicero copioſe docet, & in primo ponit illud exemplum; Epaminondas Thebanorum Imperator, ei, qui ſibi ex lege prætor ſucceſſerat, exercitum nõ tradidit, & cum paucos ipſe dies cõtra legem exercitum tenuiſſet, Lacedæmonios funditus vicit: quod, in vtramque partem diſputat, modò ſcriptam legem defendens contra ſententiam, modò ſententiam contra ſcriptam legem. Sententia, vel æquitas eſt correctio quædam, & emendatio ſcripti iuris, vt primo Rhet. docet Ariſt. ET CREDO IN ILLA MILITIS Hiſtoria eſt ſupra poſita: cum enim falſus nuncius de morte militis ab exercitu domum veniſſet, pater moriens hæredem alium teſtamento reliquit: miles reuerſus paternam hæreditatem petit, contra teſtamẽtum: ait Antonius tu Craſſe ſiue teſtamentum defendiſſes, ſiue militem, non ad ius ciuile, ſed ad vires eloquentiæ tuæ confugiſſes. HOSTILIANAS ACTIONES. quas Hoſtilius Iuriſconſultus edidit. Primus autem Appius Claudius centimalus, actiones ſcripſiſſe dicitur, quas Cn. Flauius eius ſcriba publicauit, vt ſupra dictũ eſt. TESTAMENTORVM IVS. Quod maximum eſſe à Iuriſconſultis traditur. nam extremas voluntates patrum familias ratas eſſe oportere cenſent, Sed mulieres non habebant olim teſtamenti factionem, neque pueri ante annos plenæ pubertatis, neque filij, qui eſſent in poteſtate patris, niſi milites facti eſſent. ſic enim ait Iuuenalis.

Solis præterea teſtandi militibus ius
Viuo patre datur.

Hoc autem militare teſtamentum dicebatur; aut in procinctu, quod milites prælium inituri faciebant. A MORTVIS EXCITASSES. Hoc enim ſæpè faciunt oratores, ut magis animos moueant, ſicuti pro Cęlio Cicero Appium Claudium excitat à mortuis, vt Clodiam reprehendat. Eſt autem exornatio, quæ proſopopæa dicitur, & latinè conformatio, vt Cornificius 4. ad Herennium, qua rebus etiam inanimatis ſenſus, & oratio datur, vt in Catilinam Cicero patriam loquentem facit. LAPIDES FLERE Eraſmus in prouerbijs ita ſcribit. De re vehementer miſeranda prouerbiali hyperbola dici ſolet, eam eſse tam lamentabilem, ut uel lapides cogantur ad fletum: deinde locum hunc citat mihi magis ſuperlatio, quàm prouerbium vide-

videtur, nam homines duri, & inexorabiles, ſæpè lapides appellantur. VTI LINGVA NVNCVPASSIT. Lex erat in duodecim tabulis ita ſcripta, vti lingua nuncupaſsit, ita ius eſto, qua ſignificabatur, verba ita ut eſſent prolata, ſeruari debere, & quod dictum, aut ſcriptũ eſſet, diligenter eſſe ſeruandum. Hac lege multum adiuuabantur illi, qui ſcriptum contra æquitatem defendebant. Erat etiam alia lex huiuſmodi, vti quiſque legaſset ſuæ rei, ita ius eſto, qua vt Pomponius ait de verb. ſign. latiſsima poteſtas tributa videtur, & hæredes inſtituendi, & legata, & libertates dandi, tutelas conſtituendi. Sed orator ſæpè pro æquitate, contra ſcriptum tam acutè diſputat, vt quaſi magus quidam iudicum mentes excantare videatur, & cogere ut à ſcripto diſcedant, & potius æquitatem ſequantur: hoc eſt, quod ait Antonius. Ponit enim duo genera carminum hoc loco, nempe legitimum, & magicum, nam leges olim carmina dicebantur, ut ſupra dictum eſt. Si tu, inquit, o Craſse pro æquitate contra teſtamentum ſcriptum dixiſses, effeciſses, vt illud carmen, uti lingua, non legitimum, ſed magicum videretur, qui mentes iudicum quocunque vellet, impelleret. Putabant enim veteres, magicis carminibus maximam vim ineſſe, ut non tantum homines, ſed etiam beluas, & res inanimatas mouerent, & ſegetes ex agris alio traducerent Virgilius in Bucolicis.

Atque ſatas alio vidi traducere meſſes. & alibi,
Carmina, vel cœlo poſſunt deducere Lunam.

Aliqui legunt non in magico, ſed in magiſtri carmine, quod non ita placet. NAM QVOD INERTIAM. Ad ſecundum carmen refellendum tranſit, quia Craſsus dixerat iuris ciuilis facilem eſse artẽ, ideo inertes eſse, qui non eam percipiunt. Duas Antonius opponit rationes: primam quod non ſit facilis, & hoc probat ab ipſis Iuriſconſultis, alteram, quod non ſit ars, & hoc teſtimonio Craſsi comprobat. SVBNIXI AMBVLANT. Hoc faſtũ quendam & arrogantiam indicat, nam iuriſconſulti quaſi difficillimam artem didicerint, iuriſprudentiæ cognitione criſtas tollunt, ſeſe efferunt, & excellentes videri volunt, nam ſubniti, eſt in altum tolli, quod illi faciunt, qui ſibi plus nimio placent. Plautus in Perſa, Subnixis alis me inferam, & amicibor glorioſè. Liuius libro quinto de bello Pun. Annibalem Cannenſi victoria ſubnixum ait, ideſt elatum. Virg. 1. Æneid. de Didone.

Solioq; alte ſubnixa reſedit.

ARTEM OMNINO NON ESSE. Repugnantiam in Craſſi verbis oſtendit, quæ res maximam habet vim in refellendo, cũ aduerſarios oſtendere poſſumus repugnãtia dicere. Dixerat Craſſus,

iuris

iuris ciuilis artem eſſe facilem, deinde ſubiunxerat, ius ciuile nondũ ad artem eſſe deductum, hæc autem omnino repugnare videntur, eſſe artem facilem, & non eſſe artem: nam ſi non eſt ars, quã ratione poteſt ars eſſe facilis, idem eſt enim, ac ſi quis diceret. Grammatica eſt ſcientia maximè neceſſaria, ſed grammatica non eſt ſcientia, quod quàm abſurdum ſit, quis non videt? Vtitur autem traductione ſæpius vſurpans illam vocem artem. PLENA DELECTATIONIS. Inter cætera Craſſi argumenta, quibus ſuaſerat iuri ciuili dandam eſſe operam, illud etiam poſitum fuit, ſcientiam iuris eſſe delectationis plenam. Antonius eam oſtendit ſe delectationem negligere, quia longè maior delectatio percipitur ex poëtarum cognitione, qui non minus, atque etiam magis eloquentiæ proſunt, quàm iuris ſcientia, quod ex operibus Pacuuij poetæ, & Manilij iuriſconſulti probat. Fuit enim Pacuuius poeta Tragicus & pictor egregius, ſororis Ennij filius Brunduſinus genere: is inter cæteras tragædias ſcripſit etiam Teucrum, quam à Teucro Aiacis fratre, & Telamonis filio denominauit. Teucer enim poſt excidium Troianum noluit ad Telamonem patrem redire, veritus eius minas, & ſæuitiam, ſed exilij locum ſibi delegit in Cypro inſula, vbi Salaminem alteram condidit, ex Apollinis oraculo vnde Horatius,

Certus enim promiſit Apollo
Ambiguam tellure noua Salamina futuram.

Ea Tragædia erat grauibus ſententijs referta, & vtilibus ad humanas calamitates, & fortunæ vulnera toleranda, qua de cauſa cenſet Antonius ab adoleſcentibus ediſcendam eſſe. Cicero Tuſcul. 5. ex hac tragædia citat elegantem, & vtilem ſententiam his verbis, Itaque ad omnem rationem Teucri vox accommodari poteſt, Patria eſt, vbicunque eſt bene; MANILIANAS LEGES. Quas Manilius iuriſconſultus ſcripſit, de quo ſupradictum eſt. Nam in rebus venalibus erant cautiones, ne aut venditor, aut emptor damnum acciperet, eas cautiones verboſius compoſuit Manilius vt Varro libro 2. de re Ruſt. docet.

Tu autem quòd amore patriæ cenſes nos noſtrorum maiorum inuenta noſſe debere, non vides, veteres leges aut ipſas ſua vetuſtate conſenuiſſe, aut nouis legibus eſſe ſublatas? Quòd verò viros bonos iure ciuili fieri putas, quia legibus, & præmia propoſita ſint virtutibus, & ſupplicia

vitijs: equidem putabam, virtutem hominibus (ſi modò tradi ratione poſſit inſtituendo & perſuadendo, non minis, & vi, ac metu tradi. Nam ipſum quidem illud, etiam ſine cognitione iuris, quàm ſit bellum cauere malum, ſcire poſſumus.

TV AVTEM QVOD AMORE. Amanda quidem patria eſt, non tamen ideo leges antiquæ diſcendæ ſunt, quoniam partim ſua vetuſtate conſenuerunt, partim nouis legibus abrogatæ ſunt: fruſtra igitur diſcuntur, quæ nullum nobis vſum præbere poſſunt. QVOD VERO VIROS BONOS. Negat Antonius propter leges homines bonos fieri, quoniam legis minis vi ac metu coercent homines à peccatis, hoc autem improborum hominum eſt proprium, vt pœnæ formidine peccare caueant, quod ait Horatius,

Oderunt peccare mali formidine pęnæ.

Viri autem boni etiam ſine legibus vitant peccata. Ideo dicunt leges non eſſe bonis traditas, ſed improbis, denique prouerbio dicitur, Bonæ leges ex malis moribus procreantur, ſicut enim ſi omnes ſani eſſent, & nulli morbi naſcerentur, non eſſet opus medicina, ita ſi virtutem omnes amplecterentur, leges eſſent ſuperuacaneæ. Vnde apud Argiuos, olim grauiter ille mulctabatur, qui nouæ leges condendæ occaſionem dediſſet. SI MODO TRADI. Fuit enim olim magna inter Philoſophos quæſtio, vtrum virtus doceri poſſet necne, quia nonnulli dicebant virtutes à natura hominibus ingenerari, vnde Galenus ait mores hominum corporis conſtitutionem ſequi. Verum Peripatetici verè putant nos à natura ſemina quidem virtutum habere, ſed efficere, vt ea ſemina coaleſcant, in noſtra ſitum eſſe poteſtate, quæ ratio Chriſtiana eſt. Itaque puniuntur illi, qui naturam optimam ducem tanquam deum non ſequuntur, cum omnes habeant honeſtè viuendi liberam poteſtatem, ij verò præmijs afficiuntur, qui pro virili parte virtutem amplectuntur, non propter legum timorem, ſed quia id honeſtum, & homine dignum intelligunt.

De me autem ipſo, cui vni tu concedis, vt ſine vlla iuris ſcientia tamen cauſis ſatisfacere poſſim,

tibi

tibi hoc, Craſſe, reſpondeo, neque me umquam ius ciuile didiciſſe, neque tamen in ijs cauſis, quas in iure poſſim defendere, vmquam iſtam ſcientiam deſideraſſe. Aliud eſt enim eſſe artificem cuiuſdam generis, atque artis, aliud in communi vita, & vulgari hominum conſuetudine nec hebetem, nec rudem. Cui noſtrum non licet fundos noſtros obire, aut res ruſticas vel fructus cauſa, vel delectationis, inuiſere? tamen nemo tam ſine oculis, tam ſine mente viuit, vt, quid ſit ſementis, ac meſſis, quid arborum putatio, ac vitium, quo tempore anni, aut quo modo ea fiant, omnino neſciat.

DE ME AVTEM IPSO. Quia Craſſus vnum Antonium exceperat, reliquos omnes oratores iuris imperitos impudentiæ, & inertię condemnarat, reſpondet Antonius, ſe neque ius vnquam didiciſſe, neque eam ſcientiam deſideraſſe. Cum enim ſint tres conſtitutiones, quos orator tractat, coniecturalis, definitiua, iuridicialis, duæ primæ iuris cognitione non indigent, tertia licet à iure pendeat, tamen ab oratore ſine iuris ſcientia defendi poteſt. Quod Antonius quadam ſimilitudine probat. Vt enim vnuſquiſque de Agricultura præcipere poteſt, & intelligere, quid ſementis, quid meſſis, quid arborum putatio ſit, etiam ſi ſcriptores de re ruſtica non perlegerit, ita poteſt cauſas iuris ciuilis tractare, etiam ſi iuris ſcientiam non habeat. ALIVD EST ENIM. Argumentum ab attributis definitioni, nam in definitione quæritur, quid idem ſit, ac diuerſum, vt Topicorum 7. docet Ariſt. aliud eſt eſſe artificem alicuius rei, aliud eſt, non eſſe rudem in eadem re. Nam artifex omnia præcepta tenere debet, quæ ad finem artis pertinent, & tanquam vngues, digitoſque ſuos omnia noſſe. qui autem non vult omnino eſſe rudis, aut hebes, ſatis habet ea noſſe, quæ in communi vita, & vulgari conſuetudine verſantur, vt de illis commode loqui, & diſſerere poſſit. CVI NOSTRVM NON LICET. Argumentum à ſimilitudine, differentia eſt inter fundos, & res ruſticas, nam fundi ſunt agri ipſi qui coluntur, res ruſticæ ſunt villæ, peçora, fructus, qui ex fundis percipiuntur. Duabus de cauſis obire fundos, & res ruſticas ſolemus, vel fructus cauſa, vel delectationis,

quas cauſas ambas tangit Antonius. TAM SINE OCVLIS. Dicitur ſine oculis eſſe propriè, qui nihil videt, tranſlatè verò, qui non aduertit ea, neque intelligit, quæ cæteri ferè omnes aduertunt, vt etiã ſine mente dicitur, qui communi ſenſu caret, nam mens etiam ipſa ſenſus eſt, vt ait Cicero, ſed interior: propriè tamen mens eſt pars animi noſtri præſtantior, ac diuinior, ſed etiam pro communi intelligentia ponitur, vt Ethic. 7. docet Ariſt. & 2. poſteriorum: qua in ſignificatione mens omnis ſcientię principium eſt. Vnde prouerbium, mens videt, mens audit. Sementis à ſemine differt, eſt enim ſementis ipſa ſeminandi actio, vnde ſementem facere dicimus, ideſt ſeminare. Ouid. 1. Faſt.

Villice da requiem terræ ſemente peracta.

Cicero 3. de Nat. Hanc igitur tantam à Dijs immortalibus arbitramur malorum ſementem eſſe factam. Hinc prouerbium, vt ſementem feceris, ita & metes. Vide Eraſmum. Meſſis eſt ipſa frugum collectio, ſed etiam pro frugibus ponitur; vnde prouerbium in alienam meſſem falcem immittere, & miſeram meſſem metere, id eſt, pro malefactis pœnas luere. Ariſtoteles 3. Rhet. citat ex Gorgia talem ſententiam, tu quidem hæc turpiter ſeminaſti, & miſerè meſſuiſti. Virgilius pro matura ſegete, meſſem ponit quarto Georg.

Fer ſtabulis inimicum ignem, atque interfice meſſes.

& pro æſtate ponit in Bucolicis,

Ante focum ſi frigus erit, ſi menſis in vmbra.

& pro frumentis iam collectis primo Georg.

Illius immenſæ ruperunt horrea meſſes.

hinc illud elegans Perſij præceptum, Meſſe tenus propria viue, ideſt, proreditu tuo ſumptum facito. Arborum putatio fit, ne mimium ſylueſcant, & denſiores rami, atque frondes fructus interimant, præcipuè verò vites quotannis putandæ ſunt, verno tẽpore priuſquam gemmas emittant, ſed hæc omnes ſciunt.

Num igitur, ſi cui fundus inſpiciendus, aut ſi mandandum aliquid procuratori de agricultura, aut imperandum villico ſit, Magonis Karthaginienſis ſunt libri perdiſcendi? an hac communi intelligentia contenti eſſe poſſumus? Cur ergo non iidem in iure ciuili, præſertim cùm

in

in cauſis, & in negotijs, & in foro conteramur, ſatis inſtructi eſſe poſſimus, ad hoc duntaxat, ne in noſtra patria peregrini, atque aduenæ eſſe videamur? Ac ſi iam ſit cauſa aliqua ad nos delata obſcurior: difficile, credo, ſit cum hoc Scæuola communicare: quamquam ipſi omnia, quorum negotium eſt, conſulta ad nos, & exquiſita deferunt. An verò ſi de re ipſa, ſi de finibus, cùm in rem præſentem non venimus, ſi de tabulis & præſcriptionibus controuerſia eſt, contortas res, & ſæpe difficileis neceſſariò perdiſcimus: ſi leges nobis, aut ſi hominum peritorum reſponſa cognoſcenda ſunt, veremur, ne ea, ſi ab adoleſcẽtia iuri ciuili minus ſtuduerimus, nõ queamus cognoſcere.

NVM IGITVR SI CVI. Nunc affert ſimilitudinem, ſicuti cùm de agricultura mandamus aliquid procuratori, aut imperamus villico, non opus eſt, vt perdiſcamus libros de re Ruſt. ita cum cauſas iudiciales agimus, non opus eſt, vt ius ciuile perdiſcamus. Procutaror & villicus ita differunt, quod procurator negocia domini procurat, & adminiſtrat, & abſente domino etiam villico imperat, villicus autem eſt, qui agri colendi, & pecoris paſcendi gratia eſt à domino conſtitutus, quamuis apud Varro. 1. de Re Ruſt. Stolo villicum à magiſtro pecoris diſtinguat. MAGONIS CARTHAGINIENSIS. Hic duodetriginta libros de Agricultura ſcripſit, punica lingua, in quibus res diſperſas comprehendit, eos libros Caſſius Dionyſius Vticenſis in Græcam linguam vertit, & Sextilio prætori miſit: de hoc Magone ita Collumella ſcribit, veruntamen Carthaginienſem. Magonem, vt ruſticationis parentem maximè veneremur, nam huius octo & viginti memorabilia illa volumina, ex Senatus conſ. in latinum ſermonem conuerſa ſunt. CVR ERGO NON. Altera pars ſimilitudinis: ſatis eſt inquit, nobis tantum ex iure ciuili intelligere, vt ne in noſtra patria peregrini videamur. Sed hãc cognitionẽ ex cauſis, & negocijs, & foro pcipere facilè poſſumus. AC SI IAM SIT. rarò cauſę accidunt obſcuriores, quia qui accedunt ad oratores,

tores, iam conſulta & exquiſita afferunt, quod ſi quando cauſa eſt aliqua obſcurior, poterit ipſe orator iuriſconſultum aliquem ſtatim conſulere. AN VERO SI. Argumentum à comparatione maiorum. Orator res contortas, & difficiles tractat, vt de finibus, de tabulis, de præſcriptionibus, ergo multo melius res apertas & faciles de quibus leges ſunt, & ius ciuile tractabit, etiam ſi iuris imperitus fuerit.

Nihilne igitur prodeſt oratori iuris ciuilis ſcientia, Non poſſum negare prodeſſe vllam ſcientiam, ei præſertim, cuius eloquentia copia rerum debeat eſſe ornata: ſed multa, & magna, & difficilia ſunt ea, quæ ſunt oratori neceſſaria, ut eius induſtriam in plura ſtudia diſtrahere nolim. Quis neget opus eſſe oratori in hoc oratorio motu, ſtatuque, Roſcij geſtum, & venuſtatem? tamen nemo ſuaſerit ſtudioſis dicendi adoleſcẽtibus in geſtu diſcendo hiſtrionum more elaborare. Quid eſt oratori tam neceſſarium, quàm uox? tamen me auctore nemo dicendi ſtudioſus Græcorum more, & tragœdorum uoci ſeruiet, qui & annos complureis ſedentes declamitant, & quotidie, antequàm pronuncient, vocem cubantes ſenſim excitant, eandemque, cùm egerunt, ſedentes ab acutiſsimo ſono vſque ad grauiſsimum ſonum recipiunt, & quaſi quodammodo colligunt. hoc nos ſi facere velimus, ante condemnẽtur ij, quorum cauſas receperimus, quàm toties, quoties perſcribitur, Pæanem, aut Munionem citarimus.

NIHIL IGITVR PRODEST. Antypophora quæ tacitæ oppoſitioni reſpondet, ne videatur ius ciuile penitus reijcere. prodeſt

deſt enim omnino ius ciuile oratori, ſicut & aliæ ferè omnes ſcientiæ, quoniam oratio copia rerum ornata eſſe debet, ſed tamen rebus magis neceſſariis eſt incumbendum. non enim omnia poteſt amplecti. Argumentum autem eſt à diſtributione. Quę orator percipere debet partim vtilia ſunt, quoniam illi proſunt, partim ſunt neceſſaria, ſine quibus orator eſſe non poteſt. Sed neceſſaria multa, & magna, & difficilia ſunt, itaque debet in eis eſſe occupatus, & non diſtrahere ſuam induſtriam in plura ſtudia, quamuis vtilia eſſe videantur. nam rebus neceſſariis primo ſemper opera danda eſt. QVIS NEGET OPVS. à duobus ſimilibus argumentatur, geſtus & vox oratori maximè proſunt, tamen in diſcendo geſtu, non debet hiſtrionum more laborare, neque debet ita voci ſeruire vt Tragœdi ſolent, eodem modo licet ius ciuile ſit utilè, non tamen debet orator ita illi ſtudere, vt Iuriſconſulti ſolent. PÆANEM AVT MVNIONEM. de Pæane certum eſt, fuiſſe hymnum Apollinis. Iulius Pollux ait carmina in honorem Deorum communiter Pæanes & hymnos vocari. Suidas ait duos Pæanas olim cani ſolitos in bello, vnum ante prælium Marti, alterum poſt prælium ſi victores fuiſſent, Apollini. Sed de Munionione nihil apud auctores reperitur, & hoc in loco interpretes nihil extricant, ego credo legendum eſſe Munychionem, & hymnum Dianæ fuiſſe, vt enim Pæan proprius erat Apollinis, ita credibile eſt Munychionem fuiſſe proprium Dianæ, quæ ſoror Apollinis habetur. Quod ideo facilius adducor, vt credam, quia Athenienſes ipſam Dianam olim Munychiam appellarũt, vt Pauſanias in Atticis auctor eſt & Callimachus in hymnis, & ſacra quæ Dianæ fiebant, Munychia dicebantur. Vnde menſis Munychion fuit appellatus, qui apud nos Martio menſi reſpondet, vt ex Theodori Gazæ de menſibus libro colligitur. Fuit autem Munychia pars Piræi portus, vbi Dianę Munychiæ templum ædificatum erat.

Quòd ſi in geſtu, qui multùm oratorem addiuuat, & in uoce, quæ una maximè eloquentiam, uel ſuſtinet, elaborare nobis non licet: ac tantùm in utroque aſſequi poſſumus, quantum, in hac acie quotidiani muneris, ſpatij nobis datur: quãto minus eſt ad iuris ciuilis perdiſcendi occupationem deſcendendum? quod & ſummatim percipi ſine doctrina poteſt, & hanc habet ab illis rebus diſsimilitudinem, quòd vox, & geſtus ſubitò

bitò ſumi, & aliunde arripi non poteſt: iuris vtilitas, ad quamque cauſam, quamuis repente vel à peritis, vel de libris depromi poteſt. Itaque illi diſertiſsimi homines miniſtros habent in cauſis iuris peritos, cùm ipſi ſint peritiſsimi, & qui, ut abs te paullo ante dictum eſt, pragmatici vocantur. In quo noſtri omnino melius multo, quòd clariſsimorum hominum auctoritate leges & iura tecta eſſe voluerunt. Sed tamen non fugiſſet hoc Græcos homines, ſi ita neceſſe eſſe arbitrati eſſent, oratorem ipſum erudire in iure ciuili, non ei pragmaticum adiutorem dare. Nam quòd dicis ſenectutem à ſolitudine vindicari iuris ciuilis ſcientia, fortaſſe etiam pecuniæ magnitudine. ſed nos non quid nobis utile, verùm quid oratori neceſſarium ſit, quærimus. quamquam, quoniam multa ad oratoris ſimilitudinem ab vno artifice ſumimus, ſolet idem Roſcius dicere, ſe quo plus ſibi ætatis accederet, eò tardiores tibi cinis modos, & cantus remiſsiores eſſe facturũ quod ſi ille, adſtrictus certa quadam numerorum moderatione, & pedum, tamen aliqnid ad requiem ſenectutis excogitat, quanto facilius nos non laxare modos, ſed totos mutare poſſumus?

QVOD SI IN GESTV. Argumentum à maiori. ſi non eſt elaborandum in geſtu & uoce, quæ maximè proſunt oratori; multo minus in iure ciuili laborandum, quod non ita neceſſarium eſt. Huc accedit aliud argnmentum a differentia, vox & geſtus ſubito fingi non poteſt, itaque opus eſt longa exercitatione, ius ciuile, quod ad quamque cauſam eſt vtile, ſtatim uel ab aliquo iuriſconſulto, vel à libris depromi poteſt; non igitur opus eſt in eo diſcendo tempus terere. ITAQVE ILLI DISERTISSIMI. Argumentum

tum ab auctoritate, Græci oratores habent pragmaticos, id eſt iuriſcō ſultos in cauſis ſibi miniſtros, non igitur debet orator ius ciuile diſce re: nam ſi ius didiciſſet, non opus eſſet ei pragmaticum adiutorem da re. NAM QVOD DICIS SENECTVTEM. inter cæteras iuris ciuilis laudes, eam etiā Craſſus poſuerat, quod in ſenectute hominem à ſolitudine vindicat. Hoc Antonius quatuor potiſſimum ratio nibus refellit. Prima quòd hæc laus nō ſit iuris ciuilis propria, ſed cū pecunia communis, nam ſenum diuitum ædes à multis frequētantur, & vt eſt in prouerbio feliciū multi ſunt propinqui, & cognati. Altera, quòd vſus eloquentiæ non tollitur à ſenectute, quamuis aliquantum remittatur, quod exemplo Roſcij probat. Tertia quod non eſt laborā dum, vt litigioſi homines domum noſtrā frequētēt, cū alij multi ſint, qui claros homines colere ſoleāt. Quarta quod etiam ſi Sectatus deſe ratur, poteſt ocio commode frui. PECVNIÆ. Nō eſt id egregium, quod cum aliqua re vili, quā etiā improbi poſſidere poſſint, cōmune eſt, vt Salluſt. corpus cum beluis ait nos habere commune, animum verò cum dijs, vnde corporis vilitas animi præſtantia cognoſcitur; Ita pecuniæ ſunt improbis etiam communes, non igitur egregiæ, ſed non minus ſenectutem à ſolitudine vindicant, quam iuriſprudentia, quo fit vt non hac de cauſa ſit iuriſprudentia laudanda, quod ſenectu tem à ſolitudine uindicet. SED VOS NON. Diſtinctio, aliud eſt quærere quid nobis vtile ſit aliud quid ſit oratori neceſſarium. TIBICINIS MODOS. Nā hiſtrionibus, à tergo tibicen erat, qui mo dos faceret vel celeres, vel tardos, prout res poſtulabat, aut hiſtrio imperabat, vt vox hiſtrionis dulcior, & modulatior ad aut res populi per ueniret. Cicero Tuſcul. non intelligo quid metuat, cum tam bonos ſeptenarios fundat ad tibiā. C. Gracchus cum ad populum concionaretur ſeruum habebat à tergo, qui fiſtula vocem eius moderaretur. QVOD SI ILLE ASTRICTVS. A comparatione maiorum argumentum.

Neq; enim hoc te, Craſſe, fallit, quam multa ſint, & quàm varia genera dicendi, & quod haud ſciam, an tu primus oſtēderis, qui iamdiu multo dici re miſſiuus, & leni⁹, quā ſolebas: neq; minus hæc ta men tua grauiſſimi ſermonis lenitas, quā illa ſum ma vis, & contentio probatur: multiq; oratores fuerunt, vt illum Scipionē audiuimus, & Lælium, qui omnia ſermone conficerēt paullo intētiore,

numquam, vt Ser. Galba, lateribus, aut clamore contenderent. Quòd ſi iam hoc facere non poteris, aut noles: vereris, ne tua domus, talis & viri, & ciuis, ſi a litigioſis hominibus non colatur, a cęteris deſeratur? Equidem tantum abſum ab iſta ſententia, vt nō modò nō arbitrer ſubſidum ſenectutis in eorum, qui cōſultum veniant, multitudine eſſe ponēdū, ſed tanquā portum aliquē exſpectem iſtam quam tu times, ſolitudinem, ſubſidiū enim bellisſimum exiſtimo eſſe ſenectutī, otium.

NEQVE ENIM HOC TE CRASSE. Tria quidem ſunt præcipua dicendi genera, tenue, tēperatū, & ſublime, ſed ita ſingula variātur, vt quot ſint oratores, tot penè dicendi genera eſſe videātur. Hinc à Quintiliano celebratur vis Cęſaris, indoles Cælij, ſubtilitas Calidij, grauitas Bruti, acumen Sulpitij, acerbitas Caſsij, diligentia Pollionis, dignitas Meſſalæ, Sanctitas Calui. MVLTIQVE ORATORES. Differentia eſt inter ſermonem & contentiouem, quia ſormo familiaris eſt locutio, contentio vero lateribus & clamore indiget. Cicero 1. de Off. ita inquit, Et quoniam magna uis orationis eſt, eademq; duplex, altera contentionis, altera ſermonis, contentio diſceptationibus tribuatur iudiciorum, cōcionum, Senatus; ſermo in circulis diſputationibus, congresſionibus familiarium uerſetur, perſequatur etiam conuiuia, contentionis præcepta Rhetorum ſunt, nulla ſermonis. Ergo Scipio & Lælius licet eſſent oratores, tamen ſermone, non contentione utebātur, qua Galba uti cōſueuerat. QVOD SI IAM HOC. Egregio uiro non eſt timenda ſolitudo licet enim non reſpondeat de iure conſulentibus, & litigioſis hominibus, tamen à cæteris nō deſeretur. EQVIDEM TANTVM ABSVM. A definitione ſubſidij ſenectutis docet ſententiam ſuam eſſe contrariam ſententiæ Craſsi. Dixerat enim Craſſus, ſubſidium ſenectutis eſſe delectationē & gloriam, quæ percipitur ex frequentia hominum, qui accedunt conſulendi gratia, quoniam ſenex iuriſconſultus eſt tanquam totius ciuitatis oraculum, imo uero inquit Antonius, ſubſidium ſenectutis, non in multitudine conſulentium ponendum, ſed in ſolitudine, & ocio nam ocium eſt bellisſimum ſubſidium ſenectuti, ut portus nautæ.

Reliqua verò etiam ſi adiuuant, hiſtoriam dico, & prudentiam iuris publici, & antiquitatis, iter, &

exem-

exemplorum copram,ſi quando opus erit, à viro optimo,& iſtis reb.inſtructisſimo,familiari meo, Lōgo,mutuabor.Neque repugnabo,quo minus (id quod modò horatus es) omnia legāt,omnia audiant,in omni recto ſtudio, atque humanitate verſentur. ſed mehercule non ita multum ſpatij mihi videtur,ſi modò ea facere, & perſequi volent,quæ à te,Craſſe,præcepta ſunt:qui mihi propè etiā nimis duras leges imponere viſus es huic ætati:ſed tamen ad id,quod cupiunt,adipiſcēdū propè neceſſarias. Nam & ſubitæ ad propoſitas cauſas exercitatiōes,& accuratę, & meditatę cōmentationes,ac ſtilus ille tuus,quem tu verè dixiſti pręfectorem dicēdi eſſe, ac magiſtrum, multi ſudoris eſt, & illa orationis ſuæ cum ſcriptis alienis cōparatio,& de alieno ſcripto ſubita vel laudādi, vel uituperādi, vel cōprobandi,vel refellēdi cauſa,diſputatio, nō mediocris contentionis eſt,vel ad memoriam,vel ad imitandum.Illud verò fuit horribile,quod me hercule vereor ne maiorem vim ad deterrendū habuerit,quam ad cohortandum. Voluiſti enim in ſuo genere vnumquemque noſtrum quaſi quendam eſſe Roſcium: dixiſtique,non tam ea, quæ recta eſſent,probari, quā quæ praua ſunt, faſtidijs adhæreſcere: quod ego nō tam faſtidioſè in nobis,quam in hiſtrionibus,ſpectari puto. Itaque nos raucos ſæpe attentisſimè audiri uideo,tenet.n.res ipſa,atq; cauſa.

RELIQVA VERO. Præter ius ciuile, ſunt alia multa, quæ proſunt quidem oratori,ſed tamen etiam ſi neſciat, facile percipere poteſt, qualis eſt hiſtoria, cognitio antiquitatis, exemplorum copia.

Hæc inquit Antonius, mutuabor à longo familiari meo, qui huiuſmodi rebus eſt inſtructisſimus. Longi dicti ſunt à corporis habitu, vt T. Sempronius longus, hoc enim cognomentum familiæ Semproniorum hæſit, ex qua fuit hic longus M. Antonij familiaris. NEQVE REPVGNABO. Contendit Antonius hactenus cum Craſſo, neque philoſoſophiam neque ius ciuile neceſſarium eſſe oratori; nunc tandem fatetur omne rectum ſtudium eſſe utile, ſed non ſatis eſſe ſpacij ad diſcendum illis, qui leges exercitationis, à Craſſo poſitas, ſeruare uelint. Leges quidem prope nimis duræ ſunt, ſed tamen neceſſariæ, quoniam aliter in eloquentia nemo poteſt excellere. repetit autem breuiter Antonius illa quinque exercitationis genera, quæ ſupra poſuit Craſſus, primum ut prolata materia ſubito atque ex tempore ſine ulla præmeditatione declament. Alterum ut ſpacium ſumant ad meditandum & cogitandum, deinde ſine ſcripto pronuncient. Tertium ut diligenter & accurate ſcribant, & componant, quæ omnium utilisſima eſt exercitatio. Quartum ut noſtra ſcripta cum optimorum auctorum ſcriptis comparemus. Quintum ut bonos auctores uel laudemus, uel uituperemus, comprobemus aut refellamus, hæc plurimum ualent, & ad memoriam & ad imitationem. ILLVD VERO FVIT. Craſſus perfectum oratorem effinxerat, itaque uolebat eum in ſuo genere eſſe tanquam Roſcium, Antonius mediocrem probat oratorem, quare non quærit eam præſtantiam. Dicit autem horribilem fuiſſe Craſsi ſententiam, quia plerique rei difficultate commoti ſtudia relinquunt. Nam vt ait Iuſtinianus, diffidentia plerunque iuuenum animos auertit. QVOD EGO NON TAM. Vtitur comparatione, qua probat magnam inter oratorem & hiſtrionem eſſe differentiam, Quoniam mediocris orator probatur, hiſtrio niſi ſit ſummus, probari non ſolet: & ſi qua vitia ſunt, non tam in oratoribus faſtidioſe, quam in hiſtrionibus ſpectari. Ratio eſt, quoniã in orationibus ipſa cauſa tenet animos, in hiſtrionibus tãtũ uoluptas quærit. Vnde fit ut oratores etiã ſi rauci fuerint, diligẽter audiãtur, hiſtriones autẽ ſi paulũ irraucuerint explodantur.

At Aeſopum, ſi paullum irraucuerit, explodi. A quibus enim nihil præter voluptatem aurium quæritur, in ijs offenditur, ſimulatque imminuitur aliquid de voluptate. In eloquentia autem multa ſunt, quę teneant, quæ ſi omnia ſumma non ſunt, (& pleraque tamen magna ſunt,) neceſſe eſt, ea ipſa, quæ ſunt, mirabilia videri. Ergo, vt ad primum

mum illud reuertar, ſit orator nobis is, qui, vt Craſſus deſcripſit, accommodatè ad perſuadendum poſsit dicere. is autem concludatur in ea, quæ ſunt in vſu ciuitatum vulgari, ac forenſi: remotiſque cæteris ſtudijs, quamuis ea ſunt ampla, atque præclara, in hoc vno opere, vt ita dicam, noćteis & dies vrgeatur: imiteturque illũ, cui ſine dubio ſumma vis dicendi conceditur, Athenienſem Demoſthenem, in quo tantum ſtudium fuiſſe, tantuſque labor dicitur, vt primùm impedimenta naturæ diligentia, induſtriaque ſuperaret: cumque ita balbus eſſet, vt eius ipſius artis, cui ſtuderet, primam literam non poſſet dicere, perfecit meditando, vt nemo planius eo locutus putaretur. Deinde cùm ſpiritus eius eſſet anguſtior, tantum continenda anima in dicendo eſt aſſecutus, vt una continuatione verborum (id quod eius ſcripta declarant) binæ ei contentiones uocis, & remiſsiones continerentur. Qui etiam (ut memoriæ proditum eſt) coniećtis in os calculis, ſumma uoce uerſus multos uno ſpiritu pronuntiare conſueſcebat: neque is conſiſtens in loco, ſed inambulans, atque adſcenſu ingrediens arduo. Hiſce ego cohortationibus, Craſſe, ad ſtudium, & ad laborem incitandos iuuenes vehementer aſſentior: cætera, quæ collegiſti ex variis, & diuerſis ſtudiis, & artibus, tametſi ipſe es omnia cōſecutus, tamen ab oratoris proprio officio, atq; munere ſeiunćta eſſe arbitror.

AT ÆSOPVM. Tres Æſopi celebrantur, primus è phrygia, qui fabulas ſcripſit, primo ſeruus, deinde libertate donatus, & Cræſi regis

gis Lydorũ familiaritate clarus, cuius adhuc fabulæ circumferuntur. Altera Mithridatis regis Anagnoſtes eruditiſsimus, qui ut Suidas ait de Helena ſcripſit, & Mithridatis laudes celebrauit. Tertius Tragædus, hic quem Antonius hoc loco nominat, qui ex arte hiſtrionica maximas opes acquiſiuit, filium autem reliquit adeo prodigum, ut quemadmodum ſcribit Vale. Max. libro 9. cantu commendabiles aues immanibus emptas precijs, in cæna pro ficedulis poneret, acetoq; liquatos magnę ſummæ uniones, potionibus aſpergeret. Plinius li. 9. c. 35. Clodius Æſopi Tragoedi filius, ne ſolus ſciret, quid ſaperẽt margaritæ, ſingulos uniones conuiuis abſorbendos dedit. Hor. II. Serm.

Filius Aeſopi detractam ex aure Metellæ
Scilicet vt decies ſolidum abſorberet, aceto
Diluit inſignem Baccham.

NIHIL PRÆTER VOLVPTATEM. Ab hiſtrionibus ſola uoluptas petitur, ea cũ ceſſat, nihil in illis placere poteſt. Hãc ſententiam Horatius ad poeticam tranſtulit.

Sic animis natum, inuentumq́; poema iuuandis
Si paulum ſummo deflectit vergit ad imum.

IN ELOQVENTIA. ab oratore non ſola uoluptas petitur, ſed alia multa, quæ ſunt honeſta, & utilia, & auditores facile tenere poſſunt, & mirabilia uideri. ERGO VT AD PRIMVM. Concludit oratoris definitionem eam eſſe, Orator eſt, qui accommodate ad perſuadendum poteſt dicere ex opinione, & uſu ciuitatum uulgari, ac forẽſi. Deinde adhortatur iuuenes, ad Demoſthenis imitationem, qui cum natura pugnauit, & uictor euaſit, ut ait Val. Max. HISCE EGO. In extrema parte orationis ſuę docet Antonius plus exercitatonem, & induſtriam in eloquentia poſſe, quam uariarum rerum ſcientiam, ſimul etiam docet exempla plurimũ ualere ad concitandos adoleſcentium animos.

Hæc cùm Antonius dixiſſet: ſanè dubitare viſus eſt Sulpitius, & Cotta, vtrius oratio propius ad veritatem videretur accedere. Tum Craſſus, operarium nobis quendam, Antoni, oratorem facis, atque haud ſcio an aliter ſentias, & utare tua illa mirifica ad refellendum conſuetudine, qua tibi nemo vmquam præſtitit: cuius quidem ipſius facultatis exercitatio, oratorum propria eſt, ſed

iam

iam in philoſophorum conſuetudine verſatur, maximeque eorum, qui de omni re propoſita in vtramque partem ſolent copioſiſsimè dicere. Verùm ego non ſolùm arbitrabar, his præſertim audientibus, à me informari oportere, qualis eſſe poſſet is, qui habitaret in ſubſellijs, neq; quidquam amplius afferret, quàm quod cauſarum neceſsitas poſtularet: ſed maius quiddam videbam, cùm cenſebam, oratorem, præſertim in noſtra repub. nullius ornamenti expertē eſſe oportere. Tu autem, quoniam exiguis quibuſdam finibus totū oratoris munus circumdediſti, hoc facilius nobis expones ea, quæ abs te de officijs, pręceptisque oratoris quæſita ſunt: ſed, opinor, ſecundum hunc diem. ſatis enim multa à nobis hodie dicta ſunt. Nunc & Scæuola, quoniam in Tuſculanum ire conſtituit, paullum requieſcet, dum ſe calor frangat, & nos ipſi; quoniam id temporis eſt, valetudinì demus operam. Placuit ſic omnibus. Tum Scæuola, Sanè, inquit, vellem non conſtituiſſe in Tuſculanum me hodie venturum eſſe, Lælio. libenter audirem Antonium. &, cùm exurgeret, ſimul arridens, Neque enim, inquit, tam mihi moleſtus fuit, quòd ius noſtrum ciuile peruellit: quàm iucundus, quòd ſe id neſcire confeſſus eſt.

HÆC CVM ANTONIVS. Cum Sulpitius & Cotta diligenter argumenta Craſsi & Antonij ſecum perpenderent, dubitare cæperunt, vtrius oratio verior eſſet; nam in vtramque partem ita diſputatum fuit, vt non eſſet facile iudicare. TVM CRASSVS. Ne adoleſcentes in Antonij ſententiam delabantur, colligit Craſſus

Anto-

Antonium, vel aliud ſentire, quam locutus ſit, vel operarium quendam, non verum oratorem ſua oratione deſcripſiſſe. Nam operarij viles dicuntur homines & abiecti, qui mercede conducti, locant operam ſuam: nam etiam ſupra dixit Mneſarchum dicere ſolitum hos quos nos oratores vocamus, nihil eſſe niſi quoſdam operarios lingua celeri, & exercitata, vt in Bruto ſic ait Cicero; Nam illud minus curo quod congeſsiſti operarios omnes. Vocat enim oratores malos & imperitos, operarios, & eoſdem etiam vocales appellat, quaſi uoce tantum ualentes. AD REFELLENDVM. Aiunt enim in hac re plurimnm valuiſſe Antonium, vt aliorum ſententias refelleret, quod Socratis fuiſſe proprium olim traditur, qui ipſe nihil affirmabat, & alios facilè refellebat. Cicero 1. Tuſcul. Hæc eſt enim, vt ſcis vetus & Socratica ratio, contra alterius opinionem differendi. Nam ita facillimè quod veriſimillimũ eſſet, inueniri poſſe Socrates arbitrabatur. Hæc autem ratio diſputandi in utranque partem oratorum & Philoſophorum communis eſt, nam oratores à tabulis, & cõtra tabulas, à teſtibus, & contra teſtes diſputare ſolent, & denique de omni ciuili quæſtione in contrarias partes. VERVM E G O. ſententiã ſuã Craſſus interpretatur, & ait ſe non mediocrem oratorẽ, qui tãtum in ſubſelijs habitaret, ſed perfectum informare voluiſſe, qui in Repub. Rom. princeps eſſet. NOBIS EXPONES. Præparatio ad ea, quę ſecundo libro de præceptis artis dicentur. NVNC ET SCÆVOLA. Quoniam meridianum tempus erat, admonet Craſſus, ut quieſcãt, & meridientur, donec calor ſe frangat, & oſtẽdit Sceuolã diſceſſurum, quoniam non uidebatur decorum eſſe, vt ſenex tam grauis intereſſet eis, quæ ſecundo libro diſputantur, tamen quaſi coactum facit diſcedentem, quia Lælio, ſocero ſuo pollicitus fuerat, ſe ad eum eo die venturum, & ſimul vrbanè iocantem cum Antonio facit, à quo ius ciuile leniter perſtrictum fuerat.

FINIS.

M. ANTONII MAIORAGII DE ELOQVENTIA DIALOGVS.



DIALOGI

INTERLOQVVTORES.

Angelus Appianus, prȩſes Cœnobij Ambroſiani.
Primus Comes.
Antonius Comes Primi Frater.
M. Ant. Maioragius.

M. ANTONII MAIORAGII DE ELOQVENTIA DIALOGVS.

NATVRÆ varietas, quam in rebus plurimis contemplari licet, vt in cæleſti globo, ſtellis, longè diuerſis, velut emblemmatis vermiculato, in toto terrarum orbe, uarijs animalium ac plantarum generibus refertiſsimo, in uirentium pratorum amænitate, in variegatis florum coloribus in magna prædiorum vbertate, ſæpenumero torpeſcentem animum ſolet excitare. Cum enim homines, qui non omnino fuerint illiberaliter educati, rerum viciſsitudines, ac temporum mutationes, aſsidua mentis agitatione conſyderant, in admiratione maximam facile perducuntur: atque ideo fit, vt rerum cauſas, eis in mentem plerunque veniat inueſtigare, aut ſaltem ex his rebus quæ ante oculos poſitæ ſunt de cęleſtibus, & quæ nullo modo, dum vitam agimus, videri poſſunt, diſputare. Conceſſeramus in Ambroſianum viridarium, in quo ferunt olim Afrum illū Auguſtinum, chriſtianæ Reipublicæ lumen ac ornamentum, ad Chriſti perſuaſionem animum inclinaſſe, ac ibidem lauacro conſperſum Sanctiſsimo, priſtinas vitiorum, & prauæ mentis ſordes abluiſſe, ibi tum vna mecum eius cænobij præſes, Angelus Appianus, ſuauiſſimo vir ingenio, cui propter egregiam morum integritatem, vitæ ſanctimoniam, omnium liberalium artium eruditionem, non facilè parem inuenias: aderat & doctiſsimus Præceptor meus Primus Comes, cuius viri laudes, non hic eſt animus explicare, dabitur alias (vt ſpero) locus, eas oportunius memorandi. Etenim quis breui poſſet oratione comprehendere, cum in trium linguarum Claſsicis authoribus, nihil ferè poſsit inueniri, quod ille non diligenter, excuſſerit, nihil in liberalibus diſciplinis, quod non optimè perceperit, nihil memoria dignum, quod perfectè non edidicerit: taceo de ſanctiſsimis eius moribus, vitæ ſeueritate, de continua rerum diuinarum cogitatione, ac locutione. Cum igitur ſub frondoſa quadam arbore conſediſſemus, & de communibus ſtudijs aliquid dicere meditaremur, antequam quiſquā inciperet, ecce Primi frater Antonius comes, iuuenis literarum omnium ſitientiſsimus, & omnis politioris literaturæ peri-

tiſſimus, mihi pluſquam Pyladæa neceſsitudine coniunctus, quippe qui ſtudiorum ſimilitudine detinemur, & ab ineũte ætate ferè ſemper vna viximus, ſub eodem præceptore Primo meruimus, quod ſi nos eadem vno partu mater edidiſſet, non maiori poſſemus eſſe beneuolentia copulati. Hunc cum vidiſſem, mirandnm in modum ſum exhilaratus, nam diebus viginti fermè non videram, qui mihi totidem annis longiores fuiſſe viſi fuerant: oportune inquam, aduenisti frater, nam alio nomine nunquam illum appellare ſoleo, hoc erat illud, quod ignota mihi cauſa, lætabatur animus meus, præſagiebat enim te venturum. Quam (inquit ille) mihi veniſſe iucundum eſt, poſtquam hic ſimul eos reperi, quos omnium plurimi facio, ac maximè diligo, ſeruet vos omnes pariter Chriſtus optimus maximus. Tunc Angelus, vt eſt ſemper alacri vultu, ac fronte modeſtiſsima, te ipſum (inquit) optabamus, age nobiſcum aſside, ut aliquid ex ſtudijs tuis nobis impertias. Quid (inquit Antonius) uobis impertiam qui tantum iã labore & induſtria effeciſtis, ut in doctrinis, omnes quos hactenus mihi uidere contingit, equis (ut aiunt) albis longe præcedatis? me potius à uobis aliquid æquum eſt, tanquam à perpetuis fontibus haurire. Vt enim arbores iſtæ, quas in hac paradiſo tàm pulchre comatas, ac quaſi ridentes aſpicimus, primò quidem flores emittunt, poſtea uerò fructus qui paulatim matureſcant, nihil tamen horum per ſe ſolæ faciunt, ſed ab omnium genitrice terra, ſuccum accipiunt, ac uigorem procreandi: ſic ego nunc in ſtudijs quaſi floreſcere mihi uideor, ex quibus aliquando confido futurum, ut fructus aliquid percipiam. Sed iterum ueſtro, qui doctrina præcellitis, mihi opus eſt auxilio, quod niſi fieret, tanquam terræ ſucco, non adiuta planta, nihil (ut uideo) poſſem in literis proficere. Tum Angelus iocabundus, nouerat enim iuuenis induſtriam, & ardentiſsimum literarum ſtudium, an (inquit) ſicut implumis auicula nidulo nondum euolare didiciſti? aut adhuc in natatione tibi cortice opus eſt? Atqui ego te Delium illũ iam ſuperaſſe natatorem exiſtimabam, & aliorum iam poſſe fieri moderatorem. Non iniuria (inquam ego) Angele, iſtam de Antonio opinionem concepiſti, nam ſæpenumero mecum, non mediocriter admirari ſoleo, profectum eius, in omni doctrinæ genere. Nihil eſt enim quod ingenij acumine non penetret, ſtudiorum aſsiduitate non uincat, memoriæ tenacitate non comprehendat. Quare ſi quid corã uobis recuſat dicere, non illius inſcitiæ, ſed incredibili modeſtię potius, qua maximè præditus eſt, aſſcribendum eſſe arbitror. Hic ſubridens Antonius, ac in me reiectis oculis. Tu quidem (inquit) pro tua ſingulari, & iampridem mihi perſpecta beneuolentia, de me ſemper magnificentiſsimè loqueris, uerum ipſe cognoſco, quam ſint exiguæ uires ingenij mei, ſed poſtquam mecum tanquam ex ſyngrapha per-

gitis

gitis agere, & contendere, ut aliquid proferam, mihi autem quod dicam in præſentia, ueſtra dignum expectatione, uenire in mentem penitus nihil poteſt, fratrem meum Primum, qui & poteſt facere, & faciet libentisſimè (niſi mea me fallit opinio, precabor, ut me leuet hoc onere, & hanc dicendi prouinciam ſuſcipiat: quod obſecro, mi frater ac idem præceptor honorande, ne recuſes. Tum Primus cogitabundus, ſpectare cæpit, ordine poſitas uites, quæ tum primum odore fragrantisſimo redolentes, deflorescebant, in quincunces ſpecioſisſimos redactas arbores, quæ diuerſa quidem poma, & ea nobilisſima, ſed tamen adhuc acerba ſuſtinebant, quamplurimis ac verſicoloribus uariegatum floribus ſolum, ſenticeta purpureis ac cādidisſimis roſis, optime circumquaque redolentia: nos taciti cum expectatione meditantem intuebamur, cum ille ſic locutus eſt. Equidem, Antoni frater iucundisſime, ſi quid eſſet inter nos de pietatis ſtudijs diſputandum, diceremus aliquid libentisſime, cum præſertim locus hic amænisſimus, & hæc omnia tàm benè uernantia, cæleſtis illius à Chriſto promiſſæ regionis, memoriam nobis ſufficere uideantur. Videte quam rideant omnia, quid hoc ſpectaculo ſpecioſius, quid aptius ad æternæ uitæ meditationem, nam ſic opinor, omni tempore, ſed longe præſtantioribus uirere floribus campos Elyſios, non eos quos Aſphodelo conſitos, inferos beatorum ſedes eſſe, Poetæ fabulati ſunt, ſed ad quos, nos qui Chriſtum ſequimur, quotidie laborantes, ſperamus aliquando peruenire. Itaque nobis in hac uita Deus, quaſi ſpecimen quoddam dedit, olim futuræ beatitudinis. Videtis quam bene oleant hi caduci flores, quales fore cenſetis, eos, qui nunquam poterunt emarceſcere. Quid? an nō harum tam ſuauis odor vitium, noſtrum ob oculos principem Chriſtum uidetur obijcere? qui ſe uitem, ut eſt in ſacris literis, legatos autem ſuos palmites appellauit. Nam ut palmes ſi uiti ſemper adhæreat, dulcisſimos poteſt racemos producere, ſin autem caſu defractus fuerit, areſcit ilico, & ad combuſtionem tantum utilis eſt: ſic homo, donec per res bene geſtans capiti Chriſto coniunctus fuerit, uitam in melius quotidie tranſigere poteſt, donec tandem unà cum eo, immortali fælicitate perfruatur. Quod ſi forte per flagitia Chriſtū reliquerit, breui tempore præda fit iniquisſimo Dæmoni, Iam uero nonne arbores iſtæ, quæ magna fructuum ſarcina ſunt inclinatæ, noſtri nos officij uidentur admonere? quæ primo flores emittentes, deinde fructus acerbos, quales nunc pendere uidetis, ſic paulatim auxiliante ſolo nutriunt, ut tandem ad maturitatem perducantur, ita nos, eo tempore flores emittimus, cum bonam animo concipimus uoluntatem, fructus autem, cum quæ nobis à Deo commiſſa ſunt, ea bene gerimus; hi fructus tunc matureſcere dicuntur, cum tales fiunt actiones noſtræ, vt per eas Chriſti beneficio vitam mereamur immortalem.

lem. Quare ſi vobis ita videtur, vtar oratione qua ſæpe ſoleo, voſque (me appellabat & Antonium) ad ſtudium, ſummæ virtutis adhortabor, niſi forte quid aliud Angelo videatur. Mihi vero (inquit Angelus) nihil poſſet accidere iucundius, nam quamuis ſacras quotidie literas euoluamus, & Diuorum exempla ac monumenta, nos ſatis poſſent ad virtutem extimulare, tamen viua uoce nihil efficacius inueniri poteſt, præſertim cum ab optimo viro proferatur. Atqui non ego te (inquit Primus) qui nos in hac facultate, longè lateque præcedis, verum hos adoleſcentes qui nunc in ætatis feruore conſtituti ſunt, ad virtutem exhortari ſtatutum habeo, tu ſi libet, eorum quæ dicentur, iudex aſsideto. Hic cum ſilentio maximo, nos ad audiendum oſtendiſſemus eſſe præparatos, hoc modo Primus exorſus eſt.

Equidẽ cogitãti mihi de cõmunibus mortaliũ ſtudijs, ſępenumero venit in mentẽ, non mediocriter admirari, atq; etiã indignari, tantam eſſe hominum inſaniam ac vecordiam, Vt cum æternam conſequi gloriam, ac beatitudinem, quàm minimo labore poſsint, per inertiam ac libidinem turpisſimis in rebus malint, tempus, hoc eſt, rem multo pretioſisſimã fruſtra, conterere. Cum enim mens illa ſempiterna, ac perfecta ſapientia, quem nos Deum appellamus, qui cęleſtia maximè procurat, deinde in terris homines, & quæ ad hominum vtilitatem pertinent, omni mortalium generi, ab ipſis ſtatim incunabulis igniculos quoſdam addiderit, virtutis ac beatitudinis acquirendæ, quam plurimi varijs animi perturbationibus ac morbis impediti, ac diſtracti, quod à natura iuſti & æqui deſyderuium habent, id penitus obruunt, & à cæca ac temeraria animi dominatrice cupiditate prærepti, reginam omnium bonorum rationem, conculcare non erubeſcunt. Neque enim quiſquam vitijs inquinatus, naturam, aut fatum, aut ſydera, quod nonnulli faciunt, merito poteſt incuſare, quæ vt hunc, ad vitia propenſiorem, quam illum, proferant, cogere tamen poſſunt omnino neminem: verum vt virtutum aut vitiorum viam complectatur, hoc in cuiuſque ſitum eſt poteſtate. Non enim merito vel punirentur improbi, vel iuſti præmia mererentur, ſi vel illi malè, vel hi benè facere neceſſario cogerentur. Sed tamen (vt diximus) omnibus adipiſcendæ virtutis, ac fugiendæ vitioſitatis deſyderium, à teneris (vt aiunt) vnguiculis, ſtatim innaſcitur. Quis enim omnium inueniri poteſt, tã anguſti animi, tamque parui, quem ſi roges, an beatus eſſe velit, non ilico reſpondeat, id ſe vel maximè cupere? præterea virtutis nomen ac probitatis etiam apud improbisſimos ſanctisſimum eſt, ac maximè venerabile. Nam quis eſt adeo perditus, qui ſe probum, ac virtute prę ditum appellari, non vehementisſime gaudeat? adde quod etiam ſæpenumero digladiari ſolent improbi, ſi quis eos audeat, bonos uiros eſſe denegare. Planum igitur ac manifeſtum eſt, hoc virtutis ac fælici-

tatis deſyderum, nobis à natura Dei beneficio treditum eſſe. Cur ergo (dicet aliquis) tam pauci ſunt, qui uirtutem amplexentur. Cur uiā quæ poteſt ad beatitudinem perducere, plurimi non ſequuntur. quia cupiditatibus illaqueati, non ita corpus afficiunt, ut obedire conſilio rationique poſsit, & cum meliora, tanquam ea quę oculis cernuntur, aſpiciant, ac laudent, tamen quoniam appetitum rationi non ſubijciunt, deteriora conſectantur. Nonnulli etiam adeo rudes, & in bonis luſcioſi inueniuntur, ut cum optima ſequi cupiant, bonum ac malū internoſcere non valeant, atque ita fit, ut pro bonis peſsima complectantur. Sunt qui maxime diuitijs inhiantes ſperent futurum, vt cum amplisſimas poſſesſiones, & incommemorandam pecuniam adepti fuerint, bene beateque uitam agant, ſed numquam eos explere uidemus cupiditatis ſitim, at potius continenter plura conquirentes, maiora ſemper appetentes, plurima congerere ſtudentes, aſpicimus. Nam ut optime dixit Aquinas Poeta:

Creſcit amor nummi, quantum ipſa pecunia creſcit.

Hoc accedit etiam auaris incommodi, quo minus poſsint ad uirtutem aſpirare, quod diuitiarum cupiditate captus animus, cōfeſtim eui leſcit. Cum enim auræ diuinæ particula quædam ſit animus noſter, ſublimis & erectus, cæleſtia tantum ac immortalia meditari concupiſcit, ad eam geſtiens beatitudinem, ad quam deſtinatus eſt, aliquando peruenire: cum uero pecuniarum illecebris illectus, eis inhiare cæperit, nihil magnificum poteſt, nihil præclarum cogitare, nihil quod ad honeſtatem ſpectare uideatur nec alia de cauſa, toties in ſacris literis diuites improbantur, ab æterna fælicitate repelluntur. Quare nihil eſſe credatis honeſtius, nihil magnificentius, quam diuitias contemnere. Sed exiſtunt etiam, qui facile contemptis pecunijs, honore ſperent ac gloria futurum, ut immortalitatem conſequantur, quo fit, ut qui cquid agant, ac meditentur, id ipſum totum popularis tantum auræ captandæ gratia, facere uideantur: quod quam ſit inane, ac indignū homine Chriſtiano, non dubito quin intelligatis. Neque enim fieri poteſt (ait chriſoſtomus) ut qui gloriæ dulcedine capitur, magnum aliquid aut egregium ſapiat. Hoc illud eſt quod tantopere Chriſtus inſectatur, ut popularis gloriæ cupido, neget ſe pro benefactis mercedem ullam donaturum. Quapropter hoc etiam uitium, eum oportet eradere, qui uelit ad ſummam illam fælicitatem aſcendere. Maxime uero omnium impedimento eſt, uirtutum (ut ita dicam) candidatis uoluptatis illecebra, quæ ita, quos ſemel cepit illaqueat, ut tanquam improbisſima Syren, eos confeſtim deturbet in turpitudinis barathrum. Hæc à uobis præter omnia cætera, ſtudioſi diſcipuli, ſummopere cauenda eſt, iſta præſertim ætate, quę maxime uicina lapſibus

eſt.

eſt: Sanguinis enim feruore compulſa adoleſcentia, ad uarias facillime cupiditates inflammatur. Sed iampridem uos(ut ſpero) peſtem hanc animorum repudiaſtis, cogitatis enim quantopere uirtuti ſit inimica, nam quid uirtuti poteſt inimicius inueniri, quam quod omnẽ tollit honeſtatem, quid inter appetentem uoluptatis hominem ac teterrimam intereſſe beluam exiſtimatis ? tu quum tibi Deus (inquit Cicero) ſiue mater (ut ita dicam) rerum omnium natura, dederit animum, quo nihil eſt præſtantius, neque diuinius, ſic te ipſe abijcies, atque proſternes, ut nihil inter te, atque inter quadrupedem aliquam putes intereſſe? Hęc audiant uitijs excęcati, qui ſummum bonũ uoluptate metiuntur. Vos uero qui iam ex animis ueſtris hęc impedimẽta ſummouiſtis, de his rebus nihil opus eſt amplius admonere: uerum agite quod cœpiſtis, iter fauſto pede perficite, iacta ſunt pręclara beatitudinis fundamenta, iam quod dificillimum eſſe ſolet eſtis aſſecuti, ſi quidem principium, totius eſſe dimidium, etiam prouerbio dicitur, iam relictis uitijs, uirtutum ſtudia cępiſtis amplexari, magnam de vobis amicis omnibus expectationem concitaſtis, illud cogitate, uobis alterutrũ omnino eſſe neceſſe, aut cum ſumma laude & vtilitate progrediendum, aut cum ſummo dedecore & infamia retrocedendum. Quorum alterum, ueſtrum eſt, animi magnitudine pręſtantium, alterum ignauorum, animi mollicie deſperantium, quos pro fragiliſſimo mundanæ voluptatis vitio, multo precioſiſsimos æternitatis margaritas non piget amittere. Difficilis eſt & ardua uirtutis via, ſed honeſta ſolent eſſe difficilia, quod enim expoſitum eſt omibus vt vel ab ignauiſſimo quoque poſſit apprehendi, quis id audeat honeſtũ appellare, at uero quod laudabile, & cum utilitate coniunctum, quamuis maxime ſit arduum ac difficilimũ, id generoſis animis etiam facillimum videri ſolet, qui nullum laborem pertimeſcunt, ſed ampliſſima ſibi proponunt præmia, quę conſequentur: Laudem, decus, immortalitatem, Virtus enim (ait philoſophus) radices habere uidetur amaras, ſed fructus affert ſuauiſſimus. Iſtam quam elegiſtis uitam optimam, mihi credite, iucundiſſimam paulatim reddet conſuetudo, nec uero labore aut difficultate, tanquam tempeſtate repelli vos ſinatis, quin potius illud conſyderate, ſi tanta patiuntur mercatores pericula, ſi non horreſcunt fluctibus turgidum mare ſi per ſaxa per ignes, non trepidantes immunt, ignotas adeunt regiones, fortunæ uitam exponunt, ut breui perituras diuitias affatim congerant, ſi uigilant artifices totas plerunque noctes, Quanto uos ſtudio conuenit, eas acquirere diuitias, quæ nunquam poterunt interire ? facite, uobis ob oculos continue verſentur, tot heroes præclariſſimi, qui laboribus ſibi iter in cælum aperuerunt, & hic etiam inſignem gloriam pepererunt. Quanquam nolo vobis (vt paulo ante monui) tanquam ſcopum mundanam gloriam

pro-

propoſitis, quid enim inanius? Sed tamen ſi virtutem ſummo ſtudio ac diligentia complexi fueritis, ingens etiam gloria ſponte ſua ſubſequetur. Non enim credendum eſt, ſibi gloriam hanc propoſuiſſe Sanctos illos Hieronymum, Auguſtinum, Ambroſium, innumerabiles alios, ſed ipſam tantum honeſtatem, ac Chriſti vitam imitandam: tamen, de eorum fama, nulla vnquam ætas conticeſcet. Hoc enim ita ſapientiſſimo cuique ſolet accidere, vt quanto magis gloriam ſpreuerit, tanto magis illa cumulatior redeat. Quare ſummum illum vobis ſcopum proponite Chriſtum, ab hoc omne principium, ad hunc omnem actionum veſtrarum exitum referatis: de hoc noctes atque dies cogitetis: huius vitam mortem, gloriam, animo continenter euoluatis, ſacroſanctam euangelij legem, ac diuinos omnes libros Nocturna verſate manu, verſate diurna. Non enim fieri poteſt (inquit ille vere aureus Chryſoſtomus) vt qui frequenter diuinis vacat, is miſeram agat vitam. Omnia vobis cætera ſordeant, præ his, quæ ad Chriſtum pertinent, ita fiet, vt aliquando, quam optatis, fęlicitatem acquiratis immortalem, & ab optimo quoque viro, maximam reportetis & laudationem, & gloriam. Hæc cum dixiſſet Primus, pauliſper habitum eſt ſilentium. Tú Angelus, planè mihi Prime videris (inquit) optimos imitatus medícos, qui morborum cauſas perſcrutati, pharmacis prius eas conantur euellere, quam facientes ſanitatem medicinas adhibeant. Quis enim vnquam valetudinem vt recuperet ſperare poteſt, niſi prius morbi cauſam de venis fugauerit? ita virtutis viam ingredi, penitus nemo poteſt, qui non ante prauas ab animo cupiditates eraſerit. Quid porro virtuti poteſt inimicius inueniri, quam tria illa quæ modo vitia numeraſti? diuitiarum ſitis, voluptatis illecebra, gloriæ cupiditas. Neque enim vllo modo fieri poteſt, vt qui trium horum aliquo vitiorum irretitus ſit, minimam virtutis partem poſſit acquirere. Quod ſi quis ab his omnino ſe potuerit expedire, maximum is ad virtutem gradum, iam ſe feciſſe certum habeat. Sed illud ſanè etiam à te expectabam, vt aliquid de literarum ſtudijs, ac maxime de eloquentia diceres. Hos enim adoleſcentes, in hac parte totis viribus, vt aliquando fiant eloquentes inſudare video. Qui planè mihi videtur labor eſſe ſuperuacaneus: cur autem ita videatur, dicam poſtea ſi prius hac de re ſententiam tuam audiuero: quare cum alia multa dixeris, hoc etiam explicandum eſt à te, vt hiſciant adoleſcentes, quid hac in re ſibi faciendum eſſe videatur. Hic arridens Primus, ſcio (inquit) quam rem agas Angele, cupis me ad hoc, ut aliquid de eloquentia diſſeram, impellere, quo illa ipſa, quam te non probare dicis, eloquentia, rationes meas omnes, & argumenta, quibus eam probauero, conuincas. Nullum enim adhuc te vehemen[t]iorem in dicendo cognoui, neque ad refellendum acutiorem. Sed tamen, quoniam ita velle videris, dicam ſententiam meam, tu ſi quid contra dixeris, ipſa ta-

men per ſe ſuum fulgorem explicabit: non enim ullo modo eloquentiam ſine eloquentia potes improbare. Vos autem (me appellabat, & Antonium) pergite porrò ſicuti cœpiſtis, totis viribus ad eloquentiam incumbere, quæ rerum omnium (diuina ſemper excipio) ſine controuerſia præſtantisſima eſt, nec uos quaſi tumultuantes de gradu deijciat, ſiquid Angelus contra dixerit, quin potius ita colligite. Ex omnibus rebus, id excellentisſimum ac præſtantisſimum, exiſtimandum eſt, quod meliorem noſtri partem, hoc eſt animum, ornare & expolire poteſt, quodque in admirationem homines addcuere ſolet, & maximam plurimis vtilitatem reportare. Doctrinas enim ac artes liberales, & denique virtutes omnes, hac de cã complectimur, quod illis humanus animus maxime poliatur. Quid gemmas vniones chryſolithos, adamantes, & cæteras omnes? num alio nomine precio ſæ ſunt, niſi quod eas homines ſoleant admirari? Iam uero argentum & aurum, ob id tantum plurimi penditur, propterea quod humanis uſibus, & conuentionibus, emptionibus ac uenditionibus aptisſimum eſſe uideatur. Nullum autem animi maius ornamentum, culto, ac prudenti ſermone poteſt inueniri, nihil quod maiorem posſit admirationem concitare, nihil denique quod utilius ſit humano generi reperiatur. Quod enim pulchrius, quam aliquem exiſtere hominem, qui cæteros ea re præcedat, qua ſola reliquis animantibus homines antecellunt? quid honeſtius aut decentius, quam ita ſermonem poſſe temperare, ut nihil non concinnè, prudenter, ac ornate dicere uidearis, nihil humile ac ſordidum, ſed omnia nobilia ac ſplendida? Quid admirabilius, quam mentes audientium, quocunque uolueris, oratione poſſe conuertere? cum omnes ferè loqui ſciant, ipſe ſolus ita loquaris, ut cæteri nihil omnino ſcire uideantur? ut ſuſpenſos ita teneas auditorum animos, attonitos, ut uel inuitos pedibus in ſententiam tuam cogas diſcedere. Age porro, quid utilius eloquentia? quid liberalius? qua feruntur patrocinia ſupplicibus, exercitantur afflicti, datur, miſeris ſalus, rei periculis liberantur, ciuitates optime gubernantur ſedantur plebis ſeditiones ac diſcordiæ ad ſacrarum cultum religionum, populi pertrahuntur. Quare ſi, quod animi noſtri magnum eſt ornamentum, quodque in admirationem ducit uniuerſos homines, & quod utilitatem ſolet afferre plurimam, id omnium eſt præſtantisſimum, eloquentiam autem, & ornamentum animi non mediocre, & magnopere mirabilem, & utilisſimam eſſe probauimus, nemini dubium eſſe poteſt, quin eloquentia ſit omnium præſtantisſima. Quæ cũ dixiſſet finem ille. Angelus autem. Ne tu (inquit) aſtute mecũ agis, qui prius, ne uerbis meis, fidem habeant, hos alienare uelis; quam ex me quicquam audierint. Deinde cum tuam tantum de eloquentia ſententiã poſtulaſſem ipſe nobis argumentis uel potius pſtigijs quibuſdã oculorum aciem ita præſtrinxiſti, vt uile plumbum, in aurum purum

putum (quod uocãt) immutare uideris. Sed iam mutua talione tecũ agam, non quidem quod ut uerum occultare velim, quod tu feciſſe mihi uideris, ſed magis, ut detectis inſidijs, ipſa per ſe ueritas elucescat. Verum iam aperto Marte congrediendum, poſſem equidem te plumbeo ſtatim (quod aiunt) gladio iugulare, ſed aperienda prius eſt ſententia mea. Si quid eſſet quod ad bene beateq; viuẽdum homini Chriſtiano maxima dicendi facultas ſtudio comparata, prodeſſe poſſet nunquam profecto committerem, ut eam non maxime comprobarem: quid enim impudentius dici aut fingi poteſt, quam id condemnare, quod noſtræ perſuaſioni ac religioni ſit, non ſolum accommodatum, ſed etiam utiliſsimum. Sed cum uideam ex eloquentiæ ſtudio, non ſolum nullam Chriſtianis utilitatem, ſed etiam damnum maximum proficiſci, quid eſt quod huic ſtudio, multam operam impendendam eſſe exiſtimem, aut potius cur ſummopere non improbem? Quid enim damnoſius accidere poteſt, quam relictis grauioribus ſtudijs, inani tantum uerborum farragini perdiſcendæ, bonas horas conſumere? cũ præſertim Chriſtus ipſe, noſtræ religionis author, ſuis legibus Sanctiũ eſſe voluerit, ne multũ loquamur: propterea ꝙ in multa locutione, crimen aliquod ſẽper incidere poſſe videatur. Nos autẽ ſuperuacanei ſermonis vitiũ, ꝙ omnes ferè mortales occupauit, nõ ſolũ pro virili conamur aliqua ex parte reſecare, ſed etiã (ſi dijs placet) loquacitatẽ noſtrã ſtudijs adiuuamus. Nã ꝙ ais eſſe mirabilẽ eloquẽtiã, ꝙ attonitos reddat audiẽtes, idẽ de Schenobate, aut præſtigiatore, aut etiã circulatore quouis dici poteſt, neq; tñ iccirco tale genus hoĩum præſtãtiſſimũ eſſe dr̃. Quòd verò diſputas eloquẽtia reos, liberari ciuitates gubernari, populos ad religionẽ trahi, ſpecioſius mihi dixiſſe, videris, quã ꝙ ita ſit. Nã quis id primũ tibi cõcedat, eo nomine vtilẽ eſſe eloquentiam, quod reos à periculis liberet? qui ſi mali ſint, num vtile tibi videtur eos liberare? Sin autẽ boni, nonne potius innocẽtia tecti liberabũtur quã cuiuſquã eloquẽtia. Quis Suſannã illã hebrę̃ã, falſa criminatione liberauit? an non (ſi quid Ambroſio credimus) ſua taciturnitas; quæ ſi voluiſſet oratorẽ cõducere, qui ſe defenderet, nequaq̃ viſa fuiſſet (vt erat) innocẽs. Quid Socratẽ illũ Apollinis iudicio ſapiẽtiſſimũ cõmemorẽ: cui cũ eſſet in carcere, facundiſſimus orator Lyſias orationẽ attuliſſe dicitꝰ, qua videbatur illũ inique accuſatũ eripere poſſe. Maluit homo ſapiẽtiſſimus, iniuſte cõdẽnari, quã eloquẽtię præſidio liberari. Qđ ſi nõ innocẽtes ſed maleficos eloquẽtia defẽdit, cũ illi nihil ſibi cõſcij nõ timeãt, hi vero ſcelerũ cõſciẽtia ſtimulati, patrociniũ quærãt, nõ ſolũ nõ vtilis eſt eloquẽtia, ſed etiã damnoſiſsima quippe quæ defẽdat, quos oppreſſos oportuit. Qđ autẽ dicis eloquẽtia ciuitates gubernari, id mihi magis gratia, quã ꝙ ita ſẽtias dixiſſe videris. Neque.n. te ignorare arbitror, optimis legibus, & virorũ prudẽtia regi ciuitates, nõ eloquẽtia, q̃ multo frequẽtius nocere, quã prodeſſe

ciuitatibus inuenitur. Quis.n.ignorat quãtũ tumultus in republica Romana, duorũ Gracchorũ eloquẽtia cõcitarit? quãtũ itẽ Saturnini, quãtũ apud Athenienſes Piſiſtrati. Illud nullo modo tolerãdũ, ꝙ ais, populos ad religionẽ eloquẽtia trahi, quæ nã eſt iſta, quã prædicas, eloquẽtia; nũ ea quã in ſacris literis inuenimus? quis ignorat ex ſacris libris expulsã eſſe eloquẽtiã, tãquã inutilẽ? aut eã dicis qua ſe gloriatur Corinthios lucrifeciſſe Paulus? cũ ait: cũ venirẽ ad vos fratres, nõ veniebã cũ eminẽtia ſermonis, aut ſapiẽtiæ, annunciãs vobis teſtimonium Dej, & paulo poſt, ſermo meus, & prædicatio mea, nõ erat in perſuaſorijs humanæ ſapiẽtiæ verbis, ſed in oſtẽſione ſpiritus ac potẽtiæ, vt fides veſtra nõ ſit, in ſapiẽtia hominũ, ſed in potẽtia Dei. Quid hic, uidetur ne tibi Paulus eloquẽtiã laudare: ac nõ potius repellere? nõ igitur eloquẽtia eſt, quę trahit ad religionẽ homines, ſed oſtẽſio ſpiritus & euãgelij nũciatio. Nã ꝙ ais, animi noſtri maximũ eſſe ornamẽtum, plauſibilẽ orationẽ, id ego sẽper cõſtãtiſſimẽ pernegabo: neq; vnquã præter virtutẽ, ac honeſtã vitã, humanæ mẽtis vlla eſſe ornamẽta exiſtimabo, neq; quicquã expetẽdũ, præter religionẽ, & vnius Dei ꝑ ſacras literas, vbi nulla eſt eloquẽtia, cognitionẽ. Quid.n.expetendũ, ꝙ nõ ſit vtile; porro quid vtile, ꝙ nõ idẽ ſit honeſtũ homini Chriſtiano. Atqui nullus id honeſtũ exiſtimabit, ꝙ etiã improbiſſimo cuiq; poſſit eſſe cõmune, eloquẽtia autẽ eiuſmodi eſt, vt etiã homo peſſimus eam habere poſſit, Nõ igitur erit honeſta eloquẽtia, ꝙ ſi nõ honeſta neq; utilis, ſi uero nõ utilis, nõ ſolũ nõ expetẽda ſed etiã fugiẽda eſſe uidebitur. Qđ autẽ fugiẽdũ eſt, perniciosũ ſit neceſſe eſt. Quare nõ ſolum eloquẽtia, nõ præſtãtiſſima, ꝙ tu cõcluſiſti, nõ optima, ſed etiam perniciosſima, Chiſtiano viro iudicanda eſt. Hæc cum dixiſſet, nos taciti quid ad hæc eſſet obiecturus Primus, expectabamus. Cũ ille; Si te ſcirem (inquit) Angele, ſimilem verbis animi ſententiam etiam habere; ſummopere te hortarer, vt de opinione tàm ſiniſtra decederes, vel ſi nolles audire, tibi notã ingratitudinis inurerẽ, Qui cũ tm̃ debeas eloquentiæ, quantũ hoc tp̃e vel nulli, vel fortaſſe pauciſsimi, tñ eã ſuis ipſius telis auderes inſectari. Sed cũ hęc diſſerẽdi gratia, primoribus tm̃ labris, nõ ex aĩo te dixiſſe, nõ ignorẽ, nihil de te, aut ingratitudine tua dicã, ipſam tm̃ eloquentiã obiecto clypeo protegere conabor, ac defendere. Tu vero tuis argumentis aerẽ verberaſſe videberis. Primũ igitur tua dicta tẽtabo refellere, deinde q̃ cauſæ meæ cõfirmandæ proderunt, ea nitar, vt in mediũ cõferã. Atq; vt hinc potiſſimũ incipiã, qđ illo Sorite vitioſius, quẽ tanquã validiſſimũ in peroratione tibi cõſeruaras: Equidẽ prima auditione nõ mediocriter confuſus ſum, mihiq; audire videbar, inexplicabiles Chryſippi ceratinas, aut crocodilitinas. Sed poſtquã diligentius introſpexi, nihil vnquã mihi viſũ eſt inanius. Nã ſic opinor collegiſti, nihil vtile, qđ idẽ nõ ẽt honeſtũ, nihil honeſtũ, qđ improbo poſſit eſſe cõne. Hæc effata tibi facile cõceſſerim, quã

quã prius illud,nõ multis eſt probabile.Sed videamus,quid his ſubiungatur: Eloquẽtia eiuſmodi eſt, vt ẽt hõ peſſimus eam hẽre poſſit,quid ais Angele? Vide ne parũ dialectici ſit hoĩs,rerũ definitiones aut ignorare, aut cognitas nõ cõſyderare. Homo peſſimus eloquentiã habere põt? An ignoras idẽ eſſe,ac ſi diceres,ſtultisſimus põt eſſe ſapientisſimus? nã quid aliud eſt eloquẽtia, quã copioſe loquẽs ſapientia? quid aliud orator,quã vir bonus dicendi peritus? nũ prauus homo ſapiens aut bonus eſſe põt? quis hoc ſanæ mẽtis audeat dicere: atqui tu vel neſcius,vel forte ẽt prudẽs,hoc cõcluſiſti.Nã quiſquis eloquens eſt, is ẽt ſapiens, ac vir bonus ſit neceſſe eſt, ſiquidẽ eloquẽtia eſt ſapientia, & orator vir bonus.Porro ſi prauus eſt eloquens,idẽ ẽt erit ſapiens & bonus,quod nullo modo fieri poſſe,quis ignorat? Neq; igitur homini malo cõtingere põt eloquẽtia. Quo ſublato, vides ne,q̃ cito cauſa cecideris? Sed hęc agenda videntur explanatius.Multũ intereſt Angele,quid eſſe putes eloquẽtiã. Nã ſi verborũ tantũ inanẽ (vt inquiſti) farraginẽ illã exiſtimas, recte quidẽ improbas,ſed plurimũ videlicet erras infinitione.Sin aũt (vt opinor) perſuaſum habes,eloquentiã maius quiddã eſſe,q̃ verborũ farraginẽ,neq; oĩno ſine rerũ plurimarũ & diuinarũ & humanarũ cognitione,hominẽ aliquẽ eloquẽtẽ eſſe poſſe,quid te facere dicã,cũ rẽ tã laudabilẽ vituperas, niſi peſſime? Nam qđ ais nõ oportere dimitti ſtudia grauiora, quæ ſunt tandẽ iſta grauiora ſtudia? aut quid eſt,quod incumbamus ſtudijs, niſi ut eloquentiã augeamus,& vt multis collectis rationibus,nobis ipſis,ad bene beateq; viuẽdũ,& alijs quãplurimis auxilio eſſe posſimus? Quid.n.quis diſcit,quod non,cum perceperit,quã maxime cupiat,propalare? Hoc.n.omnibus natura cõparatũ eſt, vt ſcire deſiderent,& quæ ſciunt,alios docere velint,quod cũ faciunt, quis eſt qui non cupiat, ſe quam optime dicere? Huc igitur ſtudia diriguntur,& hac tantũ de cauſa ſtudemus, vt eſſe posſimus eloquẽtes:nihil.n.aut parũ prodeſt occulta doctrina, nullũ igitur eloquẽtię ſtudio grauius inueniri poteſt.Sed Chriſtus (inquis) nobis iusſit, vt pauca loqueremur. Vnde nã (quæſo te) ſumis,hoc in eloquentiam eſſe dictũ. Caue ne cũ eloquẽtes inimicos habere velis,ẽt Theologos irritasſis,ſi male torſeris euãgelia. Nõ.n. tibi par erit præliũ, q̃q̃ plurimũ ẽt in ea facultate valeas: ſed ſi te ſemel oppreſſerint Scotizantes,ex illis tenebricoſis laqueis,nõ ita facilè te poteris extricare. Iam vero cõtra Thomiſtarũ,& Occaniſtarũ vociferationes,nihil tibi ꝓderit, iſta tua tã admirabilis ſcientia.Sed redeat,vnde aberrauit oratio, Chriſtus ibi longas Ethnicorũ precationes vituperat,quibus, quod optabant, à Deo ſe impetrare poſſe cõfidebãt, tu vero.ſ. nouus interpres, Chriſti verba torques in eloquentiã. Nã ſi malũ eſt loqui,cur non perpetuo tacemus? ſi vero bonũ,cur,cũ id facimus,nõ conamur, vt q̃ optimè faciamus? Sic.n.fieret, vt loquacitatis vitiũ (vt vere dicis) oẽs ferè mortales occupauit excideremus,& politisſimo ſermone ſimul & vtilisſimo,

mo,ea tantũ quę probãda ſunt,diceremus.Quã vero bellè de Schenobate aut præſtigiatore luſiſti:perinde quaſi quicquam Schenobates ad orõnẽ pertineat,aut hæc ſimilitudo,nõ toto(quod aiunt)diametro diſſideat.Mihi vero viſus es,cũ,quid cõtra diceres, nõ haberes, ſtudio tñ cõtradicẽdi,tã abſurdã finxiſſe ſimilitudinẽ.Quid.n.hẽt, ſimile funãbulus cũ eloquẽtia?cũ ille,quãuis ridicula quædã & quæ mirabilia videantur,efficiat,tñ nec ſibi,nec alijs vtilis,ab omnibus vilipenditur,& luſus tantũ gratia ſpectatur. Hæc autẽ ita rapit,& immutat hominum mẽtes,vel inuitas cogit,ad vtiliſſima quæq;, ut planè diuina eſſe videatur.Nec fieri põt,vt cũ quis eloquẽtẽ ſemel audierit,eũ nõ maximopere ſuſpiciat, & maius quiddã in eo quã in homine ueneretur. Quænã ſeditio tãta inter ferociſſimas gentes põt exoriri, quã ſi ſuperuenerit eloquens,nõ ilico ſedare poſſit? & pacẽ inter inimicos conciliare ? & quid ſeditione vulgi truculẽtius? Menenius Agrippa fabula tãtum eloquenter recitata,& ſapienter interpretata,iratã plebẽpatribus conciliauit,quãtò id facilius effeciſſet,ſi fontes eloquẽtiæ penetraſſet? Quid cũ ad Demoſthenis,& Æſchinis cõtẽtionẽ,ex tota Græcia cõcurſus fieret,nũ eos qui cõcurrerũt Græcos, tãquã ad præſtigiatores ſpectãdos cõueniſſe cẽſes? Aut cũ ex vltimis orbis terrarũ regionibus, ad Pataui nũ Liuiũ audiẽdũ,quidã veniebant,nõne tibi uidẽtur eius eloquentiã, nõ tanquam rem inanẽ(vt tu appellas)ſed tanquam valde mirabilẽ,ac prope diuinã,fuiſſe admirati? Sed hęc quę ex tuo dixiſti,ut ſunt leuia, ita facilè refelluntur.Illud potius aliquam rationi meę difficultatem, quod ex Paulo recitaſti,videtur afferre.Nam de Suſanna,ac Socrate, poſtea videbimus.Sed tñ hoc etiam,quod ait Paulus, facillimum eſt amoliri,cũ non eloquentiã vituperet,ſed ei tantũ oſtenſionẽ ſpiritus, ac Dei potẽtiam pręponere uideatur.Illis.n.eccleſiæ naſcẽtis primordijs,magis erant(fateor)neceſſaria miracula, cum,vt Deorũ cultum, ac maiorũ ſuorum religionẽ penitus imbibitam,immutarẽt,non ſola potuiſſent hoĩes eloquẽtiæ perſuaſione compelli, niſi miracula etiam acceſſiſſent,quæ diuinum illud opus eſſe, nõ humanum declararent. ſed poſteaquã ad Chriſtũ verſi fuerãt, tũc neceſſaria fuit ẽt eloquentia,quæ debiliũ,& infirmorũ aĩos,quotidie confirmaret,deſides exci taret,errãtes corrigeret,feruẽtes magis accẽderet.Vnde videmus ẽt, quanta ſcripſerit arte Paulus,quẽ tu fingis eloquẽtiam damnare,cum ipſe ſit eloquentiſſimus, cuius rei, præterquam quod eius epiſtolæ declarant,teſtis eſt etiam Auguſtinus,qui rerum ac uerborum exornationes,ac eloquẽtiæ neruos,in eius ſcriptis,conatur oſtẽdere. Quare nõ eo modo,quo tu cẽſes,ea verba Pauli q̃ modo recitaſti,ſunt interpretãda,vt credamus eũ,qua ſummopere ꝑditus erat, eloquẽtiam condẽnare.Sed cũ ad Corinthios ſcribat,q̃ à prophetis falſis plurimi ſeducebãtur,eis tm̃ artificioſe,in memoriã ſpũs oſtenſionẽ, ac miracula reducit,vt meminerint,ſe non tñ Pauli verbis, quãtum euãgelij

vir-

virtute,ac miraculis,Chriſti fidẽ accepiſſe. Neq; vero ex ſacris literis (vt ait)expulſa eſt eloquẽtia:imò vero magis credibile eſt ab eis principiũ habuiſſe,deinde paulatim hoĩum ſapiẽtisſimorũ ſtudijs accreuiſſe.Nõ.n.fieri põt,vt res tàm diuina aliũde,quã à diuinis literis principiũ ſumpſerit,cũ pręſertim plurimas in ſacris Biblijs, orationes videamus,quas certo ſcimus,eſſe in hebreo ſermone diſertisſimas, & q̃ etiam apud nos ſpeciẽ quãdam prę ſe ferũt elegãtiæ. Illos vero quos prophetas appellamus,quorũ ego eloquẽtiã,cũ eorũ ſcripta hebraice lego,maiorẽ inmodũ ſuſpicio,nil aliud fuiſſe credendũ eſt,q̃ oratores facũdisſimos,quos Deus è multis eligebat, vt eſſent, qui populũ, ad religionẽ pertraherẽt. Horũ unus Daniel,cũ innocẽtem Suſannã ad ſupplicium duci,videret,eã eloquentia ſua liberauit,& q̃q̃ (vt ais Ambro.placere)taciturnitate innocentiã ſuã teſtaret̃,tñ niſi Dei monitu uox Danielis affuiſſet,nihil oĩno fuiſſet impedimẽto,quo minus de illa ſuppliciũ indignisſimũ ſumeretur.Socrates aũt(inquis)perire maluit,q̃ orõne Lyſiæ liberari. Sit ita ſane,nũ ideo dãnauit eloquẽtiã Socrates?illã ſibi orationẽ, qđ forte parũ eloquẽs videretur, nõ viro dignã videri dixit,nõ de eloquẽtia tota iudiciũ fecit,niſi forte credis, eũ, q ſuberatũ aurũ ſpernit,obrizũ ẽt,& purũ aurũ reprobare. Quid vero de eloquẽtia Socrates ſenſerit,eius diſcipulus Plato palã innuit, qui eũ vbiq; introducit eloquẽtisſime diſſerẽtem. Quare te fruſtra vides hęc exẽpla collegiſſe. De Gracchis aũt & Saturnino, & Piſiſtrato,nihil attinet dicere,cũ illi,ciues ſeditioſisſimi fuerint:nos aũt nullũ eloquẽtẽ,niſi eundẽ bonũ virũ eſſe dicimus. Vt aũt partẽ aliquã habuerint eloquẽtiæ, nõ tñ ideo tanta virtus,damnanda eſſe videbitur: Neq; omnino vitia prauorum hominum ad res transferenda. nam:

Non res in vitium ſed malefacta cadunt.

Quod aũt legibus ac prudẽtiæ ciuitates gubernari,nõ eloquẽtia,tibi videri dicis,nõ ſatis ipſe prudenter,ac legitime (qđ pace tua dixerim)ab his rebus eloquẽtiã ſeparas,quas neq; tu ignoras,ſine illa nullo modo poſſe cõſiſtere. Quẽ,n.primũ,vt alte repetamus,leges inueniſſe,q̃bus ciuitates regerẽtur,exiſtimas?aut quẽ credis,induxiſſe populos,vt legib.obedire nõ recuſarẽt?nũ infantisſimus aliq̃s tibi fuiſſe vr̃? & qui nulla foret eloquẽtia p̃ditus? Qũo ergò tã facile paruerũt, ei, q nullã legũ rõnem,quare bonę viderẽtur, poſſet p̱ infantiã redderet?An ſpõte ſua rudis populus,& libere viuẽdi cupidisſimus,legibus tanq̃ iugo colla ſuppoſuit. Quin magis mihi veriſimile fit, eloquẽtiſsimũ fuiſſe hoĩem, q rõne reddita,cur vna in ciuitate ſimul habitare,legibus vti quam optimis,optimũ eſſet;oratione facundiſsima populorũ aĩos ita demulſerit, & immutarit,vt ſuæ cogeret eos parere volũtati. At vero poſtq̃ in vna męnia cõuenere,regi cępere,certe nõ minus eloquẽtia,q̃ receptis legib. Cũ.n.viros prudẽtiſsimos,de ęquitate ac iure diſſerẽtes audirẽt, facundia deliniti,ijs q̃ optima videbantur

tur, parēdū eſſe cēſuerūt. Itaque niſi prius eloquentia fuiſſet, nullas penitus (vt opinor) leges haberemus, nec vero a prudētia tanquam mēbrum à corpore ſegreganda eſt eloquētia. Pars enim eius eſſe dicitur cui literarum omnia ſtudia tribuuntur. Quod ſi prudentis eſt amplecti ſtudia literarum, cur tibi prudentiæ eſſe non videatur eloquentiā perdiſcere, quæ ſtudiorum omnium, quaſi lumen eſt, & ornamentū; quātò uero facilius, & melius ciuitatū gubernatores, populos ad iuſtitiā amplexādā & iniquitatē uitādā impellere poſsēt, ſi cū prudētia magnā quoq; facūdiā copularēt? Quid de Xp̄i p̄cone dicendū eſt? cui tā neceſſariā eſſe arbitror eloquētiā, q̄ ēt ſacrarū ſcīam literarū. Quid.n. an non videmus in Theologica facultate, doctiſsimos plerunq; homines, q facundia deſtituti ſunt, ita frigide cōcionari, vt nihil oīno, quāuis plurima uerba profuderint, auditorē cōmoueāt. ſed totū ferè tempus inanibus quæſtiunculis, q̄ inuoluiſſe ſilētio multo pręſtitiſſet: altiſſima vociferatione cōterere. Quid.n. ea populo proſunt, quæ Scotus, & eius farinæ comites ſomniarunt? quib. ad religionē. ne tantillū quidē accēdātur, ſed ea cū audierint, in diuinis reb. multo tardiores efficiantur. Quāto præſtātius eſſet, eloquētiæ, poſt diuinas literas totis neruis incūbere? & reiectis dialecticorū ſophiſmatibus, in quibus, tāquā ad ſyrenæios ſcopulos, cōſeneſcunt, tātā ſtudio facundiā cōparare, vt auditiū mētes immutare, impellere, trahere, rapere, poſſent, ad honeſtatē capeſſendā? vt queq; peſsima uitia ſunt, ita maxime cōſectari: improbare, profligare, exterminare, futuras improbis pęnas oculis ſubijcere, minis perterrefacere inferorū ſedes aperire, tortiones, cruciatus, ſupplicia ſedeiū patefacere, virtutē aūt, vt dignißimū ē, ad cęlū extollere, eius præmia, decus, immortalitatē, gloriā, beatitudinē, ita dicendo proſequi, vt eorū deſyderio, maiorē in modū auditorū mētes inflāmētur: doleāt, metuāt, ſperēt, tēpus ſibi fruſtra præteritū cōquerātur, in poſterū relegata cupiditatū liti, totā vni virtuti, ſtatuāt operā impēdere. Quæ ſi quis diligentiſsime perſequatur, quātū honeſtatis excitabit incēdiū? q̄ mirabiles ad capeſſendā uirtutē ignes, in mortaliū animis cōmouebit? quā facile uitia tāquā fumi uaneſcere uidebūtur, purior uirtutis flāma ſubſequetur. Sed me tēpus deficeret, ſi uim uniuerſam eloquētiæ uelim explicare: uides (ut opinor) niſi uel uidere nolis, uel Hipſęa cæcior effectus ſis, quātopere ſit, utilis eloquētia. Sed me tēporis anguſtia, uideo.n. aduesperaſcere, cogit eſſe breuiorē: poſthac alias, niſi de iſta ſentētia diſceſſeris, multo longiorē, & elegantiorem ſermonem expectato. Hic ſubriſit Angelus, & præter ſpem (inquit) hodie Primum, orantem ex tempore uidimus. quid ſi paratus acceſſiſſet? quid ſi iterū cōtingat, ei de eloquētia dicere? ſed nihil opus eſt iā.n. in tuā ſnīam pedib. diſceſsi: quib. dictis, poſt paulo diſceſsimus.

FINIS.

IN EVNDEM M. TVLLII CICERONIS.

DIALOGI DE ORATORE

Librum Primum.

FABII PAVLINI VTINENSIS SCHOLIA.

CON PRIVILEGIO.



VENETIIS,

Apud Franciſcum Franciſcium Senenſem.

M D LXXXVII.

ILLVSTRISSIMO ET REVERENDISSIMO HIERONYMO SAVORNIANO EPISCOPO.

Fabius Paulinus. S. P. D.

CVM innumerabilibus tuis officijs tantum tibi debeam Illuſtriſs. Sauorniane, quantum referenda gratia nunquam, cogitanda, & prædicanda vix aſſequi me poſſe confidam, nefario me ſcelere obſtringi arbitrabar, ſi quæcunque prior ſe mihi obtuliſſet teſtificandæ meæ in te obſeruantiæ occaſio, eam prætermitterem. Quare cum M. Antonij Maioragij Commentaria ederentur in primum Ciceronis de Oratore librum, quem ipſe anno ſuperiore ſum publice interpretatus, quanuis omnia alia cogitarem, nimiſq; aliena, & ſubita eſſet hæc editio, tamen ne ab inito iam conſilio, ſuſceptaq; ſententia recederem, malui in inchoata lucubratione edenda parum prudens, quam prætermittendo officio negligens videri, & raptim, (quæ fuit Impreſſoris iam ad finem aduentantis præpropera feſtinatio) paucula quædam exaraui, vel dictaui potius, quæ in prælegendo animaduerteram, hæcq; volui in tuo nomine apparere, vt extet hoc qualecunque meæ in te obſeruantiæ teſtimonium. Duo autem illa, quæ huius videbantur fortaſſe ſcriptionis, & temporis tuarum virtutum prædicatio, & officio-

rum commemoratio conſulto omiſi, quod alterum ſuperuacaneum eſſe duxi, cum tua virtus in iſta ampliſſima virorum luce, & iſto totius Terrarum Orbis Theatro iampridem ita verſetur, & ſpectetur, vt ad nos quoque non incertus rumor, ſed clariſſima tuarum laudum vox, atque fama perueniat. Alterum verò quanuis mihi periucundum, tibi tamen moleſtum fore iudicaui. Accipe igitur tenue hoc grati, ac memoris animi argumentum; et quoniam præſtare magna nos non poſſumus, tu paruis eſto contentus. Vale, & me tuorum iam numero aſcriptum ea, qua ſoles beneuolentia conſerua, & patere te à me coli, & obſeruari.

Ven. Idib. Ianuarij. ∞ I Ɔ XXCVII.

IN M. TVLLII CICERONIS DIALOGI DE ORATORE.

Librum Primum.

Fabij Paulini Vtinenſis Scholia.

DIALOGI DE ORAT. duplex eſt genus Dialogi, alterum ioculare, atque Comicum; alterum ſeuerum, & graue, in quo de maximis rebus diſputatur à grauiſsimis viris, & iſta adhibita partitione omnes tolluntur de Dialogo controuerſiæ, nam ſub primum genus cadent omnia Luciani colloquia, quæ nonnulli dialogos eſſe negant, & de hoc genere locutum dicemus Demetrium Phalereum (ſi modo illius eſt veteris Demetrij libellus ille, non recentioris alicuius,) qui dialogum videtur infra etiam epiſtolarē gradum collocare, ait enim δεῖ γὰρ ὑποκατασκευάσθαι πῶς μᾶλλον τοῦ διαλόγου τὴν ἐπιστολήν, ὁ μὲν γὰρ μιμεῖται αὐτοσχεδιάζοντα, ἡ δὲ γράφεται, καὶ δῶρον πέμπεται τρόπον τινα, i. oportet autem magis elaboratam eſſe quodam modo epiſtolam dialogo; hic enim imitatur dicentem extempore, hæc vero ſcribitur, & donum mittitur quodammod[illegible] locum Demetrij, contra accepit Petrus Alcyonius, qui (vt annotauit Victorius.) Demetrium dixiſſe dicit locandam inferius dialogi epiſtolam. De hoc etiam genere intelligendum eſt locutum eſſe Artemonem, cuius ſententiam recitat idem Demetrius, qui dicebat δεῖν ἐν τῷ αὐτῷ τρόπῳ διάλογόν τε γράφειν, καὶ ἐπιστολάς, εἶναι γὰρ τὴν ἐπιστολὴν οἷον τὸ ἕτερον μέρος τοῦ διαλόγου. ideſt oportere eodem pacto dialogū ſcribere, & epiſtolas, eſſe nanq; epiſtolam, tanquam alteram partem Dialogi. Sub alterum verò genus venient omnes Platonici, atque etiam Ciceronis Dialogi, & de hoc genere intelligenda eſt Diogenis Laertij Definitio, quam tradit in vita Platonis, vbi ſolummodo admittit pro materia τὰ φιλοσοφούμενα, καὶ τὰ πολιτικά. ideſt quæſtiones ad Philoſophiam, vel ad ciuilem ſcientiam pertinentes, & ſic antiquitus Dialogus intelligebatur, quare Lucianus in 2. dial. qui inſcribitur πρὸς τὸν εἰπόντα Προμη-

ὄντος ἐν λόγοις. ideſt ad eum, qui dicebat Prometheus es in oratione. dicit ſe primum Dialogum, & comœdiam rerum materia diſſidentes, & maxime diſcrepantes coniunxiſſe, & conciliaſſe, & quaſi marẽ fœminæ veluti Prometheum adiunxiſſe, & fallere in hoc Auditores, apponens illis oſſa omento conte&ta, hoc eſt riſum comicum ſub philoſophica grauitate ἐξαπατῶν τοὺς ἀκούοντας, καὶ ὀστᾶ παραθεὶς αὐτοῖς κεκαλυμμένα τῇ πιμελῇ, γέλωτα κωμικὸν ὑπὸ σεμνότητι φιλοσόφῳ. quare Iulius Cæſar Scaliger in primo lib. ſuæ Poetices verba faciens de Dialogo ait. Diſtorſit ad mimicam, atq; etiam momicam laſciuiam Lucianus. Hermogenes in 2. libro de formis περὶ ἰδεῶν appellat Dialogum ἀμοιβαίους λόγους. ideſt alternos ſermones, & ſubijcit generi Panegyrico, cuius tres facit partes, primum λογογραφίαν. ideſt ſcriptionem ſoluta oratione, quam diuidit in ἀφήγησιν expolitionem, & ἀμοιβαίους λόγους, alternos ſermones, ſecundum ζητήματα πολιτικὰ, quõnes ciuiles, poeſim, & præcipuè in his dominari dicit σφοδρότητας, & τραχύτητας, ideſt vehementes, & acres orationes, formas omnes δεινότητος, ideſt grauitatis aptæ, & ἀφελὲς, καὶ ἀπλοῦν, ideſt expeditum, & humile orationis genus habere locum propter imitationes perſonarum, In hocq; vno poſſe dicit ſeorſim ſpectari ſingulas formas non admixtas, vt ſeorſim grauitatem, ſeorſim claritatem, quod in alijs generibus orationum minime licet: eſt enim vitium vel maximũ in oratione. τὸ μονοειδὲς vnius formæ vſus, & ipſe nequaquam in bonis ſcriptoribus reperiri poſſe ſcribit. ſeiungit autẽ ἀμοιβαῖον, ideſt alternum à Platonico, vt videatur duo genera facere dialogi alterum Platonicum, & graue, alterum minus ſeuerum. In Platonica verò oratione deſiderat omnes formas, quæ magnitudinem orationi accerſunt, & illi ab ipſo, quaſi ſpecies generi ſubijciũtur τὸ σεμνὸν, λαμπρὸν, ἀκμὴν, περιβολὴν, καὶ μεστὸν λόγον. ideſt graue ſplendidum, vigens, circumductum, & plenum orationis genus, reiectis illis duobus, quæ in ſuperiori genere requirebat, aſperum, & vehemens, admiſceri his dicit partes moratæ orationis τὴν ἀφέλειαν, & γλυκύτητα ſimplicitatem, & dulcedinem, deſiderari etiam ἐπιμέλειαν. ideſt accuratam orationem, & ὡραῖον, καὶ ἁβρὸν λόγον, ideſt floridum dicendi genus, ſed ex omnibus formis mea quidem ſententia nulla in dialogis magis neceſſaria quam ἦθος, quod apparet etiam ex definitione Diogenis, qui in ea ait μετὰ τῆς πρεπούσης ἠθοποιΐας τῶν, παραλαμβανομένων προσώπων. ideſt cum decenti morum effictione in aſſumptis perſonis, & Demetrius cõfirmat, qui ait πλεῖστον δ᾽ ἐχέτω τὸ ἠθικὸν ἡ ἐπιστολὴ ὥσπερ καὶ ὁ διάλογος, plurimum habeat ex morata oratione epiſtola quemadmodum etiam Dialogus Ariſtoteles in Poetica videtur Dialogos appellaſſe σωκρατικοὺς λόγους, vt meus Ciuis Vtinenſis Robortellius in ſuis Commentarijs affirmat (cui profecto magnæ habendę ſunt gratiæ, quòd

tiæ, quòd primus libellum illum magnis obſcuratum difficultatibus, atque maculis illuſtrauit, & cæteri etiam Interpretes, vel hac vnà re debent ſine controuerſia primas illi concedere, & intelligere (quoq; in eo reprehendendo ſe limam rodere) eoſque ſub epopeia collocat propter imitationem. quamuis eo loco alij quidam intelligant fabellas illas à Socrate expreſſas ex Aeſopo, dum eſſet in Cuſtodijs, cuius rei meminit Plato in Phædone. Octauianus Ferrarius in libello de exotericis ſermonibus probat dialogos exotericos eſſe ſermones, quia cum conſtent ex interrogatione, & reſponſione probabili, quod eſſe munus vult dialectici ſyllogiſmi, dialecticiq; ſyllogiſmi ſint ex ſermonibus exotericis; conſequitur dialogos ſub eo genere contineri, & ita ab Ariſtotele appellari demonſtrat, propriumq; eſſe dialectici concludit ſcribere Dialogos, multaq; præterea affert, imo quærit de dialogo non contemnenda, vt quid interſit inter Platonis, & Ariſtotelis dialogos, an fieri poſsit per Dialogos demonſtratio, & alia, quæ quoniam non ſunt inſtitutæ ſcriptionis, & temporis omittimus, & ad noſtrum reuertimur Ciceronem, de cuius quādoquidem Dialogis diſſerimus, non erit alienum ex ipſius quoque doctrina, & obſeruatione, quæ Dialogo conueniant demonſtrare. In hoc igitur, vt ab ipſo didicimus, primum ſpectādum maximè τὸ πιθανόν, ideſt probabile, ſeu credibile, vt ſcilicet habitum ab eo, qui loquatur ſermonem illum, diſputationemq; credatur. Quare ipſe in proœmio de ſenectute reprehēdit Ariſtonem Chium, & tacitè et Varronem (ut uult Robertus Titius) qui idem in ſuo Commentario de ſenectute fecerat, quòd Tithonum induxerit de Senectute diſputantem, quòd ſcilicet parum eſſet autoritatis in fabula, & fides facto abrogaretur, ſeque elegāter excuſat, quòd nimis erudite loquentem Catonem finxerit, quaſi non uideretur credibile tam eleganti vſum ratione loquendi ſenem illum, cuius eſſent ſcripta duriuſcula, parumque expolita (caruit enim numero Cato, & uerbis uſus eſt horridioribus ut Cicero teſtatur in Bruto) idque tribuendum dicit Græcis literis, quas didicerat ſenex. Omnem autem (inquit) ſermonem tribuimns non Tithono, vt Ariſto Chius, ne parum eſſet autoritatis in fabula, ſed M. Catoni ſeni, quo maiorem autoritatem haberet oratio. Apud quem Lęlium, & Scipionem facimus admirantes, quòd is tam facile ſenectutem ferat, iiſque eum reſpondentem. Qui ſi eruditius uidebitur diſputare, quam conſueuit ipſe in ſuis libris attribuito Græcis literis, quarum conſtat eum per ſtudioſum fuiſſe in ſenectute. & in Lęlio idem concludit, ſed ut in Catone Maiore feci, qni eſt ſcriptus ad te de ſenectute, Catonem induxi ſenem diſputantem, quia nulla uidebatur aptior perſona, quæ de illa ætate loqueretur. Deinde addit. Itaque ipſe mea legens ſic afficior interdum, ut Catonem non me loqui exi-

qui exiſtimem.&c.Deinde danda eſt opera,ut ſeruetur τὸ πρέπον decorum,quod maxime facit in his libris, ut ſuo loco declarabitur, & præclarum de hoc ipſiuſmet Ciceronis habemus teſtimonium in 4. Epiſtolarum ad Atticum, vbi ait. Quod in his Oratorijs libris, quos laudas perſonam deſideras Sceuolæ,non eam temere dimoui,ſed feci idem,quod in politia Deus ille noſter Plato, cum in Pyręum Socrates ueniſſet ad Cephalum locupletem, & feſtiuum ſenem, quoad primus ſermo ille haberetur adeſt in diſputando ſenex, deinde quoque cum ipſe commodiſsime locutus eſſet, ad rem diuinam dicit ſe uelle diſcedere, neque poſtea reuertitur. Credo Platonem uix putaſſe ſatis conſonum fore, ſi hominem id ætatis in tam longo ſermo ne diutius retinuiſſet, multo ego ſatius id mihi cauendum putaui in Scæuola,qui & ætate,& ualetudine ea,qua eſſe meminiſtis,& his honoribus,ut uix ſatis decorum uideretur eum plures dies eſſe in Craſsi Tuſculano,& erat primi libri ſermo non alienus à Sceuolæ ſtudijs. reliqui libri τεχνολογίαν habent, ut ſcis. Huic ioculatoriæ diſputationi ſenem illum,ut noras intereſse ſane nolui. & ne quis fortaſſe exiſtimet idem eſſe πιθανὸν cum decoro, quia finitima uidentur, & ſimilia,ſciat ita diſtingui,ut perſuaſibile referatur ad factum, decorum vero perſonas ſolum complectatur. Non ignoro autem aliter ſuiſse diuiſum,quam nos fecimus ab alijs Dialogum. Aliter enim Diogenes Laertius in uita Platonis,aliter Alcinous Platonicus,cuius meminit Marſilius Ficinus in Menone,quem etiam ſe feciſse Latinũ dicit,aliter Plutarchus,aliter ẽt quidam recentiores, ſed omnes ferè de Platonicis tantum loquuntur,nos de omnibus, neque illud etiam me præterit non defuturos,qui expectent dum Ciceronem à Caſteluetrij calumnia hoc loco uendicem,qui in ſuis Cõmentarijs in Poeticam Ariſtotelis,tria facit genera Dialogi Dramaticum,hiſtoricũm, & mixtum,& ſecundum illud, quo præcipuè uſus eſt Cicero in his libris,præter communia cæterorum generum, quę ibi recenſet,uitia, in his duobus potiſsimum peccare, & eſse culpæ affinem, ac reprehenſione dignum iudicat, quòd parum habeat ueriſimilitudinis, & multum uanitatis. Sed quoniam huius argumentis, & rationibus reſpondet eademmet lingua Picolhomineus Alexander,quamuis multa quoque præterea afferri poſsent,ne præſens longior fluat oratio,ad illa reijcio Lectores,ſatis eſse nunc exiſtimans admonuiſse.

DE ORATORE à ſeptem potiſsimum rebus conſueuit Cicero ſuorum librorum ſumere inſcriptiones, aut enim ducit à rebus ipſis,atque materia,& ab ipſo libri argumento. ſic libros inſcripſit de officijs,de natura Deorum,de Fato,de Legibus,de Diuinatione, de Inuentione,de perfecto genere Oratorum, Topica, & hos de Orat.libros, Aut à loco, in quo habiti ſint illi ſermones, ſic Tu-

ſculanas,&

ſculanas,& Academicas quæſtiones,quod in Tuſculano, & in Academia eſsent habitæ, aut à perſona,quam loquẽtem inducit,ſic Cato Maior,ſic Lælius,ſic Brutus nomina acceperunt. in quo animaduertendum,quod plerunque duplici vtitur inſcriptione,adi uncta etiam altera ex ipſa materia, vt Cato Maior, vel de ſenectute. in quo Platonem imitatur,qui ſemper ferè id facit,vt duplicet inſcriptiones,alteram à perſona,alteram à materia ſumens. ſic Phœdon, vel de anima,ſic Parmeni des, vel de Ideis, & reliqua, quam quidem conſuetudinem duplicandi inſcriptiones ductam ab Homero volunt, qui inſcripſit in ſecundo lib. κατάλογος νηῶν, ἢ βοιωτία. Ariſtotelesquè interdum vſus eſt,vt περὶ φυσικῆς ἀκροάσεως, ἢ περὶ ἀρχῶν, de phyſico auditu,vel de principijs,licet apud hunc ambæ inſcriptiones ſint à materia ipſa deductæ,non enim ſequi in hoc Platonem voluit,aut ab imitatione,hinc Philyppicæ, non quod contra Philyppum ſint ſcriptæ, ſed quod ad Philippicarum Demoſthenis orationum imitationem cõtra Antonium eas ſcripſerit, aut ab annexis rei,& conſequentibus, vt Actio prima in Verrem Diuinatio appellata eſt,quia conſequebatur (quemadmodum ſcribit Aſconius) vt diuinandum eſſet. qui futurus Accuſator,cum non de facto quæreretur, ſed de futuro, Aut à method o,quam adhibet in ſcribendo,vt Partitiones oratorię, quia methodo vtitur in illis diuiſiua, aut poſtremo a loco ſimul, & materia, quod non in operibus,ſed in libris tantum fecit, vt Tuſcul. prima, ſeu de contemnenda morte, quamuis nonnulli ſuſpicentur non eſſe germanum hunc Ciceronis poſteriorem titulum.

LIBER PRIMVS. Aptiſsimè partitus eſt Cicero. Diſputationem hanc de Orat. in tres libros, nam generatim omnia rectiſſimè diuiduntur in tria,vt in primo Cœli confirmat Ariſtoteles, vbi ait ex Pythagoreorum ſententia τὸ πᾶν, καὶ τὰ πάντα τοῖς τρισὶν ὥρισται, τελευτὴ γὰρ, καὶ μέσον, καὶ ἀρχὴ τὸν ἀριθμὸν ἔχει τὸν τοῦ παντὸς, ταῦτα δὲ τὸν τῆς τριάδος. ideſt vniuerſum,& omnia tribus ſunt definita. finis enim,& medium, & principium numerum habent vniuerſi: hæc vero ternarij,ſed præcipuè & ſingillatim ipſa Rhetorica hac ternaria diuiſione commodiſsimè ſecatur, & gaudet,Ciceroque id potiſsimum obſeruat. Nam vniuerſam doctrinam dicendi diuidit in tres partes vim oratoris, orationem, quæſtionem, tria facit genera cauſarum iudicij, deliberationis,& exornationis, cum ſuis finibus, tria quæſtionũ,an ſit,quid ſit,quale ſit,tria dicendi grandiloquum,tenue,& temperatum,tria temporum præſens, futurum, præteritum, tria auditorum Iudicem, auſcultatorem, diſceptatorem, tria præcipit ſpectanda oratori quid dicat, quo quidque loco dicat,quomodo dicat,tria præſtanda,vt doceat,ut delectet, ut moueat, tribus id modis aſſequi nos dicit arte, imitatione, exercitatione, pronuntiationi

B primas,

primas,ſecundas,& tertias defert, & eã in tribus poſitam affirmat in vocis vultus,& geſtus moderatione,aliaq́; multa, quæ nunc colligere alienum, cum ſatis hæc, ſuperq́ue videantur ad rem probandam.

COGITANTI MIHI SÆPENVMERO. Veteres græcorum Rhetorũ interpretes,ut Aphthonij ſcholiaſtes,& Hermogenes in illorum præceptis explicandis ſeptenarij numeri commoditatem, & myſterium fortaſſe ſecuti, qui maximè videtur in myſtica doctrina conuenire eloquentiæ, & huic arti Rhetoricæ (vt poſtea fortaſſe declarabitur) ſeptem inueſtigarunt modos, quibus uniuerſam Rhetoricæ doctrinam,quam facillimê, & uariè, commódeque explicarent. Primum Allegoriam,ut ſi aliquid afferas præter ſubiectum ſtratum, atque materiam, ut ſi quis diceret ſub Antonij perſona Q.Ciceronem ſignificari, qui idem de uulgari, & mediocri oratore iudicabat. L. Craſſum ipſius Ciceronis ſuſtinere perſonam.id enim eſt παρὰ τὸ κείμενον. ideſt præter rem ſubiectam. deinde expoſitionem προφήγησιν cum quaſi compendia actionum, & capita contemplantes ea deducimus ad faciliorem Auditorum intelligentiam,ut ſi dicam in hoc primo lib. diſputari de ſtudijs oratoris, breuiterq́ue quaſi totius compendium proponam, & explicem dilucidius,atque planius. tertio artem cum aliquid ex his, quæ continentur arte, in arte tradenda poſitum declaramus, ut ſi dixero hoc eſſe proœmium huius primi libri conſcriptum a Cicerone, ad Ariſtotelis imitationem,qui libris Exoteri cis, atque Dialogis ſolebat præponere procemia a materia ipſa ſeiuncta, neque interrogationibus, ut facit Plato,& dialogis conciſa, de quo Cicero lib.4. ad Atticum itaque cogitabam,quoniam in ſingulis libris utor proœmijs, ut Ariſtoteles in ijs, quos ἐξωτερικὺς uocat aliquid efficere, ut non ſine cauſa iſtum appellarem,neque quemquam moueat, quod eo loco de libris de R.P. loquatur, nam paulo ante mentionem horum quoque Dialogorum facit,& in his eo uſum ſe inſtituto declarat,ſed noſti genus Dialogorum meorum,ut in oratorijs, quos tu in Cœlum fers. Deinde adderem ex Doctrina Hermogenis, ſumptum eſſe hoc proœmium ex primo illorum quatuor, quos tradit ipſe fontes inuueniendorum proœmiorum,nempe ex ὑπολήψεως, ideſt opinione tum perſonę Ciceronis, & Q. Fratris, tum rerum τῶν πραγμάτων, quæ explicantur cum ſuorum temporum querela, poſtremo etiam ex eadem Hermogenis doctrina dicerem quatuor illas proœmij partes in hoc quoque reperiri,eſt enim duplicata πρότασις cogitanti mihi, & Ac fuit tempus illud, prima uniuerſalis, altera ſingularis de ipſo Cicerone. κατασκευὴ autem altera pars ideſt confirmatio: nam qui locus ἀπόδοσις. ideſt redditio,ſed tamen in his,uel aſperitatibus βάσις poſtremo in illis. Tibi uero frater. quarto Hiſtoriam quam tria

complecti

complecti dicunt tempora, perſonas, & cauſas, vt ſi dixero hos dialogos fuiſſe à Cicerone editos anno nono poſt conſulatum, & de L. Craſſo de Marco Antonio, Sceuola, ſulpitioque, & Cotta ea afferam, quæ ab ipſis poteſtis diſcere interpretibus; cauſas deniq; fuero ex ipſo Cicerone colligens perſecutus huius conſcribendi dialogi. quinto figuram, vt ſi aperuero, quæ ſint in hoc procœmio figuræ, tum ſententiarum, tum verborum, tum ſtructuræ. ſexto ideam, vt ſi dixero hoc procemiũ eſſe ἠθικὸν. ideſt morata oratione expreſſum, habere itidem σεμνότητα, & alias formas quamplures. ſeptimo & poſtremo τὴν τοῦ κειμένου σαφήνειαν rei ſubiectæ explicationem, in qua rurſum tria ſunt enucleanda ἐνθύμημα. ideſt ſententia, λέξις, & σύνταξις dictio, & coagmentatio, ſiue ſyntaxis.

COGITANTI MIHI SÆPENVMERO. obliqua verborum conſecutione inchoata eſt oratio, vt maior illi grauitas, ineſſe videatur. πλαγιασμὸν vocat hanc Hermogenes, eiusque contrariam ὀρθότητα, ideſt directam conſecutionem, & hanc efficere καθαρὸν λόγον affirmat, illam vero περιβολικὸν circumductam, & exaggeratam. Demetrius vocat πλάγιον, & εὐθὺ, & in eandem ſententiam dixit πολλαχοῦ δὲ καὶ τὸ πλάγιον μεῖζον τοῦ εὐθέος. ideſt multis in locis obliqui caſus magis exaggerant orationem, quam recti. & P. Victorius in ſuis in Demetrium Comment. in eo loco pro exemplo obliquæ conſecutionis verborum hunc Ciceronis locum adducit dicens. Nam quin illud Ciceronis eiuſdem huius generis ſit dubitari non poteſt. Cogitanti mihi ſæpenumero &c. & profecto eſt totum hoc procœmium circunductum. hanc enim maximè formam procœmijs conuenire dicit Hermogenes.

VEL IN NEGOCIO SINE PERICVLO. Simile illud Ariſtotelis in 8. politicorum de Muſica. διὰ τὸ μὴ μόνον ἀσχολεῖν ὀρθῶς, ἀλλὰ καὶ σχολάζειν δύνασθαι καλῶς.

ÆTATIS FLEXV. metaphora ſumpta à Curuli certamine, in quo rectum ſpatium curriculi decurritur, deinde ad metam curſus inflectitur, & ſepties illa circumdatur. ut Propertius autor eſt.

Non prius inflecto depoſcit præmia Curſor.
Septima quam metam triuerit arte rota.

In quo illud ex rè nata notandum Caſsiodorum, & multos alios exiſtimare ſeptem fuiſſe metas, quas græci καμπτῆρας vocãt, in circo maximo, quas omnes, qui curſu certarent, ſemel circundarent, alios vero duas tantum arbitrari, quas ſepties tamen circunluſtrarent, alios vero vnam tantum, de qua Horatium locutum volunt

Qui cupit optatam curſu contingere metam. item
metaque feruidis euitata rotis. Iſidorus Hiſpalenſis lib.

18. videtur exiſtimare ſeptem fuiſſe ſpatia, & unam meta m.his ver bis. Septem ſpatia Quadrigæ currunt referentes hoc ad curſum ſeptem ſtellarum, quibus mundum regi dicunt, ſiue ad curſum ſeptem dierum potentiũ, quibus peractis vitę terminus conſumatur, quorum finis eſt meta. ideſt iudicium. hac etiam metaphora vſus pro Cœlio, In hoc ætatis flexu fama adoleſcentis hæſit ad metas.

IN EO MAXIMÆ MOLESTIARVM. moles moleſtiarum in ſcriptis libris legitur, quam etiam lectionem probat P. Victorius, & mihi longè melior videtur, cum ratione tranſlati verbi, vt hæc mollior, & frequentior metaphora leniat ſubſequentem tempeſtates, quæ uidetur longiuſcule repetita. tum etiam concinnitatis gratia, Habet enim neſcio quid venuſtatis, illa alliteratio, quam tamen nonnulli uitioſam putant, qui niſi Quintilianum haberent ſuæ opinionis autorem, auderem dicere, quod parum aſſuetas aures Ciceronis lectioni, & concinnitati notandæ haberet, ſed illi ignoſcendum. fas eſt enim opere in longo obrepere ſomnum, ut de Homero dixit Horatius, nec paucis offendi maculis decet in eo, qui multa præclare ſcripſerit, atque notauerit. iſti uero qua ratione ſe tueri poſsint, uideant.

NEQVE VERO particula hæc vero videtur abundare, & elegantiæ gratia interpoſita, ut in oratione pro Marcello, nec uero disiunctiſsimas terras citius cuiuſquam paſsibus potuiſſe peragrari. vbi etiam illa particula vero abundat παρέλκει, ciuſmodi multa apud græcos, & multo etiam plura, quam apud latinos abundare ſolent, vt μᾶλλον πρὸς καὶ, ὢ, εἶναι, & alia de quibus vide qui de Attica potiſsimum lingua ſcripſerunt, vt Henr. Steph. Vel hæc particula habet vim connectendi, & idem eſt ac ſi dixiſſet, & neque. nam infra quoque ſic ea eſt vſus, Tibi vero frater &c. & ſic erit alter Atticiſmus duplicandi particulas eiuſdem naturæ, quo frequenter vtitur Cicero, vt quidem certè de quo alio loco. alias erit repetitio ſuperuacanea ſuperiorum, cum dicat Ac fuit, vel eſt ἐπεξήγησις ad amplificationem querelæ temporum. vel reſpondet ſuperiori propoſitioni de ocio & negocio. vt periodus Ac fuit. probet in negocio ſine periculo non verſatum Ciceronem, altera. Neq; vero, in ocio nequiuiſſe conquieſcere.

ET CONSVLATV DEVENIMVS. nonnulli legunt a Conſulatu, ego non mutandam lectionem exiſtimo, ſed ſubintelligendam particulam in. frequens enim eſt hic vſus, & conſuetudo apud Ciceronem, vt quaſdam interdum libens particulas deſiderari velit.

OBIECIMVS HIS FLVCTIBVS. allegoria ſumpta a mari ad populi tumultus, & ſeditioſas Catilinæ, & aliorum conci-

concitationes,ob quas mox ipſe in exilium pulſus eſt : tam autem familiaris eſt hæc allegoria, & comparatio Ciceroni, vt ſæpiſsime ea vtatur,reciproca enim eſt à mari ad populum, & à Populo ad mare, in Oratione pro Plancio,noſtrum autem eſt, qui in hac tempeſtate populi iactamur, & fluctibus ferre modice populi voluntatem, & mox Campus,atque illæ vndæ comitiorum, vt mare profundum,& immenſum ſic efferueſcunt:quodam quaſi æſtu, vt ad alios accedāt, ab alijs recedant. Pro L.Murena, Quod fretum, quem euripum tot motus, tantas,tam varias habere putatis agitationes fluctuum,quantas perturbationes,& quantos æſtus habet ratio Comitiorum? Dies intermiſſus, aut nox interpoſita ſæpe perturbat omnia,& totam opinionem parua nonnunquam commutat aura rumoris. & paulo poſt, Vt tempeſtates ſæpe certo aliquo Cœli ſigno commouentur, ſæpe improuiſo nulla ex certa ratione, obſcura aliqua ex cauſa concitantur, ſic in hac comitiorum tempeſtate populari ſæpe intelligas quo ſigno commota ſit ſæpe ita obſcurata eſt, vt caſu excitata eſſe videatur. Pro A.Cluentio. ex quo intelligi potuit, id quod ſæpe dictum eſt,vt mare,quod ſua natura tranquillum ſit ventorum vi agitari,atque perturbari, ſic & populum Romanum ſua ſponte eſſe placatum, hominum ſeditioſorum vocibus, & turbulentiſs. tempeſtatibus concitari. Ouidius quoque hac uſus eſt comparatione lib. 5. Metamorph.

Inque repentinos conuiuia verſa tumultus
Aſſimilare freto poſſis, quod ſæua quietum
Ventorum rabies motis exaſperat vndis.

& ſtatius Papinius lib. 5.

Sic ubi diuerſis maria euertere procellis
Hinc Boreas, Eurusque illinc niger imbribus Auſter
Pulſa Dies, regnantque hyemes, venit æquoris alti
Rex ſublimis equis, geminusque ad ſpumea Triton
Frena natans late pelago dat ſigna patenti,
Et iam plana Thetis,monteſque, & litora creſcunt.

Vergilius contra vſus eſt in primo a populo ad mare,

Ac veluti magno in populo cum ſæpe coorta eſt
Seditio, ſæuitque animis ignobile vulgus
Iamque faces, & ſaxa volant furor arma miniſtrat.

T.quoque Liuius huius ſimilitudinis mentionem facit.lib.38.vbi ſic ait Athenienſis legatus Leon Iceſiæ filius eloquentia etiam dicitur mouiſſe, qui vulgata ſimilitudine,mari tranquillo quod vētis concitaretur, æquiparando multitudinem Ætolorum, vſus, cum in fide Romanæ ſocietatis manſiſſent inſita gentis tranquillitate qui eſſe eos aiebat.

aiebat. Poſtquam flare ab Aſia Thoas, & Dicæarchus, Ab Europa Meneſtas, & Democritus cæpiſſent, tum illam tempeſtatem coortam, quæ eos apud Antiochum, ſicuti ad ſcopulum intuliſſet.

NON SANE SATIS EXPLICATA RECORDATIO. Audomarus Talæus Petri Rami Theſeus appellatus videtur quaſi referre illud non ſatis explicata ad controuerſiam ſermonis, habitæque diſputationis inter Craſſum, & Antonium, ſed hoc quam recte facile quiuis intelligit. illud obiter hoc loco admonebo de recordatione videri Ciceronem Socratis ſententiam probare, qui volebat diſcere eſſe reminiſci. de qua vide Phædonem Platonis.

AC MIHI QVIDEM notent ſtudioſi adoleſcentes adamatam hanc particulam à Cicerone, ter enim hucuſque repetiuit, ac fuit tempus, ac mihi repetenda eſt. ac ne quis forte, & mox, ac me illud quidem; ac primo quidem, ac mea quidem. Vbi obiter duo alia annotabunt primum tertio loco conſequi, vt plurimum particulam quidem. item ſemper biſyllabo verbo excipi, & ut plurimum breuibus, vtriſque, ut ſunt mihi, fuit, mea.

NAM QVOCVNQVE (per contentionem aliorum probat oratoris excellentiam cum ſeptem porro ſummis omnium hominibus comparat Impp. ſenat. philoſophis, Mathematicis, Muſicis, Grammaticis, & Poetis, non ſine maximo myſterio hoc uſus numero, qui maximum habet cum eloquentia coniunctionem, & affinitatem. Nam vterque virgo eſt appellatus, Cicero Virginem eloquentiam appellat, & Mathematici Virginem hunc numerum, eloquentia ſub Palladis, & Apollinis tutela eſt, & hic numerus horum vtrique eſt dedicatus, & Sacer. eloquentia poſtremo hoc vno numero conſtat, nam ſeptem dicendi formæ conſtituuntur ab Hermogene, quod hoc vno numero contineatur vniuerſa eloquentia, quod non ſolum Veteres illi animaduerterunt, vt multis nos demonſtrabimus alio loco, ſed ex recentioribus quoque multi, ut Iulius Camillus in Topicis, & in ſuo Theatro eloquentiæ, quod hoc vno numero conſtruxit, vt ex illius idea, quæ extat, apparet.

QVÆ RECONDITIS IN ARTIBVS περίφρασις artium liberalium, nam illiberales quoq; ſunt artes, quibus non comparat orat. ſic paulo infra laudandarum artium procreatricem philoſophiam uocat de liberalibus intelligens.

QVIS IGNORAT II. notent adoleſcentes elegantiæ gratia ordinem ſtructuræ non ſeruatum, cum ſecũdum leges Grammaticorum debuiſſet dicere, quanta ij.

MATHEMATICI VOCANTVR. Mathematicos appellatos Pythagoræ diſcipulos docet A. Gellius, qui iam ἐχεμυθίαν exceſsiſſent, vide lib. 1. cap. 9. item illud etiã non fuerit alienum anotaſſe,

taſſe, quod quatuor difficultates proponit in mathemat.ſtudijs obſcuritatem, reconditum Artificiũ, multiplicitatem, & ſubtilitatem. QVIS MVSICIS, QVIS HVIC STVDIO LITTERARVM, QVOD PROFITENTVR II, QVI GRAMMATICI VOCANTVR. Locus iſte mihi videtur valde lubricus, perque difficilis. nam non dicendum eſt, quod Gallus Interpres aſſerit, ſeparaſſe Muſicos Ciceronem à cæteris Mathematicis, qui licet principia Mathematicis quærant tamen magna ex parte naturæ ſpectant obſeruationem omne genus ſonorum ſponte fundentis; non enim credibile eſt voluiſſe Ciceronem ab omnium acceptiſsima ſententia diſcrepare nulla præſertim allata ratione, aut cauſa, vt ſolet cum ab alijs diſſentit, ſed per muſicos arbitror intellexiſſe genus aliud eruditorum, qui in multiplici rerum varietate, & ſcientia verſantur, & fortaſſe idem voluit eſſe cum ea, quæ appellatur Humanitatis doctrina, coniunctæ enim ambæ erant iſtæ artes, vnde Apollo vtrique præeſt, & Muſæ præter eruditionem muſicum ſingulæ tenent inſtrumentum, à quibus dicta eſt muſica, hocque verbum non ſolum complectitur illam, quæ inter Mathematicas cenſetur Muſicam, ſed neſcio quid aliud longe diuerſum, & reconditum, & ad penitus abſtruſam rerum cognitionem pertinens. Et ἄμουσος apud græcos communi notione pro indocto accipitur, quare in prouerbij quoque locum ceſsit, de quo vide Adagia, & apud Comicos, qui litteras didiciſſe negant aiũt ſe non didiciſſe muſicam. vt apud Ariſtoph. in equitibus Agoracritus ἀλλ᾽ ὦ ἀγαθὲ, οὐδὲ μουσικὴν ἐπίσταμαι, ſed ò bone neq; Muſicam ſcio, vbi interpres τὴν ἐγκύκλιον παιδείαν circularẽ eruditionẽ exponit, qua ẽt in notione accepit Terentius in prologo Heautont. ſtudiũ muſicũ appellans, & in Hecyra artẽ muſicam. Auſonius in Epiſtola ad Paulum ſuum. nam qui ipſe facundus, & Muſicus editioni alienæ prolectat audaciam, conſilio quo ſuadet, exterret, & mox in eadem notionem dixit de largitate muſicæ promptarij, item minorem Atridam præterit orando pauca, & Muſica, Terentius Maurus dixit

cognoſcere Graios.

Quorum præcipue ſtudijs pars Muſica conſtat

Et Euripides dixit indoctos videri in vulgus magis muſicos ideſt literatos in Hipp. Coron. ἔχει δὲ μοῖραν καὶ τόδε. οἱ γὰρ ἐν σοφοῖς φαῦλοι παρ᾽ ὄχλῳ μουσικώτεροι λέγειν. Strabo in decimo aſſirmat à Pythagora, & Platone Philoſophiã Muſicã appellatam, & Socrates apud Platonem in Phædone ab oraculo admonitus, vt Muſicam exerceret Philoſophię operam dabat ὡς φιλοσοφίας μὲν οὔσης μεγίστης μουσικῆς inquit Plato, quaſi Philoſophia maxima eſſet Muſica, & Atheneus lib. 14. τῶν δειπνοσοφιστῶν, inquit τὸ δ᾽ ὅλον ἔοικεν ἡ παλαιὰ τῶν ἑλλήνων

σοφία

σοφία τῇ μουσικῇ μάλιστα εἶναι δεδομένη, καὶ διὰ τοῦτο τῶν μὲν θεῶν Ἀπόλλωνα, τῶν δ' ἡμιθέων Ὀρφέα μουσικώτατον, καὶ σοφώτατον ἔκρινον. i. Omnino vero antiqua videtur græcorum Sapientia Muſicæ potiſsimum fuiſſe coniuncta, & propterea ex Deis Apollinem, ex ſemideis Orpheum perfectiſs. Muſicum, & ſapientiſsimum iudicarūt. & ibi multa præterea. Quintilianusque tale quiddam lib. 1. cap. 10. affert.

QVÆ SEMPER ELOQVENTIÆ PRINCEPS ESSE VOLVIT. voluit, ſed non potuit ſemper. oblique enim, & tacite hoc loco ſuam laudem inſerit Cicero cupidiſsimus homo laudis. Vulgatum enim eſt illud Apollonij Molonis iudicium græcæ etiam eloquentiæ Ciceroni primas deferentis, quique Poſsidonium. Virum eruditiſsimum, & totam Græciam præclaris illis de ſuis temporibus Commentarijs à ſcribendo deterruit.

AC PRIMO QVIDEM TOTIVS RATIONIS IGNARI. incunabula prima, & originem tangit artis, ex harum enim duarum obſeruatione ortam aſſerit Ariſtoteles primo Rhetoricornm quod alij caſu, alij habitu, & vſu quoddam in dicendo finem artis, quod eſt perſuadere, aſſequebantur, quod etiam in ſecundo ipſe ad verbum pœne ex Ariſt. expreſsit. Etenim cum plerique temere, ac nulla ratione cauſas in foro dicāt, nonnulli autem propter exercitationem, aut propter conſuetudinem callidius, id faciant, nō eſt dubium, quin ſiquis animaduerterit quid ſit, quare alij melius, quam alij dicant id poſsit notare.

QVANTVM INGENIO, ET COGITATIONE POTERANT. quatuor quaſi gradus conſtituunt Rhetores, quibus ad eloquentiæ perfectionem peruenitur, vt Hermogenes, & alij primum τὸ δὲ τῆς φύσεως naturæ bonitatem ſecundo ζῆλον τῶν παλαιῶν imitationem veterum, tertio τέχνην artem, poſtremo συνήθειαν vſum, quæ omnia hoc loco attingit Cicero in ingenio naturæ dotes, in græcis oratoribus imitationem, in adhibitis doctoribus artem, poſtremo vſum frequentem, qui omnium præcepta ſuperaret. Horum meminit Quintilianus in tertio his verbis. Facultas orandi conſumatur natura, arte, exercitatione, cui quartam partem adijciunt quidam imitationis, quam nos Arti ſubijcimus à quibus parum videtur ea differre, quę poſuit Apollonius philoſophus Pythagoricus in quadam ad Euphratem epiſtola, quæ ſecunda legitur ait enim ἡ ἀρετὴ φύσει, μαθήσει, κτήσει, χρήσει idest virtus conſtat natura, diſciplina, poſſeſsione, vſu.

AMPLISS. ELOQVENTIÆ PROPOSITIS PROEMIIS. pugnare videntur hæc cum eo, quod ſcribit in Bruto vbi ait. Sed eos oratores habitos eſſe, aut omnino tum vllum eloquentiæ præmium fuiſſe, nihil tunc mihi legiſſe, videor: pugnant enim

enim eſſe, & non eſſe propoſita præmia. ſed ſi quis notet particulam illam tum, intelliget antiquitus nulla quidem fuiſſe propoſita præmia, cum arti tantum militari honos haberetur, togaque armis cederet, tempore vero Ciceronis aliam fuiſſe rationem cum .ſ. toga floreret, & ampliſsima tunc fuiſſe eloquentiæ propoſita præmia.

VSVS FREQVENS, QVI OMNIVM MAGISTRORVM PRÆCEPTA SVPERARET. in hanc ſententiam dixit alibi caput artis eſſe quamplurimum ſcribere, & ſtilum optimum dicendi magiſtrũ, & artificem appellat, ipſeque re ipſa comprobauit, qui etiam cum philoſophiæ operam daret, nullum dicit vacuum habuiſſe ab oratorijs exercitationibus diem.

EST ENIM ET SCIENTIA COMPREHENDENDA. ſeptem res enumerat, quibus perfectam illam perfici, & abſolutam eloquentiam affirmat ſcientiam rerum plurimarum, conformationem orationis per electionem, conſtructionemque verborum, animorum impellendorum rationem, leporem, & vrbanitatem, antiquitatis, iuriſque ciu. cognitionem, actionem, ſeu pronunciationem, & memoriam, neque id ſine myſterio, vt ſupra etiam eſt animaduerſum, nam conſtat ſeptenario potiſsimum numero contineri eloquentiam, quare etiam ſibi faciendum arbitratus eſt Cicero, vt ſeptem libros de hac orator. facultate ſcriberet, nempe de inuentione, Topica, Partitiones, hos dialogos de orat. Brutum; Oratorem, & de perfecto genere Oratorum.

ETENIM EX RERVM COGNITIONE. coniungendas eſſe præcipit orationem, atque rationem, linguam, atque cor, res, & verba, quæ vt corpus, & anima ſeiungi, atque diuelli, ſine interitu non poſſunt.

QVOD NON IMPENDERE MVLTO ANTE VIDISSENT. Hoc præſagiendi, & quaſi diuinandi munus tribuit in ſecundo libro Lucanus Antonio, vel ex hoc fortaſſe Ciceronis loco Admonitus cum ait *aut te præſage malorum,*

Antoni, cuius lacerum pendentia canis,
Ora ferens miles feſtæ rorantia menſæ,
Impoſuit, truncos lacerauit Fimbria Craſſos.

In quo etiam obiter animaduertes. legi in quibuſdam non multo, ſed tanto.

CVM LAVTI ACCVBVISSENT. de lauandi ratione, item de accumbendi modo in cænis, vide Mercurialis Gymnaſticam.

VT DIES INTER EOS CVRIÆ. Diem ſenatus omnes fere interpretes intelligunt propter ſuperius habiti ſermonis grauitatem. Quidam vero recentiores, Diem Curiæ, Diem quo Cu

riales rem diuinam in ſua Curia faciebant, accipiunt, quod mæſtus omnis inde ſermo, & triſtis exuleret, quorum a numero, immo princeps eſt Turnebus lib. 12. Aduerſariorum, vbi multos etiam ex hoc ipſo libro locos attingit, & explicat.

CVM ILLI MAIORES NATV SATIS QVIESCENT. ſeruat hoc loco τὸ πρέπον. Nam facit in Villa Senatores, diutius quàm Adoleſcentes quieſcere, quia vacui erant à priuatis, publicisq; negocijs, quod ſi in Vrbe fuiſſent, cum ſummis de rep. curis, atque negocijs implicarentur, non conſonum fuiſſet, ſed ἄπρεπον. ſecundum illud Homericum.

οὐ χρὴ παννύχιον εὕδειν βουληφόρον ἄνδρα,

ᾧ λαοί τ' ἐπιτετράφαται, καὶ τόσσα μέμηλε.

quem imitatus Sillius Ital. lib. 13. facit Mercurium dormientem Annibalem monitis inceſſere amaris.

Turpe duci totam ſomno traducere noctem.

O Rector libyæ, vigili ſtant bella Magiſtro.

Treſsinus vero Hetruſce in Italia liberata (ſic enim Poema illud inſcripſit) ita vertit.

Non deue mai dormir tutta la notte,

Quel che ſiede al gouerno delle genti.

Sed elegantiſsime omnium meo quidem iudicio Antonius de Tempo ęqualis Petrarchę, in quadam odecula, ſeu epigrammate, quod vulgo dicitur ſonetto, expreſsit.

Non deue tutta notte ſtar poſando

Huomo, che deue conſigliar aſſai.

in quam ſententiam dixit etiam Tibullus.

Somnus ſollicitas deficit ante domos.

& ex his locis, & ex huius dialogi occaſione captata colligito, quę ſunt in Dialogis potiſsimum animaduertenda, vt ſcilicet habeant τὸ πρέπον decorum, & πιθανὸν, ideſt perſuaſibile.

NEQVE VERO MIHI QVICQVAM. quis iam temere hoc factum audeat affirmare, & caſu, non ſummo conſilio, & induſtria? cum Cicero, nam ſolum cum ſeptem compararit eloquentiam, atque ex ſeptem potiſs. rebus conſtare dixerit, quod ſupra demonſtrauimus, ſed etiam nunc à ſeptem potiſſ. rebus eam laudet? cum mos fuerit Romanorum, vt numerorum myſteria ſequerentur, quod facile apparet ex Plutarcho in ſecundo Problemate, vbi rationes affert cur quinque tantum, neque plures, neque pauciores adhiberent in Nuptijs tædas cereos appellatas κηρίωνας, & in Problem. 69. vbi quærit cur ſeptimontium agerent feſtum Romani, quod ſcilicet eo tempore celebrabant, quo facta eſt Roma ἑπτάλοφος, ideſt ſeptem Collium propter. ſ. ipſius, quaſi abſolutionem

nem Vrbis, & perfectionem, quod tunc factum ex numeri perfectione exiſtimarunt, & eam appellatam quoque ſeptimontium nonnulli dicunt, vt Faunus, & Fuluius, cæteriq; antiquitatis ſtudioſi narrant, ſed clariſsime omnium eam rem declarauit Iuſtinianus in præfatione, in Pandectas ad Senatum his verbis, & in ſeptem partes eos digeſsimus, non perperam, neque ſine ratione, ſed in numerorum naturam, & artem reſpicientes, & conſentaneam eis diuiſionem partium facientes. & in græca βουλῇ, καὶ τῷ δήμῳ ſenatui, & Populo ὅπερ βίβλιον δίγεστα, εἴτε πανδέκτην προσηγορεύσαμεν, ἔκ τε τῶν νόμων ἔχειν διαιρέσεις τε, καὶ διατυπώσεις ἐκ τε τοῦ τὸ πᾶν εἰς ἓν ἀθροισθὲν ὑποδέξασθαι ταύτην αὐτῷ θέμενοι προσηγορίαν, οὐ περαιτέρω δὲ πέντε καὶ δέκα μυριάδων στίχων ἀριθμὸν αὐτῷ δόντες, καὶ εἰς ἑπτὰ τοῦτο διαθέμενοι, πραγματείας. καὶ τοῦτο οὐ παρέργως, ἀλλὰ τῆς τῶν ἀριθμῶν φύσεως στοχασάμενοι. ideſt quem librum digeſta, ſiue Pandectam nominauimus, tum quod legum contineat diuiſiones, & inſtitutiones, tum quod omnia congeſta complectatur, hoc illum vocabulo appellantes. non maiorem vero quam centum millia verſuum numerum illi tribuimus, & in ſeptem hunc digeſsimus tractatus, & hoc quoque non temere, ſed in numerorum naturam reſpicientes.

QVÆ VIS ALIA POTVIT. videtur ſibi non conſtare Cicero, cum hæc eadem tribuat in Tuſc. quæſtionibus philoſophiæ, ſed tantum abeſt vt ſibi non conſtet, vt quam maxime etiam conſtet, nam in vtroque loco idem dicit. hic enim perfectam eloquentiam intelligit, quæ ſine philoſophia eſſe non poteſt, illic perfectam philoſophiam, quæ nudata eloquentia nulla dici poteſt, cum altera animi, altera corporis vicem gerant, altera linguæ, altera cordis, quorum diſsidium ſine vtriusque interitu, fieri non poteſt, quare merito deflet Philoſtratus hanc ſeiunctionem philoſophiæ ab eloquentia, quam nonnulli ex græcis illis facere aggreſsi fuerãt, vt nunc eſt fere in omnibus.

VT VOBIS HONORI. admouet ſtimulos, & faces cohortationis gloriæ ſimul, & vtilitatis quaſi igniculis aſperſas, quibus maxime mouentur homines & ad aliquid agendum impelluntur, & eſt amplificatio per gradus, prima enim charitas (vt vulgo etiam dicitur) incipit a ſe ipſo, mox transfunditur in amicos, poſtremo quaſi rurſus ſe ipſam totam colligens in Patria deſinit, quæ omnes vna charitates complexa eſt, vt alibi ipſe dixit.

VEREOR VT. admonent Grammatici nunquam dictum à Cicerone vereor quin, ſed vel ne, vel vt, inter quę tamẽ diſtinguendum arbitrantur, vt vereor vt ſignificet eum, qui dicit cupere, ſed non poſſe, vt hoc loco vereor vt tibi poſsim concedere, vellem equidem, ſed non poſſe vereor. vereor ne, contra nolle, ſed ne id eueniat

dubitare, vt vereor ne quid ſtulte facias. illud præterea non contemnendum, quod pro eo, quod dicimus non dubito quin, nunquam dixit Cicero non vereor quin, ſed non vereor ne non; ut in ſecundo fam. ad Curionem. Non enim vereor, ne non ſcribendo te expleam.

QVOD REMOTO FORO, CONCIONE IVDICIIS SENATV, notent adoleſcentes ad euitandam ſimilitudinem in oratione, quæ eſt ſatietatis mater, varietate locutionis adhibita eandem Craſsi ſententiam repetitam alijs verbis. age vero ne ſemper forum, ſubſellia, roſtra, curiamque mediteris.

EXACTIONEM MENTE NON LINGVA PERFECTAM. Videtur non ſibi conſtare Cicero, nam in Bruto lingua potius, & oratione id factum aſſerit, cum dicat de hoc locutus. Quod certe effici non potuiſſet, niſi eſſet oratione perſuaſum, cuius teſtimonio ſubſcribere videntur Dionyſius, atq; Liuius, qui dicunt longas etiam ab illo habitas orationes. Verum hoc loco non ex hiſtoriæ veritate loquitur, ſed Sceuolæ id perſonæ tribuit rem ad ſuum propoſitum detorquentis.

DETRIMENTA PVB. REB. QVAM ADIVMENTA. hæ dictiones, & verba quaſi inter ſe pugnantia, & ſimiliter etiam cadentia, mirifice exornant orationem, & eas ſtudioſe videtur Cicero conſectari, ſic ſuperiori membro plena conſiliorum, inania verborum, & in principio, vel in negocio ſine periculo, uel in ocio cum dignitate, & in Bruto Citius veteratoriam, quam oratoriam diceres, in ſecundo de orat. non exornatores rerum, ſed narratores, hæc ἀντίθετα, vel ἀντιθέσεις, à græcis appellantur, & hoc elocutionis genus valde probabat Theophraſtus, de quibus etiam Ariſtoteles in tertio Rhetoricorũ. Hermogenes vocat, ἀντικειμένας λέξεις, & multam dicit vim habere, ad venerem, & ornatum orationi accerſendum. Cicero in Oratore dicit hæc eiuſmodi eſſe, ut numerum Oratorium neceſsitate ipſa efficiant, & eum ſine induſtria, & hoc genere ueteres delectatos dicit, maxime Gorgiam, cuius in oratione plerunque efficiebat numerũ ipſa concinnitas, ſeque etiam in hoc genere frequentem eſſe confitetur, multaque ex ſuis affert exempla.

EGO VERO SI VELIM. commune hoc eſt omnium bonorum mortaliũ, vt poſsint quoque conuerti ad pernitiem, ſic elementa omnia, quæ ad hominum vtilitatem à Deo data ſunt, ſic robur corporis, ſic artes humanæ, & alia eiuſdem generis ſi quis abutatur ex emolumento abeunt in detrimentum, & damnum aliquando, ſit quoque eloquentia, hanc rem confirmat Ariſtoteles primo Eth. primo Rhet. Cicero in Procemio de inuent. Gorgias apud Platonem in ſuo dialogo, & Socrates apud Xenophontem in Sympo-

ſio

ſio. Quintilianus lib. 2. quæ omnia ne longum nimis faciam prætereo. Ouid. 1. eleg. de Triſt.

Nil prodeſt, quod non lædere poſsit idem.
Igne quid vtilius, ſi quis tamen vrere tecta
Comparat, audaces inſtruit igne manus.
Eripit interdum modo dat medicina ſalutem,

& alia multa, quæ ſequuntur. Terentius lepidiſsime in Heautontimor. quid reliquum eſt, quin habeat, quæ quidem in homine dicuntur bona parentes, Patriam incolumem, amicos, genus cognatorum, diuitias; atque hæc perinde ſunt ac illius animus, qui ea poſsidet, qui vti ſcit, ei bona, qui nō vtitur recte, mala, quod videtur ſumpſiſſe ex Mneſitheo. qui de Vino (vt citatur à Minturno lib. 5. Poet.) dicebat.

Vinum dediße iam Deos mortalibus
Bonum modeſte vtentibus contra malum.

Dionyſius longinus in hanc ſententiam in ſuo libello περὶ ὕψους ἀφ' ὧν γὰρ ἡμῖν τἀγαθὰ ἀφ' αὐτῶν πύτων καὶ τὰ κακὰ γίγνεσθαι φιλεῖ. a quibus nobis bona, ab eiſdem fere & mala proficiſci cōſueuerunt.

EXCEPTIS CRASSE VOBIS DVOBVS. nam in bruto in illis Craſſo ſcilicet, & Antonio primum dicit cum græcorum gloria latine dicendi copiam æquatam.

NISI IN TVO REGNO ESSEMVS. in tuo fundo poſſeſsiones enim ſuas per iocum veteres regna appellabant, ſic Vergilius.

Poſt aliquot mea regna videns mirabor ariſtas.

VINDICARENTQVE ORNATI HOMINES. Vindicare erat apud Romanos verbum iuris, quod vſurpabatur in ea actione, qua quis ab eo qui poſsidebat petebat hæreditatem, & vindicabat, & præde litis vindiciarum ſatiſdationem petebat à poſſeſſore.

FONTE, ET CAPITE SOCRATE. notent eruditi, elegantiſque compoſitionis ſtudioſi adoleſcentes tria hæc verba in eadem Syllaba deſinentia ſic in orat. erudite repugnante te, & hoc ipſo libro quattuor pene coniungit verba deſinentia in ore, aut facultate diſcendi maiore, ac maturiore; & labore, atque induſtria ſuperiore, quod etiam eleganter in principijs vſurpatur, vt pro M. M. ipſam Victoriam viciſſe videris, & in primo de officijs ſi ſint ſimulacra virtutis.

SINGVLÆ FAMILIÆ LITEM. Petrus Victorius lib. 9. variarum lectionum dicit quas familias philoſophorum hoc loco vocat Cicero græcos ſcriptores appellaſſe γένη verbumque, iſtud omnibus modis latino reſpōdere, animaduertendum præterea

docet

docet quod aſsimile huic eſt, quas Cicero vocare conſueuit nationes, vt nationem candidatorum, Publicanorum, optimatium, eodemque pacto, & verbo, quod huic reſpondet ἔθνος à græcis ſcriptoribus appellari.

VNA PENE REPELLI, EXCLVDI AB OMNI. copula & omiſſa, quod frequẽter facit Cicero, vt nos alibi annotauimus, nam nimis accurata illa coniunctionum coagmentatio, & diligentia detrahit multum dignitati orationis, vt optime annotauit Demetrius, Phalereus, qui ait χρὴ δὲ καὶ συνδέσμους μὴ μάλα ἀνταποδιδόσθαι ἀκριβῶς, μικροπρεπὲς γὰρ ἡ ἀκρίβεια. id eſt, ſed nõ opus nimis accurate reddere coniunctiones, nimium enim ſtudium detrahit dignitati orationis.

IVRE AVTEM IN IVDICIIS. tertio iam repetitum idem alijs verbis, quod ſupra dixit primum age vero ne ſemper forum, ſubſellia roſtra, curiamque mediteris, deinde remoto foro, concione, iudicijs, ſenatu.

QVICQVID ERIT IGITVR. rectiſsimè hoc Cicero, vel Craſſus, qui perſonam tuetur Ciceronis in his libris, vt etiam in Bruto ſæpe, & alibi eſſe Quintiliano. Nam cum eruditio, & Humanitas latius hoc nomine vſurpato, ut accipitur apud Varronem, & alios pro eo, quid dicunt græci, παιδείαν, vel ἐγκυκλοπαιδείαν, rectiſsimè diuidatur in duas partes rationem, & orationem, nulla ars, aut ſcientia, quæ omnia ſub ratione continentur, perfecta dici poteſt, ſi orationis præſidio ſit deſtituta, vnde diſsidium linguę, atque cordis a Cicerone, & omnibus reprehenditur, contra autem oratio, ſi vnicam tantum artem, & ſcientiam ſibi adiungat poteſt ad plenum quiddam, & perfectum propius accedere, & ſpetiem quandam præſeferre perfecti, quaquam ſi quis uelit plenum aliquid, atq; perfectum omnino, & omni laude cumulatum in quacunque arte opificem informare, neceſſe eſt illi omnium magnarum artium cognitionem tribuat ob eam, quam Plato affinitatem, & cognationem inter artes eſſe dixit, quare nemini debet mirum hoc uideri, nam perfectum quiddam, & exemplar ipſum quærit oratoris non qui fuerit, ſed qualis eſſe debeat, ſic in informando Poeta erit dicendum, ſic in Philoſopho, & cæteris. Hanc autem noſtram de Humanitatis orbe diuiſionem, & ſententiam tuetur etiam Romulus Amaſeus in ſuis orationibus multis in locis.

IN EO QVOD SCIRENT, SATIS ESSE ELOQV. Hanc Socratis ſententiã. Valerius Maximus, lib. 8. c. 23. confirmat, vbi ait proprio huic rei dicato capite. Suæ autem artis vnumquemque & autorem, & diſputatorem optimum eſſe ne dubitemus paucis exemplis admoneamus, &c. idem videtur uoluiſſe ſignificare

gnificare

gnificare Ariſtophanes illo verſiculo, quod in prouerbij mox ceſſit locum

ἔρδοι τις ἣν ἕκαστος εἰδείη τέχνην,

quod ita uertit Cicero.

Quam quiſque nouit artem in hac ſe exerceat.

idem Propertius.

Qua pote quiſque in ea conterat arte diem.

Ex quo etiam admonemur contra, eos, qui in alienas quaſi poſſeſſiones irruerint, & quas non didicerint, aut tenent artes, tradendas alijs ſuſcipiunt, ac profitentur, merito peregrinari, & velut in illis hoſpites iure ab omnibus explodi, atque rideri.

SI SIT EI DICENDVM. Seruius Grammaticus in ſecundo Georg. & in 2. Æneidos dicit malam eſſe compoſitionem ab ea ſyllaba incipere, in qua ſuperius verbum inſtiterit, ut illud Dorica caſtra, & illud Achaica caſtra, cuius etiã opinionis autor, & propugnator, eſt. Quintilianus, ſed doctis minime probatur hæc ſententia, quare non alienum me facturum arbitror, ſi hoc etiam loco, ut alibi quoque feci, hanc inueteratam de hac re opinionem, & horum duorum Grammatici, & Rhetoris etiam poſt Ciceronem facile Principis auctoritate confirmatam minuero, labefactaro, atque euertero. primum igitur mihi aderunt in hac cauſa ſuſtinenda Poetæ, inter quos principem tenens locum Maro, ſuam autoritatem, & teſtimonium dat. in eo enim annotauit pluſquam ducentas huiuſmodi comploſiones Erythreus, quas qui cupidi ſunt ab illo petant, deinde Tibullus omnium elegantiſsimus, & politiſsimus ſcriptor, qui iſtas veneres ſtudioſe perſequitur, quare nullam fer reperias elegiam, in qua non aliqua ſit huiuſmodi comploſio, & ſępe continuat, in ſingulis verſibus ſingulas apponens, ut elegia prima, vbi in duobus verſibus duas ponit ipſe feram, poma manu.

Ipſe feram teneras maturo tempore vites

Ruſticus, & facili grandia poma manu.

turmatim deinde alij Poetæ accedent, quorum nemo eſt, quin his utatur ornamentis, & quo melior, eo frequentius, ut ſuperuacaneũ ſit exemplis afferendis facere longius. Perhibeamus etiam Rhetoras, qui omnes noſtræ cauſæ libenter patrocinium ſuſcipiunt, & a nobis ſunt, ſed præcipuus huic patronus exiſtit Hermogenes, qui hanc figuram in ea forma, quam κάλλος, ideſt pulchritudinem uocat, ſeu ἐπιμέλειαν, accuratam orationem inter orationis ornamenta repoſuit, & ea lumina, quæ maxime illuſtrant orationem, & venerem illi accerſunt, eamque uocat ἐπαναστροφὴν. ideſt reiterationem καὶ μὴν καὶ ἡ ἐπαναστροφὴ τὸ σχῆμα τῶν καλλωπιζόντων, γίνεται δὲ ὅταν τὸ τέλος τοῦ κώλου, ἑτέρου κώλου τις ἀρχὴν ποιήσηται. & nimirum reitera-

tio

tio quoque eſt ex his figuris, quæ exornant orationem, ſitquè cum finem membri unius, alterius membri aliquis initium fecerit, vbi etiam à Thucidide, & Demoſthene adhibitam fuiſſe probat, quod a multis quoque recentioribus animaduerſum eſt, appellaturque hetruſce biſquizzo, Aduocata quoque in hac cauſa teſtimonium dicat Echo, quam omnes adamant, & uelut iucundiſsimum quiddam conſectâtur, illius enim ſuauitas non aliunde proficiſcitur, quam ex duplicatione, ſiue reiteratione eorundem uerborum, Ciceronis poſtremo ipſius autoritas, & eloquentia accedat ad ſe a calumnia uendicandum, qui non ſolum in uerſibus uſus eſt hac figura ſtructuræ inter quos ſumma iniuria à Grammaticis reprehenſus ille eſt pulcherrimus.

O fortunatam natam me conſule Romam.

quod ad illius Terẽtiani dicti exemplar videtur effictum pannis, annisque obſitus, ſed etiam in ſoluta oratione, & in omnibus orationibus, & libris, vt etiam in his oratorijs, & quoniam res agitur cum his hominibus, quorum magna eſt propter dignitatem; & tot ſeculorum aſſenſum autoritas, obruendi ſunt multitudine exemplorum, ne vlla ſpes elabendi relinquatur, & eorum, qui his fauent, elanguefcat ardor, & quoniam hos libros nunc interpretamur ex his ipſis libris omnis hæc copia ſumenda. In hoc igitur paulo ante dixit iſta tanta, tam multa, mox ea, quæ ſubſequentur, omniaque, quæ ſunt, qui quibus rebus vtilitas, commeruiſſe ſe ſe maxime confiteretur, qui quidem ſi abſolutus, qui quibus verbis coemptio fiat, qui quibus verbis herciſci oporteat, nos noſtrorum maiorum &c. in ſecundo quam quantum, quod ipſe ſentiret, græci ipſi ſic initio ſcriptitarunt, tradi non neceſſe eſſe, poſitam in infinita dubitatione, nominatim fere referre, neque in infinita temporum varietate, & ſi ſimpliciter, ſi ſigna, & notas, in increpandam Cæpionis fugam, videre reſpondit, Brute teſtificatur, niſi ſi ſe forte iactant, ſed Domina natura eſt, non eſſe ſextantis, niſi ſi quando, ſuſpendiſſe ſe de ficu, tu tuis dignus, qui quidem fere res, ſi ſic conſtitutum, niſi ſi refellemus, qui quia crebro mutantur, ſenſibus eſſe ſenſum, qui quidem cum te Catule. In tertio quam quantum a nobis exprimeretur, quamquam me met mei pœnitet, cauſæ ſeptum, non poteſt eſſe ſeiuncta, ex alterius parte tetigerunt, quantum ipſe ſentio, & inde decedens, habuiſſe depoſitum, repente te quaſi, illa laus oratoris, Bonis is verbis, ſi ſimile nihil habet, eſſe ſe ſe victurum, non ſine neruis, à doctrina deeſſe ſentio. In Bruto in inculto, erat à me mentio facta tractum eſſe ſermonem, dicendi laude delector, nec in impeditis, quam quantum ex monimentis, niſi ſi quem, qui quidem in Triumuiratu, ſic in interpretando, qui quidem cum peracutus, quæque non eſſent ſed

ita

Ita tacitus, ſi ſic, periodum appellari placet, Bononienſis is quidem, ore reſpondit Ælius, niſi ſincerum, nihil niſi ſiccum, & in inuentis rebus, ſubito totam cauſam, paulo longior vita, quam quanta in eo facultas, ita tãquã Curio, paucæ centuriæ, at in inueniendis, auſi ſint, optimæ mentis, ſi ſic ageres, ſiue veritus, nouiſſe ſermonem, auſi ſint dicere, atque ipſe ſe ſe obſeruaſſe, eadem eſſe ſententia, oratione negas, dicta tantum, doctore renouaui, neminem eſſe ſecum. In Topicis in intelligentia, ſine hæreditate teneri, qui quia coniugata, argumenta talia exiſtunt, ſi ſine parentibus, in imprudentiam, in infantiam, ſi ſit factum. In Oratore Brute teneas, repugnante te, ſimilem eſſe ſenarium, nec neceſſe eſt, è vulgari eſſe ſermone, minime mea ſententia contemnendi, eſſe ſentirem. His ſubnectam pauca quædam ex varijs Ciceronis locis, prout in mentem, & in buccam venerint pro C. Rab. arma capere, & ſe ſequi iubet, pro M. M. maluiſſe ſe non dimicare, quam vincere, quam lectionem nonnulli vitioſam credentes eſſe immutarunt, & non enim iam cauſæ ſunt inter ſe, ſed victoriæ cõparandæ. ad Quirit. poſt Reditum ſe à me eſſe ſeiunctum, & paulo ante dixerat frater erat; & mei memoriam renouaret. pro Gn. Plan. qui à me mei ſeruatorem capitis diuellat. pro Pub. Q. vt multis incommodis veritas debilitata tandem æquitate talium virorũ recreetur, vbi ſæpius repetitam eandẽ Syllabam ta videmus ſic in primo de officijs pleniore ore laudamus domino dominaris. Ipſa deniq; latina lingua procedat, vt non teſtimoniũ ſolum det, ſed iudicium ipſa pronuntiet, reportetq; Victoriam, eamque comitentur, & græca parens, & Hetruſca filia, nam illam, quis negauerit hoc genere cõploſionis delectatam? cũ tot geminata verba reperiantur, quæ ſuauiſsime aures feriunt, vt ſunt præterita illa verborũ tetigi, pupugi, cecidi, momordi, & alia ſexcenta, item nomina quãplurima, vt teterrimus, Græca vero ita contendet, vt ſine hac figura conſiſtere, ſe non poſſe exiſtimet, & de fortunis omnibus, & de capite ẽt dimicare, ſi hoc reuocetur in dubium, omnia enim ferè verba amittat in quibus ſingulis fere geminare literas in præteritis conſueuit, ex quibus ſuam exiſtere elegantiam, atque dulcedinem putat, Hetruſca vero, cum his ſit adeo referta, vt nihil fieri frequentius poſsit, omnino ſe perituram intelligit, vel vitijs fore refertiſsimã, quod vt planius intelligatur, examinetur aliqua Boccacij in hac lingua elegantiſsimi fabula, & ſexcenta in ſingulis reperientur. Verum iam fortaſſe nimia in re clariſsima, ſed ita faciendum fuit, vt res meridiana luce clarius demonſtraretur. His iam exaratis in quendam incidi P. Victorij locum, vbi noſtram hanc tuetur opinionem, ſed timide, vnum enim, aut alterum profert locum; eaque de cauſa videtur ſubuereri, quod putet hoc fuiſſe ab ipſo Iſocrate animaduer-

ſum, qui in quodam libello, qui eius nomine olim circumferebatur præcepiſſe dicitur (quemadmodum refert Hermogenis Interpres) μὴ τελευτᾶν, καὶ ἄρχεσθαι ἀπὸ τῆς ἀυτῆς συλλαβῆς, non deſinere, & incipere, ab eadem ſyllaba. Quare ne tanti Viri autoritas Iſocratis inquam elegantiſsimi omnium Oratoris, qui id nunquam dixit noſtræ cauſæ obſit, huic quoq; rei ire obuiam volumus. primum igitur hoc omnibus eſſe cupimus exploratum, & probatum, quod ex his eſt, quæ fieri non poſſunt, ut hoc præceperit Iſocrates. vt enim omittam, quod liber ille nothus fuit, eaq; de cauſa interijt, quod non eſſe Iſocratis homines cognouerunt, hoc firmiſsimum eſt argumentum atque τεκμήριον. quod refertiſsimæ ſunt Iſocratis orationis huiuſmodi feſtiuitatibus. turpe enim eſſet, & ab huius Viri prudentia longe alienum, his ipſum abundare, vel potius diffluere, quæ alijs cauenda præcepiſſet, cum idem ipſe alio loco præcipiat μὴ πράττειν ἃ τοῖς ἄλλοις πράττουσιν ἐπιτιμώης. non agere ea, quæ in alijs reprehenderes. ipſius enim Iſocratis ſunt iſta ἀδυνάτα δυνάτα καθιστῶσα, τῶν ποιητῶν τῶν προγεγενημένων, ταύταις ταῖς ἀφορμαῖς πραττόντων, ἢ τοὺς τῶν τυῤῥανδόντων, βασιλείας οἴας, τούτων τῶν ἄθλων, τῶν ποιητῶν τῶν εὐδοκιμούντων, τούτων τῶν γυμνασίων, ἐλαχίστας τὰς δὲ, ὁμοίως ὥσπερ, τῶν πολιτῶν ὢν, τῶν ἄλλων ὢν, τούτους οὓς, ταπεινῶς ὥστε, μήτε τέλος, ἐπιθεὶς τοῖς, ἐπιστήμαις αἷς, & alia ſexcenta. non enim vnum, aut alterum reperies exemplum in ſingulis eius orationibus, ſed ſingulis fere comprehenſionibus plures.

QVAS ABS TE DIDICERIT, DICENDI. eleganter vt ſupra etiam annotaui duo verba ab eadem Syllaba incipientia continuãtur, vt hoc loco, & interdum tria, vt Cicero pro M. M. ipſam victoriam viciſſe videris, & vſque ad 4. ferri poſſe exiſtimo, ſed ſi hunc numerum exceſſerint elegantiam orationis, iri violatum puto. eleganter etiam variatur vocalis in ſequẽti, vt ſupra cum cognouerit, cũ conceſſero, qui quæcunq; quod etiam elegantiſsime fit in reiteratione. de qua paulo ante diximus, vt cum Cicero dicit ab agro remotiſsimũ, vbi ò mutata eſt in è, itẽ negaſti te, & ſupra interdicto tecum, quod frequentiſsimum eſt: Non inconcinne fit interdum breui aliqua interiecta dictione, vt inferius memento inquit me non de mea, vbi eſt etiam ἐπαναστροφὴ eodem pacto facta interpoſitis duobus monoſyllabis non de me mea. quod etiã ſuperius fecit, vt me authore vnquam repugnabit, & laqueis te irretitum tenerent.

QVARE HIC LOCVS DE VITA, ET MORIBVS. Ariſtotelis ſententia, qui in Rhetorica dicit hanc facultatem eſſe παραφυὲς τῆς πολιτικῆς, ideſt ſurculum politicæ, & idem Cicero de inuentione.

IN HOC QVIDEM CERTE. hæc duo ſunt ſynonyma,

verbis, qua frequenter vtitur Cicero, & alij ſcriptores, in hiſque potiſsimum particulis, ſiue aduerbijs, ſic in oratione pro Q. Qui vt ſumma haberem omnia, temporis quidem certe vix ſatis habui, vt rem tantam, tot controuerſijs implicatam poſſem cognoſcere, & lib. 6. ep. 3. hoc quidem certè cum ſit neceſſe alterutrum vincere qualis futura ſit vel hæc, vel illa victoria, in primo de officijs mihi quidem certe vir abundans bellicis laudibus. Cn. Pompeius, multis audientibus hoc tribuit, ſic dixit in lib. de Clar. orat. ſane quidem, ſane quidem, inquit Brutus, quamquam iſta tua mihi fuit iucunda à propoſita oratione digreſsio, ſic equidem profecto, vt lib. 6. ad Att. ep. 6. ſenectuti quidem noſtræ profecto aptius, & in ſuperiori. ideſt 5. eiuſdē lib. Hunc quidem profecto Roma. ſic ēt dixit fere quaſi in partitionibus in genere demonſtratiuo, atque inſunt quidem fere quaſi quidam habitus ſic tantum, & modo coniunguntur, & quaſi in unius aduerbij corpus coaleſcunt Cicero in ſenectute, qui me non accipere tantummodo a maioribus uoluerunt, ſed etiam poſteris tradere, ſic Vergilius.

Certe equidem audieram, qua ſe ſubmittere colles incipiunt, Sic Terentius dixit in And. Certe hercle nunc hic ſe ipſus fallit. item quidem Pol. Nos quidem pol miſeras perdidit, item ibidem. Poſt deinde, quod iuſsi ei date bibere, & quantum imperaui date, idem ibidem. Sæpius utitur hoc aduerbio ibi tum, item in Eunucho. itaque ergo amantur. Cicero (vt in quo inceperunt in eiuſdem auctoritate terminētur exempla) in prima Act. in Verrem dixit repente è veſtigio, ſed repente è veſtigio ex homine tanquam aliquo Circæo poculo factus eſt Verres, hæc figura apud Græcos quoque frequentiſsima, Sophocles in Aiace dixit ὅθ' οὕνεκα, quod quia,

ὅθ' οὕνεκα ἄτῃ συνκατέζευται κακῇ, ideſt

Peſti quia quod alligatus eſt malæ. & paulo poſt

ὅθ' οὕνεκα οὐδὲν ἐπαιδάνη κακῶν,

& Heſiodus dixit νόσφιν ἄτερ τε πόνου abſque, & ſine labore Ariſtophanes in Pluto πάνυ σφόδρα, valde vehementer. infinita afferre exempla poſſem, ſed putidus ſim, ſi omnia velim colligere, cum quilibet admonitus id poſsit per ſe præſtare. Frequentior eadem multo eſt in nominibus, & verbis, quare neque ex illis exempla adducam cum omnibus pateant.

VT QVI PILA LVDVNT. facile apparet ex hoc loco, quod etiam autumat Pollux, & illius fretus autoritate Mercurialis in ſua Gymnaſtica, quod ſcilicet veteres in luſione pilæ compte, & concinne ſe ſe mouere ſtuduerunt, nam recitat ille vehementer, delectatos Demoxeno luſore, quod adhiberet in ludendo ἐρυθμίαν,

ῥυθμὸν, ἦθος, τάξιν, & χάριν. ideſt numeroſitatē, mores, ordinem, & venuſtatem. ſed hæc omnia pete ab illo libr. 2. vbi etiam diſces quot fuerint genera pilarum, nempe 4 apud Græcos μεγάλην μικρὰν, κενὴν, κώρυκον. ideſt magnam paruam, inanem, Coricum, totidem apud Romanos, nempe follem, paganicam, trigonalem, & harpaſtum.

PALESTRAM plura ſignificat hoc verbum, nam interdum ſignificat artem ipſam, & exercitationem Paleſtræ, vt hoc loco. Interdum totum Gymnaſium, vt Propertius.

Multa tuæ ſparte miramur iura paleſtræ.

Interdum certam Gymnaſij partem, in qua exercebantur corpora, & hæc erat germana Paleſtræ ſignificatio, ſed per tranſlationem ad multa alia elegantiſsime à Cicerone deducitur, interdumque ſignificat quemlibet locum exercendis corporibus idoneum, quamuis publicus non eſſet, de paleſtra, autem vide Mercurialem.

COMITES, AC MINISTRAS. Simili uſus metaphora Ariſtoteles in Poetica, vbi loquitur de Tragœdia, & Epopeia, ἡ μὲν οὖν ἐποποιία τῇ τραγωδίᾳ μέχρι μόνου μέτρου ἠκολούθηκεν, ideſt Epopeia igitur Tragœdiam ſubſecuta eſt tantum, vſque ad vnicum metrum pediſſequarum enim eſt, & ancillarum dominas deducere, ac ſequi.

SIQVIS ESSET. πολύπτωτον, ſeu traductio in verbis eſſet fuiſſet eſſe poſſet, eſſes &c.

QVIBVS ETIAM SI INGENIVM. quatuor eos attingit gradus, quos ſuperius annotauimus ex Hermogene, nam de primis duobus non eſt dubium, quæ ſunt ingenium, & doctrina, ſiue ars, aperte enim eas appellat, ſed ſub ſtudio tertium continetur ζῆλος τῶν παλαιῶν, & ſub otio exercitatio, vel tres tantum vult eſſe, vt facit Plutarchus, qui in libro. περὶ παίδων ἀγωγῆς, de liberorum inſtitutione eoſdem propemodum recenſet vocans φύσιν, λόγον, ἔθος, ideſt naturam, orationem, vſum ait enim καθόλου μὲν οὖν εἰπεῖν ὁ κατὰ τῶν τεχνῶν, καὶ τῶν ἐπιστημῶν λέγειν εἰώθαμεν, ταυτὸν καὶ κατὰ τῆς ἀρετῆς φατέον ἐστὶν, ὡς εἰς τὴν παντελῆ δικαιοπραγίαν τρία δεῖ συνδραμεῖν, φύσιν, καὶ λόγον, καὶ ἔθος, καλῶ δὲ λόγον μὲν τὴν μάθησιν, ἔθος δὲ τὴν ἄσκησιν εἰσὶ δὲ, καὶ αἱ μὲν ἀρχαὶ τῆς μαθήσεως, αἱ δὲ χρήσεις τῆς μελέτης, αἱ δὲ ἀκρότητες πάντων καθ᾽ ὃ ἂν κεχωρισθῇ τι τούτων κατὰ τοῦτ᾽ ἀνάγκη χωλὴν γίνεσθαι τὴν ἀρετήν. ἡ μὲν γὰρ φύσις ἄνευ μαθήσεως τυφλὸν, ἡ δὲ μάθησις δίχα φύσεως ἐλλιπὲς, ἡ δὲ ἄσκησις χωρὶς ἀμφοῖν ἀτελές. i. In vniuerſum autem quod de artibus, & ſcientijs dicere conſueuimus, etiam de virtute dicendum eſt, quod ad perfectam, atque cumulatam Iuſtitiæ actionem tria conuenire opus eſt naturam, rationem, vſum. voco autem rationem diſciplinam, vſum vero exercitationem, ſunt autem hæc principia diſciplinæ, illa uſus meditatio-

ditationis, hæc perfectiones omnium, in quocumque horum defecerit, neceſſe eſt mancam eſſe virtutem, natura enim ſine diſciplina cæca eſt, diſciplina nudata naturæ bonis manca eſt, exercitatio vero ſine vtroque imperfecta.

EGO ENIM. quatuor ſtudio ſi adoleſcentis virtutes hoc loco enumerantur, quibus ad doctrinam, & eruditionem facili uia graſſatur primum vt ſtudio ſit incenſus, deinde vt amore doctorem ſuum, & beneuolentia ſingulari complectatur, tum vt ab eius latere nunquam diſcedat, tum, vt per ſe ipſe ſæpe, & per alios tentet vt ſibi arcana artes præcepta, obſeruationeſque patefaciat, quibus addi ex Ariſtotele Quinta poteſt, vt ſcilicet docenti credat, nam (ut inquit ille) oportet μανθάνοντα πιστεύειν, ideſt diſcentem credere, quod etiam Galenus in ægroto ſanando requirit, niſi enim bene ſit animatus æger in Medicum, & credat poſſe ſe illius vtentē medicamentis valetudinem recuperare, nihil omnino, vel certe parum autumat profecturas Medicinas, cum vſu ſit in ventum quod leuia interdum medicamina, & plerunque etiam illi, quo detineretur ægrotus morbo inutilia, propter ægrotantis ipſius fidem in Medicum, mirifice profuerint.

MAXIME NATVM, APTVMQVE COGNOSCEM. magna, perque difficilis hic oritur quæſtio, videtur enim hoc loco ſentire Craſſus, quod etiam oratores naſcantur, cui aduerſatur illa vſu iam contrita ſentētia, Poetæ naſcuntur, Oratores fiunt, ſed reſpondendum naturam in oratore plurimum poſſe, verum illius etiam incommoda, atque vitia poſſe Arte ſuperari, vt fecit Demoſthenes, quod non vſu venit in Poetis, qui niſi natura adiuuentur, nunquā quicquam laudabile ſola Arte duce perficiēt, & aſſequentur.

VT IN CONDITIONIBVS. Verba hæc Ciceronis corrupta ſuſpicatur Petrus Victorius, qui teſtatur in ſcriptis libris hoc modo non legi, eaque ducitur etiam coniectura, quod illa conditio potius ipſa ſit, quam in conditionibus ita ſcribi ſolitum ſit, legendumque arbitratur actionibus, quod præclare uideatur conuenire ſententiæ, nam Cicero alio loco dixit, ut in Actionibus præſcribi ſolet, alijque multi ſcriptores eodem pacto locuti ſunt. Et licet de Conditionibus apud Iuriſconſultos mentio ſit, quod annotauit Gallus etiam interpres, non uidetur tamen dubitatio tolli, quia conditio non apponitur in conditione, neque pars, ſiue membrum, idem poteſt eſſe cum toto, verum in Actionibus, cum maxime ſtatim addat iſta conditione. Quare Robertus, Titius, lib. 8. c. 2. legendum putat condictionibus, condictionemque eſſe probat actionis ſpeciem.

ET FATERI NESCIRE, QVOD NESCIAM.

ingenuum

ingenuum fingit hominem Cicero Craſſum, qui non profiteatur ſcire omnia, & qui turpe non ducat aliqua neſcire, nam pudor prauus appellatur ab Horatio illius, qui detrectat fateri ſe neſcire, quod neſciat.

Cur neſcire pudens praue, quam diſcere malo.

CVM IN SCHOLAS ASSEDISSENT. notent Grammatici contra eorum regulas, & præceptiones eſſe dictum in ſcholas aſsidere, ſed fortaſſe dici poteſt, non reſpexiſſe ad ſedentis actionem, ſed ad verbum, quod ſubintelligi poteſt venientes, vel ad Græcorum imitationem eſt dictum. illi enim dicunt, ἐς δόμους μένειν manere in domos, pro ἐν δόμοις. Soph. in Aiace

ἐμοὶ μὲν ἀρκεῖ τοῦτον εἰς δόμους μένειν.

Mihi quidem eſt ſatis manere illum in domos.

quod cum quibuſdam Grammaticis nouum videretur, ne tam graui teſtimonio ſuarum regularum, & præceptionum labefactaretur autoritas, mutarunt lectionem, & ſcripſerunt in ſchola.

ALICVI GRÆCVLO QVÆSTIVNCVLA. ὑποκορισμὸς appellatur hæc figura ab Ariſtotele, qua diminuimus, & multum detrahimus rebus, ſicque eam definit ἐστὶ δ' ὁ ὑποκορισμὸς ὃς ἔλαττον ποιεῖ καὶ τὸ κακὸν, καὶ τὸ ἀγαθὸν, ὥσπερ καὶ Ἀριστοφάνης σκώπτει ἐν τοῖς Βαβυλωνίοις, ἀντὶ μὲν χρυσίου χρυσιδάριον, ἀντὶ δ' ἱματίου ἱματιδάριον, ἀντὶ δὲ λοιδορίας, λοιδορημάτιον, καὶ νοσημάτιον. Eſt autem diminutio, quæ imminuit, & bonum, & malum, vt etiam Ariſtoph. ludit in Babylonijs pro auro aurulum, pro ueſtimento veſtimentulum, pro conuicio conuiciolum, & morbulum. Sed ſciendũ, quod latini, & græci etiam hac utuntur figura ad faciendas blanditias hinc animula, corculum, & huiuſmodi legimus ocellus, puellus, pulchellus, vt Cicero pulchellam epiſtolam, vt meliuſcule ſe habet, candidulus, euidulus, quo Catullus utitur, limatulum potulumque iudicium, ætatulam, offenſiunculam, & hæc uerba nonnulli lenia appellari dicunt, adhibetur interdum hæc figura verborum ad χλευασμὸν, & deriſionem, & habet ὀξύτητα, vt Cicero pro Cœlio, & propter nocturnos quoſdam manes, metu tecum ſemper Puſio cum maiore ſorore cubitauit (loquitur enim de Clodiæ fratre). Non mirũ autem Ciceronem Græcis detrahere, nam vbique id facit, & ineptos eos fuiſſe dicit prudentiam ſemper auferens, cõtentionis vero ſtudium, & loquacitatem (ſic enim eorum appellat eloquentiam) relinquens, cum eruditione interdum, quam denegare illis, niſi omnium repugnante conſenſu non poteſt, ſic quoque in ſecundo eos vituperat, & alibi ſępius. Ex quo factum, vt ipſi quoque græci Ciceroni ſint infenſi, nec defuerint, qui eum lacerare auſi ſint, vt Didymus quidam græcus cog. chalcenterus, qui ſex libros in eum ſcripſit, vt teſtatur

ſs, qui cum
fuiſſe dice-
Miſcell.
A M. ani-
i delectatur
cum dicere.
taſeas, ſic in
Orat. Pytha
Mileſiũ, Ta-
Bruto Mi-
ceronẽ mẽ-
, qui ſcilicet
ſic ait Σικε-
τερ ἐς πατε-
lit, ad quem
phiſtarum.
apud Cice
Rhetorico-
fuiſſe ora-
nis vteretur
vterum im-
n, Æacum,

DOLE-
ſs, cum quo
etiam lati-
ione in Ci-
cum iactu-
eum maxi-
vt ſibi con-
inem Peri-
fortaſſe fue
in Roma-
rem, atque
c Diopha-
Menelaum
io Perſium
riptam eſſe
cijs, & no-

DEVM.

natura magnam homini facultatem daret tamen eſſe putatur Deus, & Antonius de Craſſo itaque hæc cum à te diuinitus ego dicta arbitrarer, & in ſecũdo Catulus dicit Antoniũ ſibi ſemper ſolere Deum videri in diſpoſitione argumentorum, & in tertio de Or. Craſſus de perfecto loquens, in quo igitur homines exhorreſcunt? quem ſtupefacti dicentem intuentur? in quo exclamant? Quem Deum, vt ita dicam, inter homines putant?

NAM SI ARS ITA DEFINITVR. hæc partitio artium ſumpta eſt ex Peripateticorum ſchola, qui diuidunt artes in ἐπιδεικτικὰς demonſtratiuas, quas nonnulli vocant διδασκαλικὰς, καὶ πιστικὰς, quæ ſcilicet ex rebus plane perſpectis conſtent, vt Mathematicæ, & in στοχαστικὰς, quæ coniecturis, vt plurimum vtuntur, vt reliquæ omnes, vt Medicina. Quint. lib. 2. cap. 18. diuidit artem in θεωρητικὴν vt Aſtrologia, πρακτικὴν, quæ ipſo actu perficitur, & definit, vt ſaltatio, ποιητικὴν, vt pictura; cuius opus extat. ipſam vero Rhetoricam inter actiuas reponendam cenſet, quamuis ex alijs quoque participet.

CVM PETEREM MAGISTRATVS SOLEBAM IN PRENSANDO. ex hoc loco Turnebus colligit prenſationem petitionis eſſe partem, contra Paulum Mannuccium, qui in ſuis comment. in epiſtolas ad Atticum prima primi libri ait. Peti conſulatũ à Cicerone video eſſe, qui credant imperite, nõ enim petit, ſed prenſat, anno antequam petat, idque ex cõſuetudine, quod quid de quaque tribu ſperandum, aut timendum eſſet tanto ante ſcire non alienum videbatur. Non tamen Mannuccium, aperte nominat Turnebus, ſed tacite illorum verborum nutu, & ſignificatione deſignat, ſunt magni in literis nominis viri.

MAGNVM QVODDAM EST ONVS, ATQVE MVNVS SVSCIPERE, ATQVE PROFITERI. Cicero hæc duo verba coniungere amat, ſic ſupra quamquam vis oratoris, profeſſioque ipſa bene dicendi hoc ſuſcipere, ac polliceri videtur, & paulo poſt, de Gorgia, qui per magnum quiddã ſuſcipere, ac profiteri videbatur, cum ſe ad omnia, de quibus quiſque audire vellet, eſſe paratum denuntiaret lib. 3. illud certe tamen, quod amplexi ſumus, quod profitemur, quod ſuſcepimus noſſe, & tenere debemus.

ACRIVS, ATQVE ACVTIVS VITIA IN DICENTE, QVAM RECTA VIDEAT. ſic Diſcipuli Doctorum quoque facilius vitia, quam virtutes imitantur. Alexander Leonidæ præceptoris ebrietatem, oris prauitatem, & verborum latitudinem C. Fimbriæ Fuſius imitatus eſt, & omnes fere Ariſtotelis auditores balbutientem illius linguam ſubſecuti, vt

Plato-

Platonis latos humeros, Ciceronis filius Athenis cum operam Gorgiæ daret (teſte Plutarcho) ex illius morum imitatione ad compotationes, & ebrietates eſt illectus, quare eum Cicero pater coactus eſt ab illo abducere, & Chryſippo commendare.

TAMEN NISI TIMIDE AD DICENDVM ACCEDVNT. hunc timorem Cicero in ſuis orationibus vbique declarat pro Mil. Et ſi vereor iudices ne turpe ſit pro fortiſsimo viro dicere incipientem timere. Pro Deiotaro. cum in omnibus cauſis grauioribus initio dicendi commoueri ſoleam vehementius, quam videtur vel vſus, uel ætas mea poſtulare, tum in hac ita me multa perturbant, ut quantum mea fides ſtudij mihi afferat ad ſalutem Regis Deiotari defendendam, tantum facultatis timor detrahat. & in Oratione pro A. Cluentio. ſemper magno cum metu incipio dicere, quotieſcunque dico, toties mihi videor in iudicium venire non ingenij ſolum, ſed etiã virtutis, atque officij. & pro Sex. Roſc. Huc accedit ſummus timor, quem mihi natura, pudorq; meus attribuit.

SIC INITIO ACCVSATIONIS EXANIMATVS SVM. videtur velle Cicero ſuum lapſum, & caſum in Miloniana excuſare tanti viri exemplo, nam quod Craſſo adoleſcentulo 21. annos nato contigit, id Ciceroni grandi iam natu, & firmata ætate euenit, ſed plures habet huius rei ſocios, nam Demoſthenes apud Philippum Macedonum Regem orationem habiturus obmutuit, & idem Phocionem dicebat eſſe nouaculam, ſeu gladium tonſorium ſuorum verborum, quia eo præſente loqui pertimeſceret, Theophraſtus apud Alexandrum verba facturus nullum potuit efferre. Gn. Sicinius pro Seruio Næuio apud pretorem Rom. dicturus idem paſſus perhibetur. Curio pater in magna, & graui cauſa Ciceroni reſponſurus quaſi Ticiniæ venenis ſibi fuiſſe ereptam dicendorum memoriã teſtatus eſt. Philomenes Poeta recitaturus neſcio quid magnum in ſuggeſto ante turbam, quæ expectabat, efflauit animam, de quo in laurea occidente Franciſcus Petrarcha ſic ait

Vidi expectatum, ut caneret dulcedine multa
Obriguiſſe ſenem, uocemque in faucibus imis
Arctatam, muſas animam rapuiſſe putares,
Sic cubito incumbens, ſimiliſque erat ore canenti.
Fiſtula pallenti pendebat muta labello.

& Hipparchus cum Ruffino certaturus, in Theatro obticuit, vnde adagium ἄφωνος ἱππαρχίων, noſtriſque etiam temporibus, & patrum noſtrorum memoria multis doctiſsimis etiam Viris, idem contigit, ut de Alciato audiuimus, & de Faſeolo Patauij humanitatem explicante, qui ſtudiorum initijs, imo prima illa concione exanimatus, nunquam aliud potuit verbum facere, quam placuit, quo

bis, terue repetito tandem omnino illum uox, & oratio defecit.

NIHIL EST ENIM TAM INSIGNE. eadem ſententia quæ ſuperius, quod acutius, & acrius uitia in dicente, quam recta uidemus, ſed alijs uerbis explicata, vt iam alia uideatur.

HANC EGO ABSOLVTIONEM, PERFECTIONEMQVE. Cicero hæc duo libenter coniungit, ſic in Bruto in omnibus rebus difficilis optimi perfectio, & abſolutio, & frequenter etiam horum coniugata perfectum, abſolutumque coniungit.

CAPVT ESSE ARTIS DECERE. In Orator. in hanc ſententiam, vt enim in uita, ſic in oratione nihil eſt difficilius, quam quid deceat videre τὸ πρέπον appellant hoc græci, nos dicamus ſane decorum, vbi etiam plura de hoc, quod quidem (vt Cicero in offic. de Decoro Virtutis) ita coniunctum eſt cum eloquentia, atque confuſum, ut mente tantum, & cogitatione diſtinguatur, re non poſsit, ut uenuſtas & pulchritudo corporis ſecerni non poteſt a valetudine.

AVT DE INFINITÆ REI QVÆSTIONE. quoniam paſsim hæc nomina occurrunt definitæ, & infinitæ quæſtionis, varijſque eædem vocabulis ſæpenumero ſignificantur, nō ſuperuacaneum fuerit, aut alienum hoc loco, hæc breuiter colligere. Infinitam igitur quæſtionem græci Rhetores appellant frequentiſsimo vocabulo, & communi nomine latinis etiam recepto, theſim nonnulli ζήτημα, dialectici πρόβλημα, interdum σκέμμα. Cicero propoſitum in Top. cōſultationem in Partitionibus. Priſcianus Poſitionem, Rodulphus Agricola, lib. 2. cap. 8. κατηγορικὴν, ideſt prædicatiuam quæſtionem. Quint. lib. 3. cap. 5. dicit ab alijs nominari quæſtiones Vniuerſales Ciuiles, ab alijs vocari quæſtiones Philoſopho conuenientes, Athenæum partem cauſæ appellare, Eandem quidam putant idem eſſe cum loco communi, ſed Aphtonius diſcrimen ponit, aliud enim facit præexercitamenti genus, theſis, aliud communis loci, quamuis finitimos, atque ſimiles eſſe nemo neget. ſed θέσις adhibetur ad probandum, locus communis ad amplificandum. Priſcianus in hanc ſententiam ſic ait, Inter locum communem, & poſitionem hoc eſt differentiæ, quod locus communis eſt conuictæ, & manifeſtæ rei exaggeratio, poſitio autem dubiæ rei quæſtio, quam rem a Theone Sophiſta arripuit, qui multum inter ſe differre hæc duo probat διαφέρει δὲ (inquit enim) τόπου, ὅτι ὁ μὲν ἐστὶν ὁμολογουμένου πράγματος αὔξησις, ἡ δὲ θέσις ἀμφισβητουμένου, διὸ καὶ ἑρμαγόρας μὲν αὐτὴν κρινόμενον προσηγόρευσεν, Θεόδωρος δ᾽ ὁ γαδαρεὺς κεφάλαιον ἐν ὑποθέσει, διαφέρει δὲ καὶ τῇ ἐκβάσει, ὅτι ἐν μὲν τῇ θέσει τέλος ἐστὶ τὸ πεῖσαι, ἐν δὲ τῷ τόπῳ τὸ τιμωρίαν λαβεῖν, καὶ ὅτι λέγεται ὁ μὲν

τόπος

τόπος ἐν δικαςηρίῳ, ἡ δὲ ἐν ἐκκλησίᾳ, καὶ ἀκροάσει, ὅτι τοῦ μὲν τόπου ἀκροῶνται δικαςαὶ, τῆς δὲ θέσεως ἁπλῶς πολῖται, καὶ κατὰ ἄλλα πολλά. id-eſt differt autem theſis à loco, quid iſte eſt rei confeſſæ amplificatio, illa controuerſæ, quare etiam Hermagoras appellauit iudicatum, Theodorus autem Gadarenſis caput controuerſiæ, differt etiã fine, quoniam in theſi finis eſt perſuadere, in loco pœnas exigere, & locus dicitur in iudicio illa vero in concione, & Auditorum corona, præterea, loci auditores ſunt iudices, theſis tantum Ciues, ſuntque alia quoque multa, quibus alter ab altera differt. Hanc porro quæſtionem Cicero in Orat. ad Brutum, maxime actuoſam, & luminoſam eſſe dicit, quod ad hãc ὑπόθεσιν, & cauſa reuocetur, quod faciendũ quoq; præcipit, vt in 2. de Orat. & Ariſtot. in hac adoleſcentes exercuit, quia. ſ. ex ſingulari propoſitione nihil colligi neceſſario poteſt. Quintilian. aũt reprehendit Ciceronem, quia in primo Rhetoricorũ arbitretur theſim nõ pertinere ad Orat. & falſo ipſum reprehendere dicit Hermagoram, qui materiam diuiſerat in cauſam, & theſim, ſed defendi poteſt Cicero, & merito reprehenſus dici Hermagoras, quia de ciuili tantum oratione loquens, imprudens illi ſubiecerat theſim, quæ eſt etiam materia philoſophi, nam hanc potiſsimum ſibi illi vẽdicant, & abs ſe mutuari Oratores volunt huius Quæſtionis tractationem. Definita porro quæſtio appellatur à Cicerone tum cauſa, tũ controuerſia, nonnulli negocium, quam vis potius id ſignificet περίςασις à græcis ὑπόθεσις nõnulli ἀμφισβήτησιν Rodulphus Agr. conditionalem ὑποθετικὴν, Hęc porro partitio quæſtionis in infinitam, & definitam facta eſt (autore Rodulpho) ratione modi, quo vtimur in quærendo, aut enim generatim, & infinite quærimus, aut definite, ratione autem ſcientiarum, & artium, ad quas pertinent quæſtiones, partitus eſt Cicero quæſtionem in Topicis in quæſtionem cognitionis, & quæſtionem actionis, ratione vero rerum de quibus quæritur, eandem quæſtionem ad tria capita deduxit an ſit, quid ſit, quale ſit: in quo tamẽ reprehendit Ciceronem Rodolphus magni vir iudicij præterquam in hac reprehendendi audacia, quod tria hęc quæſtionum genera ciuilibus rebus ſubiecerit, cum quidquid quærit Rhetor ad qualitatem ſolum pertinere dicat. ſed de his alio loco. multa de quæſtione apud hunc autorem leges lib. 2. c. 6. 7. 8. 9. & 10. in quibus triplicem hanc quæſtionum varietatẽ ex rerum, modi, & artium differentia exiſtentem erudite examinat, atque perpendit. quid vero interſit inter has duas quæſtiones, quandoquidem non defuerunt, qui idem ambas eſſe dictitarent, vt Apollodor. qui Hermagoram huius partitionis autorem reprehendit, & idem eſſe theſim cum hypotheſi affirmat, & nullius eſſe ponderis diſcrimen perſonarum, quoniam non eſt

E 2 huius

huius loci, prætermittimus, ſolũ admonentes Lectorem; id demonſtratum à Fortunatiano Rhetore in tertio, à quo petat qui velit.

IN QVA PRÆCIPITVR PRIMVM. notentur hoc loco ſeptem aduerbia adhibita non ſine myſterio ad eloquentiam pure, latine, plane, dilucide, ornate ad rerum dignitatem apte, & decore ex quibus nonnulli in eam venerunt ſententiam, vt dicerent Hermogenem ex hoc ipſo loco ſuum illud ſeptem formarum dicendi in oratione artificium ſumpſiſſe quibus ego aſſentior, ſed multa alia tamen ipſe annotaui, quibus admonitus eſt, & adductus Hermogenes, vt hoc artificem conſtitueret, eaque in meis in illius Ideas Commentarijs olim in adoleſcentia conſcriptis perſecutus ſum, quæ iam fortaſſe edidiſſem, niſi meis rationibus grauis aduerſaria conſtituta fortuna, ſiue caſus alterum volumen maturiori etiam iudicio, & ætate conſcriptum abſtuliſſet, perijt enim mea quadam (fatebor) negligentia, ſiue non curantia, ab amicis ſæpius reprehenſa, & exagitata, qua correptus meas lucubrationes pro nihilo illas putans minime cuſtodio, ſed damno hoc, atque iactura facta ſero nunc incepi minus eſſe negligens.

POSTEA MIHI PLACVIT. Plinius lib. 7. epiſt. ad Fuſcum in hanc diſcedit maxime ſententiam, vt hoc exercitationis genus eſſe putet preſtantiſsimum, quæque etiam ex illo commoda proficiſcãtur narrat. Quæris quemadmodum in ſeceſſu, quo iam diu frueris putem te ſtudere oportere. Vtile mihi primum ex multis præcipue erit, vel ex græco in latinum, vel ex latino vertere in græcum. Quo genere exercitationis proprietas, ſplendorque verborũ, copia figurarum, uis explicandi, præterea imitatione optimorum ſimilia inueniendi facultas paratur, ſimul quæ legentem fefelliſſent, transferentem fugere non poſſunt, intelligentia, ex hoc, & iudicium acquiritur.

QVASI PER TRANSENNAM PRÆTEREVNTES STRICTIM ASPEXIMVS. Nonius Marcellus hoc loco, ut ẽt in Saluſtio, qui dixit tranſenna demiſſum Victoriæ ſimulachrum interpretatur feneſtram. Seruius autem in 5. Æneidos ſuper illis verbis —*volucrem traiecto in fune columbam*. trãſennam interpretatur extentũ funem, quam ẽt interpretationem magis probat Turnebus in aduerſarijs, Valerij citato quodam loco, & Plutarchi, qui Saluſtij verba interpretans in Sertorio de Metello dixit *νῖκαι πεπταμέναι δι᾽ ὀργάνων ἐπιδρόμων*. nã Epidromum funem eſſe dicit, & in Venatione ſic eum funem appellari probat, qui ſummus eſt, & imus in retib. Horum autoritati ſubſcribit Iſidorus lib. 19. qui tranſennam extentum funem interpretatur, & ſi hoc pacto intelligamus, non nimium mea quidem ſententia abhorrebit ſimilitudo,

multitudo, atque cõparatio, quod.ſ. quemadmodum in ludis per tenſum funem funambuli celerrime percurrunt, atque prætereuolát Theatri ſpacium vniuerſum, & aſpicere quidem multitudinem ſtrictim poſſunt, ſed contemplandi, & diſtinguendæ varietatis facultas non eſt, ita in Craſsi oratione illis eueniſſet. Sed ipſe Turnebus interpretandum hoc loco putat tranſennam, tranſitum quaſi tranſiennam. Tranſitum autem intelligit peruium ſpatium inter conclauia, cubicula, atque cænationes. ſi enim inquit, per tranſennam præteriens in Veſtiario per fores eius uideres veſtem pulcherrimam conſtructam, & compoſitam, non acquieſceres in tam breui aſpectu, & ſic hoc verbum uſurpatum probat à Paulino in Epiſtol. ad Seuerum.

POTES IGITVR. Quam ſit neceſſariũ ius ciuile Orat. declarat etiam in Orator. ubi ea dem, qua hic figura, eadem dicendi acrimonia, & ſeueritate inuehitur in eorum impudentiam, & os, qui ciuiles cauſas attingere, & tractare ſine iuris cognitione audebant, ait enim ius ciuile teneat, quo egent cauſæ forenſes quotidie, quid eſt enim turpius, quam legitimarum, & ciuilium controuerſiarum patrocinia ſuſcipere cum ſis legum, & iuris ciuilis ignarus. Quintilianus quoque lib. 12. c. 3. ubi ius ciuile neceſſarium Oratori eſſe demonſtrat eadem utitur forma dicendi. Nam qualis eſſe ſuaſor in conſiliis publicis, priuatis ue poterit tot rerum quibus præcipue ciuitas continetur ignarus? Quo autem modo patronum ſe cauſarum non falſo dixerit, qui quod eſt in cauſis potentiſsimum, ſit ab altero petiturus? pęne non diſsimilis his, qui poetarum ſcripta pronuntiant.

CAVSA CADERE LICERET. Turnebus lib. 23. Aduerſ. cauſa cadere eſſe dicit plus petere, ex quo conſequebatur per leges, vt cauſam amitteret, & ſic uſurpatum pro eo mox affirmat, nos neque aſſentimur, neque reijcimus hominis opinionem, ſatis eſt ad monuiſſe lectorem.

TV MIHI CVM IN CIRCVLO. tota iſta oratio vehemens, & acerba plena illa dicendi forma, quam uocat Hermogenes ὀξύτητα, & βαρύτητα quibus admixta eſt etiam τραχύτης, & σφοδρότης.

CVM MILES DOMVM REVENISSET. hoc verbo non ſine artificio vſus Cicero, tum ut legale verbum retineret, tum ut nouitate uerbi inexpectatum, nec opinatum quoq; militis aduentum exprimeret, quod paulo poſt de Mancino etiam vſurpat, poſteaque Mancinus domum reueniſſet, item de ſeruo ex Pop. fœderato, ſe ſeque liberaſſet, ac poſtea domum reueniſſet.

MARCI CVRII CAVSA. huius cauſæ meminit lib.

etiam

etiam ſecundo, & in Top. & eiſdem in locis de cauſa Mancini.

IVS APPLICATIONIS. Ius iſtud Applicationis ab Athenienſibus ortum eſſe exiſtimat Turnebus lib. 24. apud quos Peregrini ſe opulento alicui Ciui in clientelam dabant, dicabantque, quod ipſi Athenienſes dicunt νέμειν προςάτην. & è contra iudicium eius, qui factus reus eſſet, quod non ſe applicuiſſet ad aliquem patronum ἀπροςασίου δίκην. quodq; ad huius loci, & exempli explicationem attinent, ſciendum, quod ab inteſtato libertis patroni ſuccedebant, ſi ſuos non haberent hæredes, & ſi teſtamẽtum feciſſent, & hæredem ex ſemiſſe ſaltem non inſtituiſſent Patronum, Contra tabulas teſtamenti ſemiſsis, ideſt dimidiæ hæreditatis bonorum poſſeſsionẽ Patrono Prætor dabat. Et eodem iure utebantur Peregrini, qui ſe applicuiſſent.

HÆREDEM EVM ESSE POSSE. eſſe non poſſe in emendatis legi codicibus affirmat Camerarius in ſuis, in Aiacem Soph. Commentarijs, & dicit eſſe πλεονασμὸν ſimilem illi Sophocleo, quod profert Aiax οὐκ ἀπαρνοῦμαι τὸ μὴ, ſic enim ait. Neque inficias eo, quin factum hoc ſit τὸ μὴ intelligendum βεβάφθαι τὸ ξίφος, ut interrogauerat Minerua. Formam autem habet oratio πλεονασμοῦ. Haud nego non factum eſſe, ut illud in primo de Oratore, quod in emendatioribus exemplis ita legitur, negaretque niſi poſthumus, & natus, & antequam in ſuam tutelam ueniſſet mortuus eſſet, hæredem eum eſſe non poſſe, qui eſſet ſecundum Poſthumum, & natum, & mortuum hæres inſtitutus.

HÆC IGITVR. Hanc horum audaciſsimorũ hominum impudentiam ſuperius etiam exagitat eadem ſententia, nam volitare in foro, hærere in iure, ac Prætorum Tribunalibus iudicia priuata magnarum rerum obire, & quæ ſequuntur.

PERVVLGARI ARTEM SVAM NOLVERVNT. Quod hoc loco de iuris prudentibus affirmat Cicero idem de omnibus præclararum artium doctoribus dici poteſt, Antiqui enim & Philoſophi, & Poetę id factitarunt, nefasque habebant diuulgare ſuæ doctrinæ præcepta recondita, vt nos attigimus in ea oratione, quam altero ab hinc anno de oratorio artificio ſtudiorum initijs habuimus, quam propediem fortaſſe vnà cum tabulis in ea promiſsi oratorij artificij, ijſdemque Theoricis, atque practicis, ideſt in Ciceronis orationibus articulatim demonſtrati eo ipſo ordine, quo ſumus eo ipſo anno vſi in publicis prælectionibus, edemus, quamuis enim hoc veterum inſtitutum mea non peruulgandi inuenta, quæcumque ea ſint, ſequi ſtatuiſſem, tamen mutare cogor conſilium, cum videam noſtra hac tempeſtate eos ſolum doctos, eruditosque exiſtimari, qui multa non ſcripſerint, ſed ediderint, vere-

recun-

recundoſque homines, & edendi pudore correptos tanquam ignaues, timidoſque contemni, & impudentiam pro eruditione, & doctrina præmijs affici, atque honoribus, illam verò ſordidatam, & inopem in omnium rerum egeſtate, iacere, vt præclare videatur illa Hoſpitis apud Platonem cum Socrate diſputatio, atque ſententia procedere, qui dicit ſatius eſſe videri probum, quam eſſe, & illud Poetæ Satyrici.

Scire tuum nihil eſt, niſi te ſcire ſciat alter.

Verum vt ad propoſitum reuertamur primi huius occultandæ doctrinæ artificij autores fuere Poetæ, Orpheusque potiſsimum, qui ſuæ Theologiæ myſteria fabularum circumſepſit inuolucris, idem fecit Zoroaſter, quos duos Poetas philoſophico more ſe interpretatum fuiſſe profitetur Picus, qui dicit ſe ex his affectatis ænigmatum Syrpis, & fabularum latebris, latitantes eruere philoſophiæ ſenſus, quod deinceps omnes alij poetæ factitarunt, & potiſsimum, vt breui fortaſſe declarabo inter latinos noſter Maro, quare merito procul eſſe prophanos iubent ἑκὰς ἑκὰς ἐστὲ βέβηλοι. & Pindarus aperte id oſtendit dicens ſe multas habere ſagittas ſonantes ſapientibus, apud vulgus vero interpretibus indigere.

παμπολλά μοι ὑπ' ἀγκῶ-
νος ὠκέα βέλη
ἔνδον ἔντι φαρέτρας
φωνᾶντα συνετοῖσιν ἐς
δὲ τὸ πᾶν ἑρμηνέων χατίζει,

& Dantes Aligerius præclari huius inſtituti obſeruator merito exclamat.

O uoi c'hauete gl intelleti ſani
Mirate la Dottrina, che s'aſconde
Sott'il uelame de li uerſi ſtrani.

& ſi quando aliquid tacendum, & arcanum ἄρρητον edunt, ſolent a Muſis veniam petere, vt facit Apollonius in 4. ἵλατε μοῦσαι

Οὐκ ἐθέλων ἐνέπω προτέρων ἔπος ideſt *ignoſcite Muſæ*
inuitus veterum pando ſecreta,

& Achor ille apud Lucanum Cæſari, quidem dicit fas eſſe Nili arcana patefacere, ſed alijs minime.

Fas mihi magnorum Cæſar ſecreta parentum
Prodere ad hoc æui populis ignota prophanis,
Sit pietas alijs miracula tanta ſilere.

Alteri huius inſtituti acerrimi ſectatores fuere philoſophi, ex quorum numero Pythagoras ad Orpheæ Theologiæ imitationem ſuam effinxit philoſophiam teſte Iamblico. de cuius mirifico arcana retinendi præcepta ſtudio, tam omnibus eſt notum, vt meridianam

nam probare lucem velle videatur, qui id præſtare nitatur, Lyſis certe Tarentinus illius Auditor, idemque Doctor Epaminundæ condiſcipulum ſuum Hipparchum duobus potiſsimum nominibus reprehendit, primum quod cum multitudine philoſophiam communicaſſet, deinde quod in publico philoſopharetur, quod vtrumque fieri ſummo ſtudio vetuerat Pythagoras. id quoque Plato, & qui ab eo tanquam riuuli fluxerunt, ſtudioſiſsime ſeruarunt. quod ipſe in epiſtola ad Dionem maxime faciendum declarat, vbi ait. *εὐλαβοῦ μέντοι μήποτε ἐκπέσοι ταῦτα εἰς ἀνοῦς ἀπαιδεύτους*, & quæ multa conſequuntur, ideſt caue, ne hæc tibi excidant apud ineruditos homines. hoc probat quidam in Syneſij libellum de ſomnijs, qui *προθεωρίαν* exiguam ſcripſit his verbis *ἀρχαῖον εἶμαι, καὶ λίαν πλατωνικὸν ὑπὸ χήματι φαυλοτέρας ὑποθέσεως κρύπτειν τὰ ἐν φιλοσοφίᾳ σπυδαῖα, τοῦ μήτε μόλις εὑρεθέντα πάλιν ἐξ ἀνθρώπων ἀπόλλυσθαι μήτε μολυνέσθαι δήμοις βεβήλοις ἐκκείμενα*. ideſt antiquiſsimo eſt hoc, & valde platonico in more poſitum, vt ſub vilioris argumenti figura philoſophiæ recondita, & optima præcepta contegantur, vt neque, ea, quæ fuerint ſummo vix labore inuenta rurſum ex hominum memoria excidant, neque prophanis populis expoſita inquinentur. quod etiam confirmat Porphirius in fine diſputationis ſuæ de antro. Hinc Herennius Plotinus, & Origenes (vt idem autor eſt Porphirius) iurarunt ne Ammonij dogmata ederent, & quia Plotinus violato iureiurando myſteria palam fecit, ob id creditus eſt teterrima illa pediculorum tabe fuiſſe confectus. Ægyptij quoq; id maxime ſeruarunt, vti illorum adhuc quoque extans figuris obſcurata doctrina declarat, quod etiam in templis inſculptæ ſphynges ſignificabant, & ſimulacrum, Iſidis in templo, Harpocrates, qui digito ad os ad moto ſilentium imperabat. poſtremo etiam ſi fas eſt prophanis ſacra admiſcere in ſacris literis habemus Moyſi à Deo optimo maximo mandatum, vt legis quidem tabulas populo proponeret, ſed arcanam illius interpretationem tanquam Myſteria tacitam teneret, ſenioribusque tantum, qui ſibi probatiſsimi viſi eſſent communicaret, quod ab illo diligentiſsime factum accepimus, & à poſteris quoque obſeruatum, appellatamque eam eſſe ſcientiam קבלה Caballa, quod latine receptio ſonat, quia ſcilicet ore tãtum, hæreditatis quaſi iure traderetur, quare regius quoque Propheta ait pſal. 78. ſecundum Hebræos אפתחה במשל פי אביעה חידות מני קדם, ideſt aperiam in parabola os meum, loquar ænigmata, quæ fuerunt antiquitus, & in ipſo Euangelio admonemur non proijcere margaritas porcis, neque dare ſanctum canibus: Hunc porro Ciceronis locum citat Fulgentius in Mythologicis, & alibi etiam idem ab eo dictum autumat.

DVM BREVITER VOLVERIM DICERE

DICTVM PAVLO OBSCVRIVS. Horatius breuis eſſe laboro, obſcurus fio.

BREVIS, ET CIRCVMSCRIPTA QVÆDAM EXPLICATIO. in Topicis definit ſic. Definitio eſt oratio, quæ id quod definitur, explicat quid ſit, & in Oratore Definitio eſt oratio, quę quid ſit, id de quo agitur, oſtendit quam breuiſsime. Grę cus Hermogenis interpres in Prolegomenis, ſiue Iſagoge ſcholiorum ſic definit, (vt interim philoſophos omittamus). ὅρος ἐστὶ λόγος σύντομος δηλωτικὸς τοῦ ὑποκειμένου πράγματος, quæ videtur à Ciceronis definitione nihil propemodum differre, immo ad verbum penè tranſlata. in quibus tria notandum, primum, quod oratio dictum eſt ad nominis differentiam, quicquid enim explicatur, vel vna, vel pluribus dictionibus declaratur, & hæc oratio, illa nomen appellatur, deinde quod breuis, ne orationes Oratorum, quæ rem aliquam exponunt, & explicant, definitiones exiſtimentur, tertio rem, de qua agitur oſtendens, ne apophtegmata, quæ ſunt breuis oratio intelligantur, illa enim rem de qua agitur minime explicant, vt noſce te ipſum.

MIHI FACERE LICVERIT. in ſecundo libro huius promiſsi mentionem facit. Sed hæc Craſſus aliquando nobis expediet, & exponet deſcripta generatim, eſt enim ne forte neſcias heri nobis ille hoc Catule pollicitus, ſe Ius ciuile, quod nunc diffuſum, & diſsipatum eſt, in certa genera coacturum, & ad artem facile redacturum.

REPLERI ISTA IVRIS. nonnulli Codices habent iuſta iuris ciuilis ſcientia, quæ lectio non negligenda, & in ea ſumetur verbum, illud, iuſta notione, quo integra, ſic dixit ad Atticum iuſta itinera, ideſt integra.

SCRIPTORIBVS SCRIPTA SVNT SÆPIVS. πολύσιγμον ſcriptoribus ſcripta, & πολύσιγμα. quatuor enim dictiones ab, ſ, littera incipiunt. quod vitioſum nonnulli putant, cum præſertim aſperrima ſit littera, ſ, quare eam veteres, tum Græci, tum Romani elidebant, immo Græci interdum integras odas ſine hac littera ſcribebant, vt teſtis Athenæus libro decimo, quas ἀσίγμους appellabãt, vnde verbum ἀσιγματοποιῶ, vt fuit illa Laſi Hermionis, quæ appellabatur Centauri, & eius hymnus in Cererem, & Hermionem, qualem etiam fecit Pindarus; De Romanis vero autor eſt Quintilianus libr. 7. capit. 4. Seruium primum cæpiſſe ſubtrahere, ſ, litteram, quoties vltima eſſet, aliaque conſonante exciperetur, quem Lucillius ſecutus, & alij omnes, illumque à Laurano reprehenſum Meſſalla defendit. & Cicero ipſe in Oratore id videtur laudaſſe, cum probare ſe magis dicit pomeridianas; quam

F poſt-

poſtmeridianas, & Mehercule, quam Mehercules, item cum ipſemet idem facit in quibuſdam verbis, vt in Thucididis abijcit, ſ, litteram ſequente dictione à conſonante, vt in Bruto præclaram Thucididi nimis veterem, tanquam Anitianam notam perſequentem, ſic Virgilius immitis Achilli, pro Achillis, & alia. Athenæusque libro 11. ſcribit ex ſentētia Ariſtoxeni veteres muſicos propter huius litteræ aſperitatem eā euitaſſe οἱ γὰρ μουσικοὶ καθάπερ Ἀριστόξενός φησιν τὸ σῖγμα λέγειν παρῃτοῦντο διὰ τὸ σκληρόστομον εἶναι, καὶ ἀναπιτήδειον αὐλῷ.

IISDEM SCRIPTORIBVS SCRIPTA SVNT SÆPIVS. integer ferè ſenarius iambicus, qui ſæpiſsime Ciceroni excidit, vt alibi *Senatus hæc intelligit Conſul videt.* & vt paſsim cuilibet licet obſeruare. ſed non ſolum in ſenarium, verum etiam in Hendecaſyllabū aliquādo incurrit. vt *Succeſſit tibi Lucius Metellus.* item in Heroicum. *Latent iſta omnia; Varro*

Magnis obſcurata, & circumfuſa tenebris. item in Verrinis

Cum loquerer tanti fletus gemitusque fiebant.

huiuſmodi multa ſæpiſsime excidunt bonis ſcriptoribus, ſed vitanda eſt frequentia Hieronymus Peripateticus elegit, ex multis Iſocratis libris triginta fortaſse versus pleroſq; ſenarios, ſed etiam anapeſticos, quibus nihil poteſt eſſe turpius in oratione. Dionyſius examinauit Demoſthenicæ contra Ariſtogitonem orationis procemiū, & reperit primum metrum eſſe tetrametrum anapæſticum vno pede mutilum, vel exametrum vna Syllaba maiorem, huic proximum pentametrum integrum, deinde paucis interiectis ſapphicum, & Ariſtophanium tetrametrum, poſt duplex Iambicum, dimetrum, rurſus anapæſticum pedum octo, ac demum Iambicum, quod vt planius cognoſcatur apponam initium orationes, & verſuum.

μηδεὶς ὑμῶν ὦ ἄνδρες ἀθηναῖοι νομίσῃ μου

Μητ᾽ ἰδίας ἔχθρας μηδεμίας ἕνεκα. & quæ ſequuntur de hac re Cicero in Orat. multa in eam ſententiam diſputat, vt concludat, nec obſeruari poſſe, quin incurrant aliquando, nec neceſſe eſſe. Verſus (inquit) ſæpe in oratione per imprudentiam dicimus, quod vehementer eſt vitioſum, ſed non attendimus, neque exaudimus nos metipſos, ſenarios vero, & Hipponacteos effugere vix, poſſumus, magnam enim partem ex iambis noſtra conſtat oratio, ſed tamen eos verſus facile agnoſcit auditor, ſunt enim vſitatiſsimi, inculcamus autem per imprudentiam ſæpe etiam minus vſitatos, deinde paucis interiectis ait, quod ne accidat obſeruari nec poteſt, nec neceſſe eſt. & illum ipſum Peripateticum Hieronymum in eo, ipſo loco, quo reprehendit Iſocratem immiſiſſe imprudenter in ſenarium dicit.

ITHACAM ILLAM IN ASPERRIMIS SAXVLIS TANQVAM NIDVLVM. Petrus Victorius hoc loco expreſſos, credit Vlyſsis apud Homerum verſus de Ithaca.

τρηχεῖ' ἀλλ' ἀγαθὴ κουροτρόφος, οὔ τι ἔγωγε
Ἧς γαίης δύναμαι γλυκερώτερον ἄλλο ἰδέσθαι. ideſt

Aſpera, ſed fœcunda ſuæ propaginis altrix
Ipſeque ego aſpicio patrijs nil dulcius aruis.

hunc quoque locum Ciceronis imitatum fuiſſe Vergilium, vult Turnebus, cum dixit

Effugimus Ithacæ ſcopulos Laertia regna,

quod quidem non videbitur nimis alienum, ſi legamus pro ſaxulis ſcopulis, vt in nonnullis libris legitur. quod uerbum adhibuit Vergilius, quę quidem lectio non omnino mihi uidetur reijcienda.

AFFECTAQVE IAM ÆTATE. Affecta ideſt prope ad finem adducta, quæque a ſolutione propius abiit, ſic definit A.Gell. lib. 3. capit. 16. Affecta (ſicuti M.Cicero, & veteres elegantiſsimi locuti ſunt) ea proprie dicebantur, quę non ad finem ipſum, ſed proxime finem progreſſa, deductaue erant, & in ea notione autumat dixiſſe Phauorinum non confecto anno, ſed affecto, & in lib. 15. c. 5. idem ualere probat affectum, quod profligatum, ſic Cicero dixit de Prouincijs Conſ. de Cęſare loquens. Bellum affectum videmus, & uere ut dicam penè confectum, item de eodem poſt, ut ea, quæ per eum affecta ſunt, R.P. confecta tradat, & in Oeconomico affecta iam prope æſtate uuas a ſole miteſcere tempus eſt, ideſt ſub autumnum, aduentante autumno, inclinata, & præcipiti iam æſtate, ſic nonnulli in Topicis, & Partitionibus interpretantur locos affectos, quamuis Ioannes Viſorius in Topicis, & Maioraggius in Partitionibus eorum refellant opinionem, & Boethium defendant ab illis reprehenſum.

EIVS ARTIS ANTISTES. ideſt princeps ſumpta metaphora a ſacerdotibus, qui templorum primarij Antiſtites appellabantur, ſic vſus Catullus elegantiſsimè ad Verannium.

Veranni omnibus è meis amicis
Antiſtes mihi millibus trecentis.

Quo in loco demiror Achillem Statium Luſitanum mutaſſe lectionem, & pro Antiſtes poſuiſſe antiſtas, cum fateatur in omnibus manuſcriptis legi Antiſtes, & pulcherrime ſit tranſlatum, maximeque luminoſum uerbum, quo ſublato omnis mea quidem ſententia illorum uerſuum elegantiſsimorum perit gratia, & venuſtas. Sed nimirum non omnium eſt aurium horum poetarum Catulli, atque Tibulli elegantiam agnoſcere, multos enim vidi alioqui doctiſsimos homines in hac re peregrinari.

omnino errare neceſſe eſt, multi uero ignorant multa, quia neſciunt ſingularum rerum ſubſtantiam, tanquam igitur ſcientes in principio diſputationis non declarant, procedentes autem, quod æquum eſt ferunt, quod neque alijs, neque ſibi conueniunt, & conſtant, idemque ſæpius ambo confirmant, Ciceroque potiſsimum, ut in Orat. ad Brutum, in principio ſecundi de finibus, & in primo de officijs.

PRVDENTIA TAMEN RERVM MAGNARVM. prudentiam hoc loco pro ſcientia vſurpat, vt frequenter alibi, ſic in tertio horum librorum patitur enim & lingua noſtra, & natura rerum veterem illam, excellentemque prudentiam Græcorum ad noſtrum vſum, moremq; transferri, nam ibi intelligit ſcientiam, ſic prudens, vnde iuris prudentes, ideſt ſcientes. ſic Horatius in Poet.

Vir bonus & prudens verſus reprehendet inertes.

Culpabit duros &c. vbi prudens pro ſciente, & docto vſurpatur. imitatur autem in hoc quoque Platonem Cicero, qui frequentiſsime φρόνησιν, quæ prudentia eſt latine pro ſcientia vſurpat, & φρονεῖν pro ſcire in Phædone τι δὲ δὴ περὶ αὐτὴν φρονήσεως κτῆσιν quid vero ad prudentiæ poſſeſsionem, ideſt ſcientiæ, & in eodem dialogo ſæpius id vſurpat. vt ἦσαν ἄρα ὦ σιμμία αἱ ψυχαὶ καὶ πρότερον πρὶν εἶναι ἐν ἀνθρώπου εἴδει χωρὶς σωμάτων, καὶ φρόνησιν εἶχον, & in libris de legibus, & in Epinomide. & alibi, vt his, qui in illius ſunt lectione non hoſpites, perſpicuum eſt.

BENE PILA, ET XII. SCRVPIS LVDERE. Victorius lib. 5. Var. lectionum contendit legendum hoc loco, ſcriptis non ſcrupis, nititurque Ciceronis loco in Hortenſio citato a Nonio, itaque tibi concedo, quod in XII. ſcriptis ſolemus, ut calculum reducas, ſi te alicuius dati pœnitet, neque hæc mihi lectio nō probatur, cum uideam eandem mendi rationem in ſcriptulo finitimo huic verbo irrepſiſſe. Veteres enim Grammatici teſtantur, ſcribendum eſſe ſcriptulum non ſcrupulum, ſiue ſcripulum, ut nonnulli. Et Georgius Agricola lib. 4. de ponderibus, ita ſcribit, ortum autem illum errorem exiſtimo, quod in Fannio, qui uerſibus nummorum, & ponderum rationem explicauit, rationeque metri cogente dixit ſcripulum ablata, t, non ſcriptulum legerunt.

Gamma vocant, noſtri ſcripulum dixere priores.

ISTIS TRAGOEDIIS TVIS. per tragœdias intelligit eam partē orationis, qua perturbātur animi, & impelluntur, illorumque motus concitantur, vt in perorationibus fieri conſueuit. ſic vſus eſt libro 2. ne aut irriſione, aut odio digni putemur, ſi aut Tragœdias agamus in nugis, aut cōuellere adoriamur ea, quæ non poſ-

ſint

ſint commoueri, & paulo poſt. Quis eſt igitur qui non fateatur hoc lepore, atque his facetijs non minus refutatum eſſe Brutum, quam illis Tragœdijs, quas egit idem, cum caſu in eadem cauſa efferretur anus Iunia? deinde paulo poſt illis commemoratis addit. ſed hæc tragica, atque diuina.

COGITENT, SENTIANT, OPINENTVR. tres illas tangit animi noſtri partes, quas græci vocant γνώστικας δυνάμεις, ideſt cognoſcendi potentias νοῦν, διάνοιαν, δόξαν mentem, cogitationem, opinionem. ſentire enim hoc loco refertur ad mentem. quibus tria illa dicit interpres Hermogenis reſpondere ab ipſa noſtra anima excogitata ἐπιστήμην, τέχνην, ἐμπειρίαν ſcientiam, artem, vſum, vide Iſagogem.

ET AMPLISSIMO PRINCIPI CIVITATIS. Pomponius lætus in libello de Rom. magiſtratibus autor eſt Patres omnes appellatos Principes in ciuitate, vbi agit de Senatoribus, ſed videndum an idem ſit Princeps ciuitatis, & Senatus, de quo alia ratio nam à cenſoribus creabatur, vt etiam Feneſtella declarat, vbi agit de Cenſoribus, in hanc enim venio ſuſpitionem, tum quod ipſe Pomponius nullum omnino verbum ibi facit de Principe Senatus, vt profectò facere debuiſſet, tum quod video abſque vllo diſcrimine adhibitum, hoc verbũ à Cicerone, Lẽtulum enim in Agraria appellat principem Senatus, & alibi etiam, & in oratione poſt reditum in Senatu (ad euitandam arbitror inuidiam) appellat Principem ciuitatis, ſed de Principe Senatus legendus Paulus Manutius vir doctiſsimus in libello de Senatu Romano, vbi planiſsime demonſtrat, quid eſſet, à quibus crearetur, & quomodo.

REPREHENDEBAT IGITVR GALBAM. de hoc facto meminit etiam in Bru. his verbis. Marcus Cato legem ſuadens in Galbam multa dixit, quam orationem in Origenes ſuas retulit paucis antequam mortuus eſſet an diebus, an menſibus? tum igitur recuſans Galba pro ſeſe, & P. R. fidem implorans ad ſuos pueros, tum C. Gallij etiam filium flens commendabat, cuius orbitas, & fletus mire miſerabilis fuit propter recentem memoriam Clariſsimi patris, isque ſe tum eripuit flamma propter pueros miſericordia populi commota, ſicut idem ſcriptum reliquit Cato.

SI TIBI PRO P. RVTILIO. Multis in locis meminit huius præclari viri Cicero, & de hoc nefario iudicio, Quis autem fuerit ille nefarius, qui ſe hoc quaſi parricidio inquinarit, vt ſanctiſsimum & integerrimum Virum reum faceret nunquam dixit Cicero, ſed Athenæus in 4. δειπνοσοφιστῶν recitat fuiſſe Apiciũ quendam hominem improbiſsimum, & in omni ſordium, ac intemperantiæ genere volutatum. Verba Athenęi ſunt hæc. παρὰ δὲ Ῥωμαίοις

μνημονεύ

μνημονεύεται ἀπίκιόν τινα ἐπὶ ἀσωτίᾳ πάντας ἀνθρώπους ὑπερηκοντικέναι, οὗτος δέ ἐστιν ἀπίκιος ὁ καὶ τῆς φυγῆς αἴτιος ῥουτιλίῳ τῷ τὴν ῥωμαϊκὴν ἱστορίαν ἐκδεδωκότι τῇ ἑλλήνων φωνῇ, ideſt apud Romanos vero narrant Apicium quendam, qui omnes homines canteiret intemperantia, Hicque ille fuit Apicius, qui etiam fuit autor exilij Rutilio, qui Romanam hiſtoriam græca lingua ſcriptam edidit.

QVOD CRASSI FILIVM CAIO FILIO SVO DESPONDISSET. huius affinitatis meminit in Bruto, vbi de Craſſo loquens ait, & habuit quaſdam etiam domeſticas diſciplinas, nam & cum ſummo illo Oratore Ser. Galba, cuius Caio filio filiā ſuā collocauerat affinitate ſeſe deuinxerat, & cū eſſet P. Mucij filius, fratremq́ue haberet P. ſcæuolā domi ius ciuile cognouerat.

CVM AMENTATAS HASTAS. hac metaphora libenter vtitur Cicero, ſic in Bruto, vt haſtæ velitibus amentatæ, ſic apta quædam ſingulis cauſarum generibus argumenta traduntur. in Topicis de iuriſconſ. & patronis diligentibus ad eorum prudentiam confugientibus haſtas miniſtrant. & in partitionibus de accuſatore, quas haſta in manu collocata proponit acriter.

SED IN MAGICO CARMINE. Magiſtri carmine legit. Turnebus, & alij. Carmen autem Magiſtri interpretantur, tabellam, quā Magiſter proponebat, & qua proſcribebat ſe alicuius bona venditurum, Nam olim debitoris, qui latitaret, multiſque deberet, creditores prætorem adibant, & bonorum petebant poſſeſſionem, qua accepta ad præſtitutam diem vſque poſsidebant, rurſuſque petebant, vt ſibi liceret ea vendere, & ex eorum numero vnum eligere, qui venditioni præeſſet, isq; Magiſter appellabatur, qui frequentioribus vrbis locis Tabulas proponebat, ſe illius Debitoris bona venditurum.

POEANEM AVT MVNIONEM CITARIMVS. Adrianus Turnebus exiſtimauit aliquando legendum minuritionem, quod viderentur ſibi à Cicerone interpretata verba illa græca τερετίζειν & μινυρίζειν, quod eſt tenui, & deducta voce canere, quam ex græcorum commentarijs fuiſſe phonaſcorum conſuetudinem colligit, quæ fuit à quibuſdam deriſa, & ipſe rurſus eandem etiam confirmat ſententiam lib. 1. aduerſariorum.

FINIS.